THEOLOGIA ARISTOTELIS IN TRES LIBROS DISTINCTA, IN QUORUM PRIMO...

Girolamo Capredoni, Giovanni Battista Coccini




BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
8
3 K
16

35

THEOLOGIA
ARISTOTELIS
IN TRES LIBROS DISTINCTA,

IN QVORVM PRIMO DE ANIMAE HVMANAE Immortalitate, eiusquè in statu separationis Cognitione, de Intellectu Possibili, & Agente ipsi Animæ vnitis, ac eorum Pluralitate, de Cęlorum Animatione, & Natura;


IN SECVNDO DE INTELLIGENTIIS, EARVMQ. ESSENTIA, ET ESSE, Supposito, Simplicitate & Compositione, Intellectu & Voluntate naturali, & libera, de Cognitione, & cognitionis Medio;

IN TERTIO DE DEO, EIVSQVE' SIMPLICITATE, PERFECTIONE, Bonitate, Infinitate, Existentia in rebus, Immutabilitate, Aeternitate, Vnitate, Nominibus, Scientia, & præcipuè Futurorum contingentium, Ideis, Veritate, Voluntate, Prouidentia, Virtute intensiuè infinita, & Creatione disseritur.

QVAE OMNIA AD MENTEM EIVSDEM PERIPATETICORVM, Principis ex eius VERBIS *non minus profundè quàm eruditè examinantur, & determinantur.*

AVCTORE F. HIERONYMO CAPRAEDONO SONCINATE ALMI Ordinis Prædicatorum S. Theologiæ Magistro, Olim contra Hæreticam prauitatem Inquisitore Generali in Dominio Serenis. Ducis Mantuæ, & Semel atque iterum Celeberrimi Bononiensis Gymnasij Regente.

Cum Superiorum Licentia, & Priuilegio.







VENETIIS, Apud Georgium Variscum. MDCIX.


ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. D.

F. HIERONYMO BERNERIO CORRIGIENSI,

S. R. E. EPISCOPO CARDIN. Portuensi, Asculano Nuncupato;

EX PROVINCIA VTRIVSQVE LOMBARDIAE Ordinis Praedicatorum assumpto.

F. HIERONYMVS CAPRAEDONVS SONCINAS Eiusdem Prouinciç, & Ordinis S. D. P.





CVM me totum Illustrissimę Dominationi tuę, iam diu dicauerim, omnes etiam labores mei, tibi (Cardinalis Amplissime) consecrati censentur: & iure optimo, sæpe enim tua illustrissima Amplitudo multa in me contulit beneficia; Verùm pręcipuè Romæ anno elapso, quæ me sacros summi Pontificis Pauli V. deosculantem pedes, multis laudibus cohonestauit, contestans, me cum in disputando, tum in legendo multum insudasse, quadraginta ferè annos in lectionibus & præsertim sacrosanctę Theologiæ consummasse, magnamque huius partem temporis in almo Bononiensi Gymnasio expendisse; ob quas laudes, illa Diuina & suprema in terris Maie-

ſtas multis me laudibus decorauit. Hęcque ſcribo vt vniuerſus agnoſcat orbis quantum tuę debeam Amplitudini. Quapropter hoc meum opus ARISTOTELIS THEOLOGIA inſcriptum iam diu tibi (Cardinalis Optime) dicatũ eſt. Et cui hęc ARISTOTELIS THEOLOGIA de intelligibilibus Diuinis lumine naturę illuſtratis, aptiùs poterat eſſe dedicata, quàm viro illuſtriſſimo, qui ſemper tota in vita ſua totus Diuinus fuit? Accipe itaque Princeps cœleſtis, hoc meum, immo tuum Opuſculum ſerena fronte, a ſeruulo tibi deditiſſimo ſyncero corde conſecratum.

GLi Eccellentiss. SS. Capi dell'Illustriss. Consil. di X. infrascritti hauuta fede dalli SS. Reformatori del studio di Padoua per relatione delli doi à ciò deputati ciò, è, del Reuerendo Patre Inquisitor, & del circonspetto Secretario del Senato Gio. Maraueglia con giuramento, che nel libro intitulato Theologia Aristotelis in tres libros distincta auctore R. P. Magistro Fratre Hieronymo Capredono Soncinate ordinis prædicatorum, non si troua cosa contra le leggi, & sono degni di stampa, concedono licentia, che possino esser stampati in questa Città.

Dat. die 9. Iulij 1609.

D. Nicolo Bragadino
D. Zuane Sagredo } Capi dell'Illustris. Cons. X.
D. Georgio Corner

1609. à 10. Luglio.

Regist. nell'Offic. contra Blasphem. a car. 24. tergo.
Io. Bapt. Breatto Cancell. Illustriss. Consil. X. Secret.
Leonardus Othobonus.

FRater Paulus Carraria Sac. Theolog. Magister Prior Bon. & Vic. vtriusque Lombardię, & Diffinitores Cap. Prouincialis Ordinis Prædicatorum. Qui nostræ religionis in vinea Domini gloriose laborantes, & secundum talenta ipsis à Domino collata suis publicis, & priuatis studijs Christiano populo iuuare cupiunt, eos decet (cum non nobis nati simus) non solum ad communem proximorum vtilitatem, sed etiam ad magnum religionis decus laborum suorum vberrimos fructus in lucem prodere: Idcirco certiores facti quod A. R. P. Frater Hieronymus Caprędonus Soncinas Sacr. Theologiæ Magister eiusdem ordinis opus quoddam composuerit egregium, & numeris omnibus absolutum quod Theologia Aristotelis nuncupatur: Tenore præsentium nostri auctoritate officij, visa etiam circa hoc licentia, & facultate Reuerendissimi P. F. Augustini Galamini Magistri ordinis, in virtute Spiritus sancti & sanctæ obedientiæ, & sub formali præcepto mandamus dicto A. R. P. F. Hieronymo Caprędono qui supra vt dictum opus quod habet paratum impressioni, & pręlo mandare, & in lucem emittere curet, dummodo duo Patres Theologi opus prius viderint, examinent, & approbent, ad quod munus deputamus A. R. P. Fratrem Io. Paulum Nazarium a Cremona Sac. Theolog. Megistrum: & R. P. Fratrem Petrum à Florentiola Sac. Theolog. lectorem, sed etiam alijs seruatis seruandis iuxta nostras leges, & ordines Capitulorum tàm Generalium, quàm Prouincialium, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti Amen.

Dat. Ferrarię in Diffinitorio die 12. Maij 1609.

Ita est Frater Paulus Carraria Vicarius, & Diffinitores Capitoli.

Approbatio Ad. R. P. Inquisitori.

PRæsentem librum R. Ad. P. Hier. Caprędoni Doctoris eximij, & mei præceptoris amatissimi altissima omnia, ad quæ peripateticorum Principis intellectui datum est lumine naturali peruenire, & dilucidè, & subtilissimè comprehendentem, toto animi affectu comprobaui, & pro communi philosophantium vtilitate alacriter typis vt cuderetur, facultatem feci, animaduertens in eo, nedum aliquid reperiri, quod fidei orthodoxæ sinceritati, bonorum morum sanctitati, prælatorum, & principum integritati detrimenti aliquid afferre posset, verum studiosos quoscunquè maximè tyrones in ambiguis, obscurissimisquè philosophiæ disputationibus pro conquirenda veritate ex eius lectura singulare auxilium reportaturos: Opus eò dignius, & laudabilius, quò diebus istis magis desideratum, & peropportunum; cum non desint, qui sacrarum sanctionum obliti, vel fortè spiritu vanitatis elati sępissimè eiusdem Aristotelis verba ad sensus minimè solidę veritati consonos trahant, & distrahant. Quæ nihilominus æquè doctè, & verius iuxta intelligentias ab inuiolata veritate, nec deuias, nec dissonas interpretari possent, ac deberent: ideò veritatis omnes, & studiorum amatores admonitos, obtestatosquè velim, librum hunc manibus contrectent, intimè perlegant, discutiant, rimentur, & quid Aristoteles de prima omnium causa, & motore immobili, de intelligetijs, dequè animarũ immortalitate senserit, & scriptis reliquerit, clarè percipient; quiduè de his ad mentem eiusdem expulsis scrupulis, & hęsitationibus sit afferendum, dicendum, docendumquè exactè cum gratia, tum facili methodo explicatum inuenient; nec aures, dubio procul, à sapientissimo Caprędono sunt ammouendę, cum tot annorum spatio, artium, atquè Theologiæ vtriusquè tàm diuinæ, quàm naturalis libros in celeberrimo Bononiensi Gymnasio, & in præcipuis domibus amplissimæ vtriusquè Lombardiæ prouinciæ nostri ordinis prædicatorum, super cathedris exponendo, vniuersasquè difficiliores quæstiones exagitãdo perquam honorificè, ac fructuosissimè insudauerit. Testimonio sunt innumeri ipsius discipuli, qui modo lectoratus, bacaleureatus, doctoratus laureis meritò donati, Christianæ religioni inseruientes; animarum saluti incumbentes, aliosquè docentes tanti doctoris, & præceptoris vestigia insequuntur. Diu diuina benignitas nobis illum conseruet, vt maximum de diuinis auxilijs opus, quod promptum habet, & aliud de Trãscendentibus, vtrumquè à virtuosis omnibus expectatum, nobis communia faciat, & quę quamcitius (extrema adhibita lima) torculis comendaturum mihi asseruit.

Dat. ex domo Sanctę Inquisitionis Venetiarum die 8. Septembris. 1609.

Frater Ioannes Dominicus Vign. de Rauenna Sac. Theolog. Magister Ordinis Prædicatorum in toto Dominio Serenissimę Reipublicę Venetiarum Generalis Inquisitor.

Vidi,

VIdi, & diligenter examinaui iussu Reuerendissimi patris Generalis Magistri totius ordinis prædicatorum, P. F. Augustini Galamini à Brisichella, & AA. RR. PP. Vicarij prouinciæ vtriusque Lombardiæ, & Diffinitorum Capituli Prouincialis anni 1609. volumen, cuius inscriptio, Theologia Aristolis], in tres libros distincta: in quorum primo de animę nostræ immortalitate, & eius operationibus: in secundo de substantijs separatis: in tertio de Deo, ex peripateticę doctrinę fontibus A. Reuerendus Pater Magister F. Hierony. Caprę lonus Soncinas adeo profunde, subtiliter, exuberanter, piè, & catholicè disseruit; vt nullus post Angelicum doctorem philosophicas scientias in Sacrę doctrinę famulatum melius asciuerit: & ad arcis diuinę scientiæ propugnaculum, & ornamentum aptius accommodarit. Quare si typis mandetur, non Philosophis tantum, sed & scholasticis Theologis non mediocrem existimo allaturum vtilitatem.

Frater Ioannes Paulus Nazarius à Cremona Sacræ Theologiæ Magister.

EX commissione Adm. RR. PP. patris Vicarij prouinciæ, & diffinitorum nostri Capituli Prouincialis celebrati Ferrariæ 1609. Ego Frater Petrus de Florentiola Lector, & Vicarius Sancti Officij Brixien. ordinis Prædicatorum librum hunc, qui Theologia Aristotelis dicitur, inspexi, nihilquè, quod pium, & Christianum Lectorem offendere possit, inueni; quinimmò Catholicæ fidei valdè consentaneum, & opportunum, diligenti examine, summoquè studio elaboratum, philosophica veritate, & doctrinæ præstantia cumulatum, ac proinde impressione dignum iudicaui.

OPus hoc Aristotelicæ Theolog. inscriptione donatum: de anima primum; mox de substantijs abstractis; tertio de Deo ordinatè, grauiter, hac eruditè pertractans Adm. R. P. Magistri Hieron. Caprę lonij Soncinatis ordinis Diui Dominici, viri incomparabilis doctrinæ, se ipsum omnibus doctis, ità sui pręstantia dignum, quod ab omnibus legatur, exhibet, vt & ego Flaminius Papazzonius Bonon. doctor collegiatus, publicusquè in Gymnasio Bonon. philosophiæ ordinarię de sero Lector cum maxima animi mei voluptate totum expenderim, vt præterquam quod nihil in eo inuenerim, quod vel tantillum S. R. Eccl. repugnet, futurum etiam existimem, tale illud iudicatum iri, quale decet tantę, hac talis religionis, quam ipsę, & suspicio, & vehementer colo, colamq; dum viuam, alumnum. 11. Cal. Aprilis. 1609.

Idem Flaminius Papazzonius

a 4 AD

AD RELIGIONEM DOMINICANAM

DIALOGUS

F. Pauli Mariæ Donzelli à Monte Regali in florentissimo Bononiensi Gymnasio philosophiæ Lectoris Ord. Præ.

Lector — Religio

Lect. *Religio, quæ cuncta beas, quæ cuncta virescunt,*
Quæ sine virtus abit, quæ sine mundus abit,
Quis nouus hic terris fulgor? quæ lumina cælum
Nunc noua condecorant? quis nouus iste sophos?

Relig. *Est nouus iste sophos sophiæ moderator, & auctor:*
Lumen Olimpiacis, luxquè serena choris.

Lect. *Quid cupit Orbe? Polo forsan coniungere terras?*
Atquè prophanatos irradiare viros?

Relig. *Non hoc, sed nostræ Prolis, quin, & Orbis amator*
Irradiat gemmis, quæ Stagirita dedit:
Quæque sub abstrusis latitant secreta cauernis,
Hæc aperit docto docta Minerua modo.

Lect. *O Felix nimium Stagiris, felicior Orbis*
Plaude, Capradonum fer super Aethra Virum.

Ad eundem Patrem

Distichon.

Te Stagirita nouo' scribente refulget honore
Tu stagiriteum vincis in Orbe decus.



EIVSDEM.

F. PAVLI MARIAE DONZELLI.

Epigramma

Ad Auctorem.

Pectoris Aethereos ignes dum cernimus, aurum
Cernimus, atquè animus nobilis hortus adest:
Milleque virtutes præstant tibi gemmea serta,
Quæ magè quam cœli sydera clara micant.
Lux doctrinæ tua est, nostroquè refulget in Orbe
Et pietas nostris ceu Rosa vernat agris.
At quid? Soncinas longe es præstantior omni
Auro, horto, gemmis, sydere, luce, rosa.

Ad eundem.

Capradone tibi debentur laurea mille,
Cuius Doctrinæ iam monumenta nitent,
Cuius & integritas Felsina in vrbe micat,
Cuius splendorem cœlica fama docet,
Cuius vim verbi quæquè Minerua colit,
Cuius res gestas vrbs gerit, Orbis amat.

F: P. V. S.

Distichon

Quæ Stagira Phasmam mortali struxerat Arte
Ad superos vates miraquè dicta ciet,

Ad Auctorem.

F. P. V. S.

En Sophię Philos, en qui speculatus ab alto
Aggressus, scriptis, es tagirite, Thesim.
Nunc petis in terris, multo spectatus honore
Angelico lustrans numine cuncta sui
Tu Thomæ fulges, Doctrinæ lumine nostræ
Dominici, pollens, Religione sacra
Cæleste ingenium, mens candida, maxima virtus,
Te natura colit, Tu probitatis honos:
Mirantur Docti, pariter venerantur, & omnes
Thomicolæ, eximium nomen, ad astra ferunt
Viue diù Patriæque Decus, Pete sidera sero
Nestoreos annos Det tibi Sanctus Heros.

Tetrastichon.

O Decus, ò Patriæ meritò, pars maxima nostræ
Flos veterum, virtusquè verùm, quem sidera poscunt
Ante diem clauso componet vesper olympo
Nons gens vlla, tuos, æquò, celebrabit honores

F. VINCENTIVS à PETRENGO LECTOR ORD. PRAE.

In Authorem, Arist. de Numine sacro, mentibusquè abstractis abdite dicentem, mirificè exenterantem

METRICA LAVS

Quæ centro Rhadamanthus habet, quæ gurgite Triton,
Quæ tegit Ops cęco corpore, quęuè Polus
Abstrusis Phiseos, quæ velat scrutator elenchis,
Sidera quæ inuoluunt, terraué condit humi,
Frondimico argustus cecinit de stipite Cygnus,
Intima Aristotelis, fulgida & orbe facit.
Si Numen Trutina tractat, mentesquè reposta
Abstrusas, vt vix quis reserarit homo,
Vnus ab Angelico vir Caprædonus Aquino
Illustrat, Claris pandit operta notis.
Musarum quos Athletas non contulit orbi
Felsinei bis Dux hic Heliconæ chori?
Orphea non siluæ celebrent, Amphiona Thebæ
Iam sileant: Cygni nam ferit astra melos.

F. P. V. S. O. P.

Studioso Lectori optatam Felicitatem.




COGITANTI mihi (Candide Lector) & varia in memoria versantur, quis nam modus, quo immortalis vitę gloriam, atque finem feliciter hominum genus assequeretur, ac (ita dixerim) Deos emularetur, foret optimus; Illos, qui omnes suas actiones in vnum referunt Deum, ac totos sese in optimę cuiusquam virtutis exequendo, & consequendo collocarunt statu, Felices maximeque laudabiles, tandem existimaui. Hi namq; mentis acie intelligentes mundi gloriamquè & opes, ad quarum perniciem pleriq; mortalium inflamati aspirant auiditate, in rebus expetendas minime fore, cum eas caducas ac aspiciant incertas, vnam, quę vltimis defixa radicibus, neque post incendium dimitti, neque direptioni comitti, neque vlla temporum varietate labefactari, potest sibi ipsis prestituere, virtutem. Enimverò hęc est quam sapiētissimus commendabat Seneca inquiens. Virtus extollit hominem, & super astra mortales collocat. Eloquātissimusquè Cicero de Amecitia: Sine virtute nullam rem expetendam consequi possumus. Verum inter hos qui huius felicis status cursum comendant, deferuntquè illos haud ignorò semper extitisse qui vtranquè philosophiam naturalem, scilicet, & diuinam, eo ingenio ac eruditione tractarunt, ac ita exegerunt ad verum, vt reliquum vix vllum dicendi modum posteris fecisse videantur. Ceterum cum huius naturę nostrum perpetuo extitisse fateamur ingenium vsquè dum extrema fontis illius, necnon Patris luminum apparuerit dies, interim nullis satiari inuentis. Sed ex antiquis noua decerpere, vel alia ex aliis indagare, conari, factum est alios acuta suscepisse pertractanda, alios hęc vti difficillima reprobasse, quosdam breuitatis modum, alios copiam dicendi stylum; Quāobrem huiuscemodi sententię arridēs magister Hierony. Caprędonus Sōcinas familię Dominicane Alumnus, qui tot iā labentibus annis sacram professus Theologiam, vetą suorum priscorum patrum emulatus est acta. Etenim et si ille Paulus Soncinas, nomen antea quęstionibus Methaphysicalibus altissimus illustrauit, atque Soncini Patriam: Hinc Vincentius vterquè: alter qui in Celeberrimo Bononię Gimnasio Dominicano tribus annis Theologicam Cathedrā erexit, alter qui Episcopatū venusinū ob sui ingenij celsitudinem obtinuit, se ipsos superarent. Hic tamen Hieronymus licet singulis postremus tēpore, sapientia tamē ac vitę splendore eorum nulli, nec alteri secundus censendus erit. Ab ineunte ętate si quidem totum sese Philosophię ac Theologię prebuit; hinc Lectoratus & Doctoratus sacra fulgens, laurea, perpetuo indefesse, nulli parcens labori, doctissimis lectionibus, ac subtilissimis disputationibus Cathedram tam Philosophię, quàm Theologię per Annos quatuordecim Bononię illustrauit, magna cum eorum

rum

.rum qui adhuc superstes sunt ad miratione ; Verū enimuerò Teste Latino Poeta

Stat sua cuiquè Dies, breue & irreparabile Tempus
Omnibus est vita, sed famam extendere factis
Hoc virtutis opus.

Iam veræ virtutis consequuto culmine, nec non petens famam præstare factis, ac Nomen; Hoc (quod Theologia Aristotelica seu Aristotelis nuncupatur) nouo modo dicendi, ac eleganti stylo, edidit opus, oculis inspiciendum, lingua discurrē dum, auribus percipiendum, claroquè mentis lumine, iure merito, non despiciō dū, quo vera principis Stagiritæ sententia aperitur, ac D. Thomæ opinio solidatur. In quo tria studiose Lector præcipuè in tres libros ordinata, scilicet Animę nostræ immortalitatē, subtilissimāq; eius in statu separationis cognitionē acutissimā substantiarū separatarū contemplationem, & altissimam de Deo speculationem, iuxta Aristotelis consensum, & D. Thomę moderamen excussa, habes. Nec putes nunc; Hoc composuisse Auctorem, sed pro certo teneto Haud hisce tempestatibus, verum Anno Domini Millesimo quincentesimo octuagesimo octauo vltimam imposuisse huic manum, ac publice in Dominicana Palestra Bononię, totum disputationi positum, magno cum astantium admiratione, ac Animi Gloria biduo defensasse, verūtamen ob sui, & aliorū negotia obeunda, tū infirmitate depressum hucusq; deuenisse tēpore. Quare quod tua interest, Amice Lector si huic mentē pręstabis operi, preciosas, ex Philosophiæ penetralibus ortas, Margaritas, pro necessaria tam naturalium, quam diuinarum rerum cognitione irradiantes, necnon mirifico D. Thomę nitore emicantes, in eo inuenies. Interim feliciter in Domino vale, ac pro Auctore Deum depręcare.



INDEX.
CAPITVM QVAE IN SINGVLIS LIBRIS
Huius operis continentur.

LIBRI PRIMI CAPITA.

Quin-

De cognitione animæ separatæ ad aures Arist.

De corporibus cœlestibus.

De cœli animatione, ad mentem Arist.

Secundi Libri Capita.

De substantiis separatis.

De cognitione substantiæ separatæ ad mentem Arist.

Potentia,

De Medio cognitionis substantię separatæ.

Intelli-

TERTII LIBRI CAPITA.

De Deo ad mentem Aristotelis.

De æternitate Dei.

De Dei nominibus ad aures Arist.

Affir-

De scientia Dei.

DE IDEIS CONSIDERATIO.

De veritate Dei.

De voluntate Dei.

Voluntas

De prouidentia Dei secundum Arist. principia.

De infinitate primi motoris ad mentem Arist.

DE CREATIONE.

Num creatio rerum à Deo sit necessariò ponenda secundum naturalis Philosophiæ principia.

An detur creatio ad mentem Aristotelis.

An Deus ad mentem Aristo. sit causa efficiens nedum finalis omnium entium, tam incorruptibilium, quam corruptibilium

FINIS.

INDEX.
QVAESTIONVM, AC
Precipuarum conclusionum, quæ in his tribus libris explicantur.

PRIMI LIBRI QVÆSTIONES.

SECVNDI LIBRI QVAESTIONES.

An


Tertij libri Quæstiones.

An

An

An





INDEX
RERVM ILLVSTRIVM
quæ in his tribus libris continentur.

sunt

Aliquid

B

C

D

Deum

Ens

In-

In-

M

Ma-

N

non

P

Pro-

per-

Res

S

Sup-

T

V

FINIS.

PRÆFATIO.



ORTASSIS aliqui huius nostri inscriptionem libri admirabuntur tamquàm nouam, nimiumquè Aristoteli Peripateticorum Principi attribuentem, ipsum Theologum constituentem, hominum captũ præcellentem. Forsitan alij admirationem capient de cantantes ad quid, nos tanto (certè) labore confecimus librum, cum minima vel nulla vtilitas appareat? Fortasse etiam alij ordinis hoc in libro obseruati mirabuntur, cum Sacrosancta Theologia præpostero ordine procedat: Quapropter vt omnis cesset admiratio quinq; circa hoc nostrum opus omnem excludẽtia admirationem consideranda sunt. Primum, qua de causa Theologia Aristotelis nuncupetur; Secundum est differentia inter sacrosanctam Theologiam, & Aristotelicam, seu naturalem; & illius excellentia super istam; Tertium est præstantia Aristotelicæ Theologiæ super omnes alias scientias humanitùs acquisitas; Quartum est ipsius vtilitas; Quintum est ordinis ratio in ipso obseruati.

Pro enodatione primi, duo animaduertenda sunt; Alterum; In his quæ de Deo confitemur, duplex veritatis modus reperitur; Quædam namquè de Deo vera sunt, quæ omnem humanæ rationis penitus excedunt facultatem, vt Deum esse trinum, & vnum, Filium Dei esse incarnatum, & id genus; & ista diuinæ lumine reuelationis dignoscuntur, Quædam vero sunt, ad quæ etiam naturalis ratio pertingere potest, vt Deum esse vnum Omnipotentem, & id genus; quæ etiam Philosophi naturalis lumine rationis ducti, de Deo etiam per demõstrationem probauere; Alterum animaduertendum est, scientiã quæ de diuinis disserit, ab Aristotele appellari 6. meth. tex. 2. Theologiam, seu diuinam scientiã. Hinc intueri licet, duplicem esse Theologiam; Alterã supernaturalẽ, & ad sacrosanctã spectãtẽ scripturã, de intelligibilibus diuinis, humanæ rationis ingenium, penitus excedentibus, & hanc nostri sacri Theologi speculantur. Alteram naturalem de intelligibilibus diuinis, quæ humanæ peruia sunt rationi, differentem, nuncupatam à Theologis, & Philosophis, metaphysicam, primam philosophiam, naturalem Theologiam, & scientiam diuinam naturalem; vt colligitur ab Aristotele 6. meth. tex. 2. & à Diuo Thoma, eo in textu, & in suo proœmio meth. & 1. p. quæst. 1. ar. 1. ad 2. Cum itaquè, hoc nostrum opus de intelligibilibus diuinis humanum minimè excedentibus ingenium, & ex Aristotelis doctrina selectum pertractet, iure optimo Theologia Aristotelis nuncupatur.

6. met tex. 2.

Theologia duplex altera naturalis altera supernaturalis.

Theologia supernaturalis quid.

Theologia naturalis q d.

Theologia Arist. cur.

Quò ad secundum. Istæ duæ Theologiæ valdè inter se differunt, di

stantquè adinuicem. Plusquàm coelum à terra; Et pro huiuscemodi intelligentia, quatuor supponenda sunt.

Primò; Ad mentem illa Aristotelis doctrina reuocanda est, quam docuit primo posterior. cap. 22. text. 179. ex qua philosophi & Theologi (& præcipuè Caietanus philosophus acutissimus doctissimusquè Theologus.) colligunt, duplicem esse vnius scientiæ rationem formalem: altera est, ratio formalis, Quæ; altera ratio formalis sub Qua: ratio formalis, Quæ, est illa quæ primò ab illa attingitur scientia, & à qua passiones fluunt, quæ etiam vocitatur ratio formalis, Rei, quoniã ipsius rei subiectæ ratio est quidditatiua; appellatur quoquè ratio formalis obiecti, quandoquidem est ratio obiecti scientiæ quidditatiua. Ratio formalis sub Qua, est quoddam lumen, sub quo res ad illam scientiam pertinentes manifestantur, hæcquè ratio formalis, sub Qua, appellatur etiam formalis ratio obiecti scientiæ vt obiectum est, quia sub illa formali ratione, omnia in illa scientia considerata, perspiciuntur: quæ etiam nuncupatur formalis ratio ex parte potentiæ, & habitus scientifici, quoniam potentia intellectiua omnia in illa facultate contenta, sub illa speculatur ratione; Et habitus scientificus sub se omnia continet, quatenus sub illa formali ratione continentur.

Duplex ratio formalis sciẽtiæ videlicet Quæ & sub Qua. Ratio formalis Quæ, q. i. st. ratio formalis sub Qua quid sit

Secundò considerandum est. Rationem formalem, Quæ, Theologiæ Aristotelis (quę alio nomine methaphysica nuncupatur) esse ens sub ratione entitatis; quoniam omnia in ista Aristotelica Theologia contenta, sub ratione entis considerantur; & ideo ens sub ratione entitatis est quod primò ab ista attingitur Theologia; & a quo formaliter huius Theologiæ passiones fluunt, & si non actualiter, saltẽ virtualiter; Passionesquè huius entis, inquantum ens, sunt cętera transcẽdentia videlicet, Vnum, Aliquid, Res, Verum, & Bonum; Et est ratio quidditatiua omnium hac in Theologia consideratorum, quandoquidem, licet contempletur Deum tamquàm omnium entiũ causam creatricem, & gubernatricem; substantiasquè speculetur separatas, veluti omniũ mottrices orbium, Deiq; vt instrumenta; attamen omnia ista, sub entis ratione contemplatur; Qua de re, licet Deus vna cum substantijs separatis sit primarium huius Theologiæ subiectũ; veruntamen ens inquantum ens est eius adæquatum subiectum.

Ens vt ens ẽ ratio formalis, quę Theologiæ Arist. Transcẽdẽtia sunt passiones Theologiæ Arist. Deus & substantiæ separatæ sunt subiectum primariũ Theologiæ Arist. Ens vt ens ẽ adæquatum subiectum.

Tertiò considerandum est, rationem formalem, Quæ, sacrosanctę Theologiæ esse Deum sub ratione Deitatis, vt tradunt Theologi prę cipuè D. Thom. omnium Theologorum facile Princeps, p. 1. q. 1. ar. 7. quoniam omnia in ista sacra Theologia considerata, sub Dei ratione pertractantur, vel quia sunt ipse Deus; vel quia ad Deum, ordinem habent, vt ad principium, & finem: idcircò Deus sub Deitatis ratione est illud quod ab ista scientia sacra attingitur, & a quo omnes passiones huius super cęlestis Theologiæ emanant; Quo circa Deus sub

Deus sub rõne Deitatis ẽ rõ Quę Theologiæ sacrosanctæ. Deus sub ratione Deitatis est subiectũ adæqua.

ſub Deitatis ratione, nedum eſt ſubiectum primarium, verùm etiam eſt adæquatum ſubiectum.

ram. & pri-ma ium ſa-cræ Theolo. Abſtractio, à materia ſcd̃m eſſe & ſcd̃m rõnem eſt rõ formalis ſub Qua Theologiæ Ariſt.

Quartò conſiderandum eſt, rasionem formalem ſub Qua, Ariſtotelicæ Theologiæ eſſe abſtractionem à materia ſecũdum rationẽ, & ſecundum eſſe; quoniam omnia in iſta Theologia conſiderata, ſub iſto abractionis modo, manifeſtãtur, tamquã ſub quodã lumine; ſub illaquè abſtractione, omnia in iſta naturali Theologia contenta, perſpiciuntur, & ab ipſo intellectu habitus huius Theologiæ ſciẽtificus attingitur. Ratio autem formalis ſub Qua, ſacroſanctę Theologiæ eſt diuinæ lumen reuelationis, vel lumen Diuinum vt docet D. Thomas 1. p. q. 1. per totã Sed præcipuè ar. 1. & 4. quoniam omnia, quæ à Sacra Theologia conſiderantur, inquantum ſunt diuinitus reuelabilia, cõſpiciuntur, adeo vt ſub diuinę reuelationis lumine videantur; & ſacer intellectus omnia in hac ſuper cœleſti Theologia ſub iſto lumine diuino, intuetur.

Lumen diuinę reuelationis eſt ratio ſub Qua, ſacræ Theologiæ.

Ex iſtis multa ſequuntur diſcrimina inter ſacroſanctã Theologiã, & Ariſtotelis Theologiam, quæ ad quinquè reducuntur.

Quinque differentiæ inter ſacram Theologiam & Ariſtotel. Theologiam.

Primum diſcrimen; Sacra Theologia eſt quædam ſcientiæ Dei & beatorum impreſſio; Theologia autem Ariſtotelica eſt quædam ſciẽtia naturali lumine intellectus agentis, acquiſita.

Sacra Theologia eſt impſſio ſcientiæ Dei. Ariſtot. autẽ eſt acquiſita lumine intellectus

Secundum diſcrimẽ ex primo conſequens; Sacra Theologia eſt ſcientia infinita, cũ ſit ſigillũ diuinæ Dei ſcientiæ propriũ: quoniam vtraquè eſt de Deo, inquantum Deus, & hęc noſtra ſacroſancta depẽdet ab illa, ſub illius propria (quamuis parua) participatione; Dei autẽ ſciẽtiã neminem latet, eſſe omnifariam infinitã, cũ ſit ipſemet Deus; Theologia autẽ Ariſtotelis finita eſt, cũ ſit de ente ſcibili, noſtri intellectus agentis lumine acquisita; noſter autem intellectus ſuaptè natura finitus eſt, valdequè imbecillis, ideo ex omni parte finitus exiſtit.

Theologia ſacra eſt infinita.

Theologia Ariſt. finita eſt

Tertium diſcrimen ex præcedẽtibus collectum; Theologia ſacra eſt ordinis ſupernaturalis, cum ſit à Dei ſcientia, qua cognoſcit ſe, & ea quæ facit exẽplata: exemplatũ autẽ eiuſdem eſt ordinis cũ ſuo proprio exemplari; Theologia autem Ariſtotelis eſt ordinis naturalis cũ viribus naturę intellectus agentis & poſſibilis acquiratur.

Theologia ſacra eſt ordinis ſupernaturalis

Theologia ſacra eſt exẽplata à Dei ſcientia

Quartum diſcrimen ex præcedentibus deductum; Sacra Theologia Deum vt eſt obiectum beatificum, vt eſt viſum ſub lumine gloriæ; in eodemquè lumine clarum contẽplatur; nec non vt eſt principium gratię & glorię nedum naturæ, intuetur. Theologia autem Ariſtotelica, & quæcunquè alia lumine naturæ acquiſita, vt eſt Theologia Platonica, Deum ſpeculatur vt eſt ſolius naturæ principium, & finis; & vt eſt obiectum felicitatis viribus naturæ acquiſibilis, vt docent Ariſtotelis, & D. Th. Ariſtotelem interpretans lib. 6. Eth. lect. 5. D. Th. partic. 1.

Theologia Ariſt. eſt lumine naturæ acquiſita.

Deus vt eſt obiectũ beatificum a ſacra Theol. cõſideratur.

Deus vt eſt principiũ, & finis naturę, & felicitatis

naturalis à Theol. Arist. cōsideratur.

Sacra Theol. est propriū sigillum sciētiæ Dei

Theologia sacra est speculatiua & practica

Theol. Arist. est solū speculatiua.

Quintū & vltimum discrimen. Supercælestis Theologia vna existens est speculatiua & practica, licet sit magis speculatiua; quoniam ista diuina Theologia, (vt pluries fuit assertum) est impressio & sigillū diuinæ scientię propriū, qua seipsum, & ea quæ facit, dignoscit; de seipso quidē speculatiuā habens scientiam; de factis autem à se, practicā; quo circa, vnitas & altitudo scientię Dei vnitatem & altitudinem sacræ Theologiæ infert, cum hæc sit proprij exemplaris respectu proprij exēplati conditio, vt exemplar proprio exēplato vnitatē & altitudinē cōferat. Arist. aūt Theologia cū sit finita, & eius proprius finis sit tantum scire ea, quæ sub ipsa continentur: ideo solum speculatiua est

Theologia sacra, est eminenter, & formaliter speculatiua & practica

Deitas est ratio formalis eminentissima, formalissima, & simplicissima sacræ Theol.

Hoc in loco tamē pro maiori sacrosanctæ Theologię claritete cōsiderādū est, ipsam esse non purè speculatiuā, nèc purè practicā, nec quoddā ex speculatiuo & practico aggregatū, verū esse vnā scientiā vnius rationis formalis, altioris ordinis, quàm sit speculatiuū & practicum, comprehendens eminenter, & formaliter sciētiam speculatiuā & practicā sicut sol est eminenter & formaliter calefactiuus exsiccatiuus, & sicut Dei scientia, qua seipsum, & ea quæ facit, cognoscit, respectu proprię cognitionis est speculatiua, respectu autem factorum, practica est: & tamen non est vna per aggregationem, sed est vna simplex formaliter, et eminenter speculatiua & practica, sicut Deus est eminenter & formaliter intelligens, volens, & exequens, ita Theologia nostra sacrosancta est speculatiua, & practica, non per aggregationem, sed per simplicem vnitatem formalem altioris ordinis, quā sit scientia speculatiua & practica; quoniam (vt nunc assertum est) est impressio & propria sigillatio diuinæ scientię. Ratio autem formalis eminentissima, formalissima, & simplicissima Theologiæ Dei, beatorum, & viatorum, est Deus sub ratione Deitatis.

Ex istis omnibus colligitur summa excellentia sacræ Theologiæ supra Theologiam Aristotelicam, Platonicam, & qualemcumquè aliam lumine naturę acquisitam. Etenim infinita dignitate infinitaquè excellentia omnibus excellit, ut conspicuum est omnibus supradicta discrimina intuentibus; nam (colligendo omnia in supradictis differentijs contenta) Theologia sacra est impressio, propriaquè sigillatio scientiæ Dei, ab illa dependēs; Theologia aūt Aristotelica à lumine intellectus agētis desumpta est. Theologia sacra ex omni parte infinita est; Theologia autem Aristotelica est finita. Theologia sacrosancta est ordinis superioris, & diuini; Theologia autem Aristotelis est ordinis inferioris & naturalis. Theologia sancta Deum contemplatur, vt est obiectum beatificū, nec non vt est principiū totius gratiæ & gloriæ; Theologia autem Aristotelica speculatur Deum, quatenus est naturalis obiectum felicitatis, & vt est solūmodo naturæ principiū. Theologia diuina est scientia speculatiua & practica eminēter,

&

& formaliter; Theologia autem Aristotelis est purè speculatiua. Ex quibus omnibus cōpertissimum est, sacrosanctam Theologiā plus distare à Theologia Aristotelica, & Platonica, quam distet Cęlum a terra; ipsamq; naturales Theologias infinita dignitate, infinitaque præstantia pręcellere.

Theol. supcęlestis a theolog. naturali distat plusq̄ cœlum a terra.

Quo ad tertium, videlicet præstantiam Theologię Aristotelis, super oēs alias scientias humanitus adinuentas, & acquisitas: Theologia Aristotelis in oīum aliarum comparatione scientiarū, viribus naturæ adinuentarum, & acquisitarum, est oīfariam sapientia: cum altissimas causas, Deum optimum maximum, totius naturæ principium consideret; omniaq; scientiarum principia, vt sunt propositiones maximę speculetur, & defendat; qua de re est maxime speculatiua, cum in ipsa, ipsum scire propter seipsum quæratur. Est sola maximè libera; quoniam sola vltimum, & vniuersalem omnium huiuscemodi scientiarum finem, contemplatur, & ita omnes aliæ sciētiæ in eam, sicut in finem ordinantur; quocirca sola sui causa est; & ideo sola maximè libera est, cum liberum sit, quod sui causa est. Est etiam hæc Theologia Dei, non autem hominum possessio: verùm est aliquid ab hominibus mutuo acceptum. Est quidem ista sapientia Dei possessio; quoniam tunc aliquid ab aliquo, vt possessio habetur, quādo ab illo perfectè habetur; modo autem, nulli dubium est, Deum hanc scientiam secundum perfectam comprehensionem, possidere: Non est autem ista sapientia; hominum possessio, quandoquidem illud ab homine vt possessio habetur, quod ad nutum haberi potest: & quo liberè potest vti: Homo autem haud ad nutū hanc potest habere sapientiam, cum ad eam peruenire perfectè nequaquàm possit; neque etiam ea libere vti potest, cum sępe sępius ab ea, propter vitę necessitatem impediatur, eam verò homo a Deo mutuo accipit; quia sicut mutuum non est accipientis (nisi secundū quendam modum valde imperfectum) sed dantis, ita Theologia ista, vt assertum nunc fuit, est Dei, ipsam perfectè possidentis, hominibusq; eā dantis, secundum quendam modum valde imperfectū; qua propter quoddam mutuum a Deo datum, & ab hominibus acceptum. Est quoq; ista sapientia, diuina sciētia, ac per hoc, omnium scientiarum honorabilissima. Est quidem sciētia diuina, tùm quia sola de diuinis pertractat rebus, cum sola Deum, substantiasq; separatas consideret, tū quia, a solo Deo perfectè possidetur. Cum itaq; Deus sit omnium rerum honorabilissimus, etiam ista Theologia, scientia est omnium scientiarum honorabilissima; idcircò Aristoteles in proęmio Methaphysices, ipsam appellat maximè diuinam, maximè honorandam, & Deam scientiarum.

præstantia Theolo. Aris. sup oēs alias sciētias humanitus adinuētas cōsiderat Deū substantias separatas & maximas ppositiones. Theolo. Aris. est maximè speculatiua, & maxime libera, pfecta Dei possessio. dignitates Theolo. Aris. annumerantur.

Theolo. naturalis est Dei perfecta possessio est maxime diuina, est maxime suo honoranda, & scientia rum Dea.

Et licet homines de ista sapientia Theologiæ parum habeant; attamen, hoc modicum, quod ex ea habetur, omnibus præponderat,

rat, quę per alias cognoſcuntur ſcientias: Et ideo homines, eam adipiſcentes felices nuncupātur; non quidem ſecundum perfectam felicitatem, ſed ſecundum talem, qualis humanæ & mortali vitæ cōpetere poteſt: Idcirco Ariſtoteles conteſtatus eſt primo Etich. lec. 16. D. Thomę in fine, tales eſſe felices, vt homines, quaſi docere vellet, iſtos homines hanc ſapientiam habentes, eſſe felices; non perfecta felicitate, ſed quam habent homines, in præſenti vita variabili, & mortali, hoc eſt, inquantum conditio humana, & natura patitur.

Modicū de Theologia naturali ſuperpōderat oib. quæ per alias ſcientias cognoſcuntur.

Quò ad quartum, videlicet vtilitatem: Diuinorum meditatio factorum, ad fidem Chriſtianam de Deo inſtruendā, valde vtilis eſt, quatuorq; præcipuè colliguntur vtilitates.

vtilitates quatuor Theologiæ Ariſt.

prima vtilitas.

D. Th. 2. con. gen. c. 2.

Prima vtilitas: Ex factorum meditatione, diuinam, poſſumus cōtemplari ſapientiam, & altiſsimam Dei virtutem, admirari: Quoniam ea, quæ arte fiunt, ipſius artis repreſentatiua ſunt, vt potè ad artis ſimilitudinem facta; Deus autem, ſua ſapientia, res in eſſe produxit; vt regius Propheta pſal. 103. cōteſtatur. Omnia in ſapientia feciſti, quapropter, ex factorū ſpeculatione diuinā poſſumus colligere ſapientiā, tanquā in rebus factis, per quādam cōicationem ſuæ ſimilitudinis, impreſſā. Et hāc veritatem ſacra edocet ſcriptura: Aſſeritur enim Eccl. 1. Effudit illam, ſcilicet ſapientiam, ſuper oīa opera ſua, & in pſal. 138. Cū aſſeueraret regalis Propheta: Mirabilis facta eſt ſciētia tua ex me, cōfortata eſt, & non potero ad eā, & diuinæ auxilium illuminationis adiungeret, dicens. Nox illuminatio mea in delitijs meis, ex diuinorum contemplatione operum ſe adiutum, ad diuinam ſapientiā cognoſcendā confitetur, affirmans, Mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis.

Ecc. 1.

pſal. 138.

Secunda vtilitas.

effectorū ſpeculatio in admirationem Dei deducit.

ſap. 13.

Secūda vtilitas: Cum effectorū ſpeculatio in admirationē, altiſſimæ Dei virtutis ducat, neceſſum eſt, vt in hominū cordibus, Dei pariat reuerentiam, & timorē filialē, nedū ſeruilē; cum virtus facientis, rebus factis eminentior ſemper intelligatur; idcircò aſſeritur ſap. 13. ſi virtutem, & opera eorū, ſcilicet Cęli, & Stellarū, & mūdi elementorū &c. mirati ſunt, ſcilicet, Philoſophi, & intelligāt; quoniā, qui fecit hæc, potior eſt illis, & Roma. 1. aſtruitur: Inuiſibilia Dei, per ea, quę facta ſunt, intellecta, cōſpiciūtur ſempiterna quoq; eius virtus, & diuinitas. Ex hac autem admiratione, Dei timor procedit, & reuerentia, vt docuit Hieremias Propheta ca. 10. exclamans, Magnū eſt nomen tuum in fortitudine, quis non timebit te, O rex gentium?

Rom. 1.

Hier. c. 10.

Tertia vtilitas

Factorum cōtemplatio in diuinum amorem accēdit

Tertia vtilitas: Hæc factorum contemplatio, hominum animas in diuinæ bonitatis accendit amorē, quādoquidē, quidquid bonitatis, & perfectionis, in diuerſis ſecūdū partē diſtributū eſt creaturis, totū in ipſo vniuerſaliter, ſicut in totius fonte bonitatis, adunatum eſt; qua de re, ſi creaturarū bonitas, pulcritudo, & ſuauitas, ſic hominū allicit animos, quāto magis ipſius Dei fons bonitatis, riuulis bonitatem,

tatem, singulis in creaturis repertis, diligenter comparata, animas hominum inflãmatas, omni ex parte, ad se trahit. Quocirca in psal. 91. decantatur: Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Et in psal. 35. de hominum filijs, asseritur; Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ &c. quasi totius creaturæ &c. & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ. psal 91. psal. 35.

Quarta vtilitas: Hæc factorum consideratio, nedum vtilis est ad veritatis de Deo instructionem, verũ etiam ad errores circa Deũ excludendos, & destruendos. Etenim, errores, qui circa creaturam sunt, interdũ à fidei veritate abducunt, quatenus, veri Dei repugnãt cognitioni, quapropter, ipsius cognitio creaturæ ad errores circa Deum, destruendos, valde vtilis est. Quatuor autem præsertim errores sunt, circa Deum, ex creaturarum naturæ ignorantia, prouenientes. 4. vtilitas. D. Th. 2. cõt. gen. c. 3. Factorum considera tio errores circa Deum quatuor excludit.

Primus error est eorum, qui nihil supra corporalem creaturã æstimantes, asseruerunt aliquã creaturã, primã esse causam, Deumq; nihil vltra creaturas, quæ videntur, existimantes, sicut fuerunt illi, qui corpus quodcunquè Deum æstimauere, vt sap. 13. describitur Neque, operibus attendentes, agnouerunt, quis esset artifex, sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiã aquã, aut Solẽ, & Lunã rectores orbis terrarũ, Deos putauerũt. primus error. sap. 13.

Secundus error est eorum, qui ea quæ solius Dei sunt (vt creare, futura cognoscere, miracula operari, & id genus) creaturis ascribũt, quem errorem, ex creaturarũ ignorantia oriri, ex eo compertũ est, quoniam, quod alicuius natura rei, non patitur, ei non attribuitur, sicut si homini tres habere pedes ascriberetur. Et contra hũc errorem, inuehit sapientia 14. Incommunicabile nomen, lapidibus, & lignis imposuerunt. secundus error. sap. 14.

Tertius error est eorum, qui diuinæ virtuti in creaturas operanti, ex creaturarum ignorantia, aliquid detrahunt, sicut, exploratum est in his, qui duo rerum principia constituunt, & qui res, non ex diuina voluntate, verùm ex naturæ necessitate, à Deo procederet, asserunt, & illi etiã, qui res, vel omnes, vel quasdam, diuinæ subtrahunt prouidentiæ, aut eum non posse præter solitum naturæ cursum, operari, inficiantur; hęc enim omnia diuinæ derogant potestati, contra quos astruit Iob. 22. Quasi, nihil possit facere omnipotens, æstimabant eum. Et sap. 12. Virtutem enim ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consumatus. tertius error. Iob. 22. sap. 12.

Quartus error est eorum, qui ex gradus sui ordinis ignorantia, in vniuerso hominem, his subijci, quibus superior est, existimant, vt sunt illi, qui hominum voluntates, astris supponunt, contra quos dicitur Hieremiæ 10. A signis Cœli, nolite metuere, quæ gẽtes Quartus error. Hier. 10.

timent;

timent; & illi, qui Angelos, animarum creatores faciunt; & animas hominum esse mortales; & si qua similia, hominum derogant, dignitati.

ad fidei veritatem multum confert creaturarũ cognitio.

Hinc compertum est, falsam esse quorundam sententiam; qui asserebant nihil ad fidei veritatem interesse, quid de creaturis quisq; sentiret, dummodo circa Deum rectus sit sensus; vt D. Augustinus in libro, de origine Animæ narrat. Nam error circa creaturas, in falsam de Deo scientiam redundat, & hominum mentes à Deo, in quem fides nititur dirigere abducit, dum ipsas quibusdam alijs supponit causis. Et ideo illis, qui circa creaturas, errant, pœnas sicut infidelibus, sacra comminatur scriptura, asserens in psal. 27. Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum, destrues illos, & non ędificabis eos. Et sap. 2. Hec cogitauerunt, & errauerunt, & subiungit. Non iudicauerunt honorem animarum sanctarum.

error circa creaturas in falsam Dei scientiam redundat.

psal. 27.

sap. 2.

Quò ad ordinem, hoc in opere, obseruatum sciendum est, Theologum, & Philosophum creaturas considerare, alio tamen, & alio modo. Philosophus enim, & Theologus naturalis, creaturas considerat, inquantum creaturæ sunt, & secundum illa, quæ eis secundum propriam conueniunt naturam: sacer autem & supernaturalis Theologus creaturas contemplatur, quatenus diuinam representant altitudinem, in ipsumquè Deum quoquomodo ordinantur, vt ex Eccl. 42. exploratum habemus, hæc aurea decantante, verba. Gloria Domini, plenũ est opus eius: Nõne Dominus fecit enarrare sanctos, omnia mirabilia sua? Subinde, si que, circa creaturas à Philosopho, & sacrosancto Theologo considerãtur, per alia, et alia principia, traduntur, & considerantur; etenim Philosophus, ex proprijs rerum causis, assumit argumentum; sacer autem Thologus ex prima causa vt puta, quia sic diuinitus traditum est, vel quia hoc in Dei gloriam cedit, vel quia Dei potestas infinita existit, quapropter, hæc sacrosancta sciẽtia maxima sapientia appellanda est, vt potè semper causam conspiciens altissimã, vt asseritur Deut. 4. Hæc est sapientia vestra, & intellectus coram populis. Et propter hoc, sibi quasi principali humana Philosophia deseruit, quocirca interdum ex humanæ principijs Philosophiæ ista diuina sapientia procedit, & hac de causa, omnes humanæ scientiæ istius diuinæ sapientiæ ancillę nuncupantur, vt Prou. 9. decantatur: Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem. Exinde etiam est, vt vtraq; doctrina, non eodem procedat ordine: nam in sacrosancta Theologiæ doctrina, prima est Dei consideratio, & postmodum creaturarum, cum creaturæ in ordine ad ipsum Deum considerentur: in doctrina verò primæ Philosophiæ, seu naturalis Theologiæ, quæ creaturas secundum se contemplatur, & ex eis, in Dei cognitionem perducit, prima est consideratio de creaturis, vltima de Deo: qua de re iure optimo

D. Tho. 2. con. gẽ. c. 4. Theologus sacer, & naturalis Theologus alio, & alio modo creaturas cõsiderant.

Eccl. 42.

Deut. 4.

oẽs humanę sciẽtiæ sunt ancillæ sac. Theologiæ.

Prou. 9.


diuersus ordo sacræ Theologię, & Aristotelicę

sacra Theologia à Deo exordium sumit.

Theologia Arist. initium sum. ex creaturis.

timo primò in primo lib. de Anima humana, ſubinde, in ſecundo lib. de Intelligentijs, & vltimò, in tertio, & poſtremo lib. de Deo cõtemplati ſumus. Sicut itaque ſanctus Thomas Aquinas primus Theologiam ſuper cęleſtem arte mirabili ordinauit; ipſam in tres partes diſtinguens: In prima de Deo diſſerens: In ſecunda de motu rationalis creaturę in Deum: In tertia de Chriſto Domino qui, vt homo, nobis via eſt in Deum tendendi: quę omnia ita ordine digeſſit mirifico, vt verè ſit lumen vniuerſalis Eccleſię fulgentiſſimum, Viuus diuinæ voluntatis interpres; quem Deipara Virgo cum ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo oretenus certum de vitæ, & ſcientiæ integritate reddiderunt; & cuius doctrinam Chriſtus Dominus ſub imagine Crucifixi viuæ oraculo vocis cumprobauit, in hęc verba; Benè ſcripſiſti de me Thoma; Pari modo & ego minimus Philoſophorum, & Theologorum, indignuſque eius diſcipulus Theologiam Ariſtotelis Peripateticorum Principis ordinaui (ni fallor) primus, longè certè inferiori ordine; ſum tamẽ (vt potui) ipſum meum ſanctiſſimum doctorem imitatus, ipſam in tres diſtinguens libros; ſemperquè eius ordinem ſum ſequutus.

Sõma D. Thō. Laus. Pariſienſis vniuerſitas. Clemens VIII. Iulius III. Pius V.



THEOLOGIÆ ARISTOTELIS.

LIBER PRIMVS.

Auctore Fratre Hieronymo Caprędono Soncinate Sacræ Theologiæ Magistro Ordinis Prædicatorum.

DE IMMORTALITATE ANIMÆ Humanæ ad aures Aristotelis.


RATIONES FALSAE SVADENTES ANImæ humanæ mortalitatem ad aures Aristotelis.

Caput Primum.



CVM instituerimus pertractare de potẽtijs animæ intellectiuæ, & de eius cognitione, tã coniunctę, quam separatæ, verùm, separatæ prępsertim, ad mentem Aristotelis, operę pretium est, primò omnium, eius immortalitatem, ad ipsius aures statuere: circa quam, tria præcipuè agenda sunt. Primò adducendæ sunt authoritates, & rationes, quibus, nonnulli existimant Aristotelem, animæ humanæ, tenuisse mortalitem; inter quos præcipuus est Caietanus, cum Alexandro Affrodiseo, & Pomponatio. Secundo demonstrandum est, Aristotelem tenuisse animæ nostræ immortalitatem. Tertiò rationibus aduersariorum, satisfaciendũ est.

Quo ad primum Gaietanus tertio de anima duabus vijs præcipuè procedit ad ostendendum, ad mentem Aristotelis, animæ humanæ mortalitatem. Prima via ad operationem spectat, & in propriam habere operationem consistit; & hanc docuit Aristoteles primo de anima tex. 12. & 13. & hunc in modum arguit Caietanus: Aristo. in proœmio de anima, loco nunc citato, hoc, ponit fundanmentum, ad inquirendam animæ mortalitatem, vel immortalitatem. Si anima propriam habet operationem, est separabilis; si autem non habet, minimè est separabilis. Secundò ibi declarat, quid sit, animam, propriam operationem habere, & duo dicit. Primum, Intelligere maximè assimilari proprio, non autem asserit, ipsum intelligere esse propriam operationem. Secundum affirmat, duo requiri ad hoc, vt operatio intellectus sit propria, alterum, *vt non sit phantasia*; alterum, *vt sit sine phantasia*, vbi apertè docet, ad hoc, vt intelligere, propria sit operatio, vnam requiri negationem, scilicet, vt intelligere nõ sit phantasia; & vnam affirmationem, vt sit sine phantasia idest per organum corporalem non exerceatur. Ex qui-



bus verbis, colligitur apud Aristo. propriam operationem, includere corpus, & vt organum, & vt obiectum, secundum ipsius verba. Tertio Aristo. tertio de anima, tex. 38. 39. docet, intelligere nostrum, non esse sine phantasia, vnde in tex. 30. ita scribit. *Nequaquam sine phantasmate intelligit anima*; & in tex. 39. ita asserit: *Sed cum speculetur, necesse simul phantasma aliquod speculari*; Ex istis tribus assertis, sic format Caietanus suam rationem. Si anima, propriam non habet operationẽ, est inseparabilis à corpore, & mortalis; si autem propriã operationem habet, à corpore separabilis est, & immortalis; at anima propriã non habet operationem, igitur anima nõ est à corpore separabilis, & est mortalis. Prima propositio, ex primo dicto comperta est. Secunda autem, ex secundo, & tertio assertis, hunc in modum ostenditur. Propria animæ operatio, est quando sine organo, exercetur, corporeo, & sine corpore, vt obiecto, vt ex secundo asserto notum est; sed animæ humanæ operatio, non exercetur sine corpore, vt obiecto, vt ex secundo dicto, manifestum est; igitur anima humana, propriam non habet operationem.

Secunda via sumitur ex separatione existentiæ, seu reali, animæ à corpore separatione vel non separatione. Et pro huius intelligentia, Caietanus quandam, supponit distinctionem de intellectus separatione, quæ talis est. Intellectus noster trifariam potest intelligi immixtus, seu separatus à corpore, videlicet quidditatiuè, perfectiuè, & existenter. pro cuius claritate sciendum est, sicut contingit rem aliquam esse naturalem, seu physicam trifariam scilicet quidditatiuè, perfectiuè, & existenter, ita per oppositum trifariam accidit, rem aliquam, negari esse, naturalem, seu physicam scilicet quidditatiuè, perfectiuè, & existenter, verbi causa affirmamus, spheram, non esse physicam quidditatiuè, quoniam non includit in sua formali ratione, seu quidditate materiam sensibilem: itidem, asserimus, spheram non esse physicam perfectiuè, eò quoniam, non est de ratione spheræ, vt sit materiæ sensibilis perfectio: veluti per oppositum, astruimus, esse de animæ ratione, vt sit perfectio corporis sensibilis; non tamen asserimus, spheram non esse ens physicum, quandoquidem, sphera non potest nisi in materia sensibili, reperiri. Quo circa, notandum est, pari passu, trifariam contingere, intellectum, esse corpori immixtum, seu à corpore separatum, videlicet quidditatiuè, seu formaliter, perfectiuè, & existenter, & Aristoteles probat in 3. de anima, tex. 4. & 5. intellectum esse à corpore quidditatiuè, seu formaliter, separatum, ex hoc, quoniam, omnia cognoscit, vnde, ipsum diffiniuit, dicens, nullam esse naturam, sed tantum esse, intellectum, animæ, possibilem. Probauit etiam in tex. sexto esse immixtum corpori perfectiuè, ex hoc, quia, si non esset corpori immixtus, tunc fieret calidus, aut frigidus. Verùm, Aristot. non ostendit intellectum, esse corpori existenter immixtum, immo, oppositum asseruit, affirmando, intellectum, esse corporis, actum, realiter, seu existenter, docens primo de anima text. 13. talibus verbis. *Si verò, nullum est proprium ipsius, non vtiquè erit separabilis; sed sicut recto, inquantum rectum, multa accidunt, vt tangere æneam spheram, secundum punctum; non tamen tanget ab hoc seperatum rectum. Inseparabile enim, siquidem semper, cum quodam corpore est*. Ex quibus verbis, iuxta Caietani interpretationẽ, colligitur intellectum, esse à corpore, separatum; sicut sphera est à materia sensibili separata, ac per hoc, sicut sphera formaliter à sensibili materia separata est, non tamen realiter, seu existenter, ita intellectus est quidditatiuè, seu formaliter à corpore separatus, non tamen realiter, seu existenter: & sicut spheræ formaliter sumptæ, attribuitur, tangere rectum in puncto, & tamen realiter, nulla, inuenitur, sphera, tangens rectum

ctum in puncto, quandoquidem non inuenitur sphera, nisi lignea, ferea, lapidea &c. ex quo sequitur, non posse realiter, rectum, in punctum, tangere, ita, animæ humanæ formaliter sumptæ, conuenit intelligere; omnia veruntamen, non inuenitur aliqua anima, quæ, omnia intelligere possit.

Ex his omnibus considerandum est, Caietanum, talem de intellectu possibili, colligere distinctionem, hanc difficultatem, ad ipsius mentem, determinantem. Intellectus possibilis, bifariam considerari potest, vno modo, vt intellectus est, alio modo, vt res quædam est. Si consideretur intellectus possibilis, vt intellectus est, formaliter & quidditatiuè, sic est à corpore separatus; si autem consideretur, vt res quædam est, non est realiter, seu existenter separatus à corpore.

Ex istis omnibus, ita formatur ratio, sumpta ex seperationis, vel non separationis à corpore, via. Sicut sphera, est à sensibili materia separata: ita intellectus est à physico corpore, separatus; sed sphera est separata tantùm formaliter, & perfectiuè à materia sensibili, non autem realiter, seu existenter, ergo & intellectus possibilis, est à physico corpore, separatus. Prima propositio desumitur ab Aristot primo de anima loco citato scilicet tex. decimotertio; secunda autem propositio relinquitur tanquam ab omnibus, concessa.

Istis duabus rationibus, duas, annectit, authoritates, animæ humanæ mortalitatem, ad mentem Aristot. persuadentes. Prima est ex primo Ethi. vbi affirmat, *homines non esse fęlices simpliciter, sed vt homines*. Secunda authoritas desumitur ex. duodecimo. Metha. tex. 29. ubi sic ait. *Deductio, qualis optima nobis paruo tempore; illis autem*, scilicet intelligentijs *perpetua est, & continua*. Ex istis duabus authoritatibus, hunc in modum, argumentatur. Communis animi conceptio est, vt quemadmodum creditur, hominem, habere intellectualem naturam, ita & beatitudinem, & ideo qui ponunt partem substantialem hominis esse æternam, ponunt consequenter in ea capacitem fęlicitatis æternæ, & simpliciter; qui autem, partem hominis substantialem, non esse intellectualem simpliciter ponunt, consequenter, ponunt, hominem non esse fęlicitatis capacem, nisi secundum quid, & ad tempus; sed Aristote. vt manifestum est, ex inductis authoritatibus, ponit hominem esse capacem fęlicitatis, solummodo secundum quid, & ad tempus; igitur non ponit, partem hominis substantialem, esse simpliciter intellectualem; sed tantum secundum quid.

Rationes Pomponatij quibus nititur suadere ad mentem Aristo. animæ mortalitatem.

Cap. 2.

PEtrus Pomponius, duos confecit libros, quorum alter, plura continet argumenta, quibus nititur ostendere, Aristot. sustinuisse, animæ mortalitatem; alter est contra Augustinum Niffum, eandem falsitatem sustinens, quæ argumenta nolo omnia adducere; sed tantùm magis apparentia, & quæ non fuerunt à Caietano adducta. Et primo adducemus argumenta primi libri; secundo secundi libri.

Primum Argumentum. Si anima humana, est immortalis, quando erit separata non poterit intelligere, per conuersionem ad phantasmata, vt nunc intelligit; igitur duos, habet, modos intelligendi, scilicet per conuersionem ad phantasmata, & sine conuersione ad phantasmata; sed hoc Aristot. doctrinæ repugat, ergo, &c. Secunda propositio ita ostenditur. Modi operandi, sequuntur essendi modos,

igitur si anima haberet, duos intelligendi modos, haberet etiam duos essendi modos; verùm hoc est impossibile, quoniam, vnius essentiæ, est etiam vnus essendi modus, cum modus essendi, rei essentiam sequatur; sed anima coniuncta, & separata, est vna numero; quo circa, vnam tantum habet essentiam, ergo etiam vnum, tantum essendi modum, habet.

Secundum. Si ex intelligere, tanquam ex propria operatione, animæ immortalitatem simpliciter, concludere volumus, ergo magis apparebit mortalis, ex hoc, quia, vegetat, & sentit; consequutio probatur; quia, plures operationes, ipsam mortalem, demonstrant; & cum denominatio fiat à superabundantiori, vt dicitur sexto Phy. ipsã esse mortalem simpliciter, & non immortalem, concludi poterit.

Tertium. Homines, minùs sunt intellectuales, quàm sensitiui, igitur anima est simpliciter mortalis. antecedens probatur, tum quia, pauci, intellectualem habent operationem; & qui habẽt, eam habent valde debilem, obscuram, & incertam, tum quia pro minori parte sunt, qui, secundum rationem viuunt; nam vt in pluribus, perfectas habent operationes vegetatiuas, & sensitiuas, & passionibus ducti, operantur.

Quartum. Anima in omni suo opere, a corporali organo dependet, igitur est materialis, & mortalis. consequutio est manifesta. antecedens ostenditur, ex animæ diffinitione. *Anima est actus corporis, physici, organici*, ergo in omni suo opere, ab organo corcorporali, dependet. Et si aliquis respondeat, animam quantum ad intellectum, non esse corporis actum, eo quoniam, intellectus non est alicuius corporis, actus, vt dicitur in tertio de anima tex. quinto. Cõtra hãc responsioné, sic arguitur. Si intellectus non est alicuius corporis actus, ergo anima intellectiua, non est anima. consequens est contra D. Thomam, asserentem, animę diffinitionem, animæ intellectiuę etiã conuenire: consequentia probatur; quia secundum te, anima vt intellectiua, non est alicuius corporis actus.

Quintum. Aristo. 3. de anima in cap. de intellectu agente. Cum asseruisset vtrunque intellectum, esse immortalem, & separatum, ait postmodum; *sed hic intellectus*, scil. Agẽs, *verè est qui est immortalis; & semper intelligens; ille verò*, scil. possibilis *cum quandoque intelligat, quandoq; non; corrumpitur enim quodam interius corrupto*, ergo si intellectus possibilis, qui est intrinsecus animæ, corrumpitur, necesse est etiam, vt substantia animæ, corrumpatur.

Sextum. Si anima intellectiua est incorruptibilis ergo non est humani corporis forma; hoc autem est contra animæ diffinitionem: igitur & antecedens; consequentia bifariàm probatur. Primo si est incorruptibilis, ergo est hoc aliquid, & per se subsistens; at, hoc aliquid, & per se subsistens, minime potest esse corporis actus, eo quoniã actus est, quo aliquid est, & non est quod est, ergo si anima est incorruptibilis, non est actus, seu forma corporis. Secundo si anima est per se subsistens; igitur, esse proprium habet, & tunc, quęritur de hominis esse, quod distinctum ab esse animæ, ponitur, quid sit illud hominis esse; & quid corrumpitur, quando homo moritur.

Septimũ. Si animà remanet post corpus, cũ, ociosa esse nõ possit, & nõ possit intelligere cum phantasmate; ergo sine phantasmate intelliget; hoc autem est impossibile, ego post corpus, non remanet. Quod autem secundum Aristot. doctrinam, non possit anima, sine phantasmate, intelligere, quadrifariam ostenditur. Primo Intelligentia non potest habere modum intelligendi animæ humanæ, ergo nec intellectus humanus, modum intelligendi intelligentię, habere potest; sed intelligentia sine phantasmate intelligit, ergo humanus intellectus, minimè potest sine phantasmate intelligere. Secundò si operationes trans-

transmutatur ergo, & naturæ transmutarentur; ex consequenti, humanus intellectus in intelligentia transmutaretur, qđ omninò impossibile est. Tertio. Essentialis operatio, à permanente natura, nunquam separatur; at intelligere cum phantasmate, est essentiale animæ humanæ, cum perfectionem essentialem, & naturalem, à sensu acquirat, igitur iste modus, pro quocunque statu, ab anima humana, separari non potest. Quartò; Aristoteles aliquam intelligentiam, non posuit, sine corpore, cui, sicut, moto applicaretur; idcirco in 12. Metaph. ex numero motuum, numerum intelligentiarū, venatur, ergo multo minus, concederet, animam, sine corpore, existere, cum sit minus abstracta.

Hæc sunt argumenta, quæ sumpsimus ex suo libro de mortalitate animæ ad mentem Aristo.

Rationes desumptæ ex libro contra Niffum. *Cap. 3.*

QVò autem ad argumenta ex libro contra Augustinum Niffum Suessanum, desumpta, sunt quatuordecim.

Primum. Si anima est ęterna, & potentias habet materiales scilicet vegetatiuas, & sensitiuas, & potentias immateriales scilicet intellectum, & voluntatem, cum secundum Aristo. resurrectio minime detur, ergo dantur potentiæ sensitiuę, perpetuò, suis priuatæ, actionibus, quoniam istæ potentiæ, suas actiones non exercent, nisi per corporale organum, hoc autem videtur irrationabile; quapropter, opposita opinio, videtur esse rationabilior.

Secundum. Si anima est forma naturalis, vt opinatus est Aristot. ergo & solo diuino miraculo, sine corpore cuius est forma, stare potest, immo hoc est maius miraculum, quàm vt accidens stet sine subiecto; quia ex anima, & corpore fit vnum per se, ex subiecto autem, & accidente, fit vnum per accidens; sed indissolubilius est, quod est vnum per se; quàm id quod est vnum per accidens; sed Arist. huiusmopi miracula nō admittit, igitur, nec animā nostrā, esse immortalem, sensit.

Tertiū. Si, humana anima, post corpus remanet, igitur, tunc est substantia abstracta, secundum esse; at hoc falsum est: consequentia est nota; & probatur falsitas consequentis. Quæ sunt abstracta secūdum esse à physico, vt principia sunt, cōsiderantur, vt patet, 8. Physi. sed humana anima à Physico consideratur, non solum vt principiū, verū etiā vt forma, & quidditatiuè, igitur humana anima, nō est secundum esse, abstracta.

Quartū. Inter appetitū rationalē, & sensitiuū, est magna pugna vicissitudinalia victoria, hoc autē, minimè pōt esset, in abstractis à materia, in quib. est pax, & perpetua concordia; nā, si, in eis esset, aliqua repugnātia, haud æterna possent esse: igitur anima intellectiua, nō est simpliciter immortalis, & æterna.

Quintum. Si anima esset simpliciter separabilis, & immortalis, igitur, operationem sine sensu haberet: sed in hoc reclamat Arist. asserēs. 3. de anima, tex. 20. *Sine intellectu passiuo, nihil anima intelligit.*

Sextum. Si anima est incorruptibilis, ergo extrinsecùs aduenit: hoc aūt est falsū, secundū Arist. doctrinā. cōsequentiā admittūt aduersarij: falsitas aūt consequentis, sex suadetur medijs. Primo. Si extrinsecùs aduenit, ergo priùs existit extra corpus, antequā informet ipsum corpus. consequētia colligitur, quoniā, non est intelligibile, aliquid, ab extrinseco, alicui aduenire, nisi priùs intelligatur existere, quā illi aduenìat. Secūdo. Cum anima corpus informet nō priùs informabit, quā sit, quoniā informare, præsupponit esse, quodquidē esse, ex quo, à corpe non depēdet, si aduenit extrinsecè, est priùs in se, quā informet: & per consequēs, anima ipsa præcedet corpus. Hoc aūt non concedit Aristo. quoniā in. 12. Metha. negat formā præcedere id, cuius est forma, ad discrimē causæ agētis quocirca vel aïa humana, nō est corporis forma, & sic cades in errorem cōmenta-

toris, vel non est ab extrinseco, adueniens. Tertio si, anima, ab extrinseco non aduenit, ergo, non est in potentia materiæ. Hoc autem est falsum. Consequentia, sic, ostenditur. Si non est in potentia materiæ; igitur non est constituta in esse, per subiectum; sed potius subiectum constituitur, in esse per ipsam, ergo de necessitate, ipsum subiectum præcedit, sicut intelligentia, orbem. Quarto. Si anima venit ab extrinseco; ergo est completa in se, nam si venit ab extrinseco, habet esse per se, & operationem per se, igitur cum humano corpore non facit vnum per se. Consequentia probatur, quoniam, hæc est conditio eorum, ex quibus fit vnum per se, ex 8. Mathaphy. vt vtrumque sit in potentia, & neutrum stet per se. Quintò. Si, anima extriniecùs aduenit, ita se habebit humanus animus, ad hominem, sicut intelligentia, ad orbem; quo dato, cur non ita plurificantur intelligentiæ, in eadem specie; sicut animę plurificantur? Et si dicatur, animam humanam, ideo plurificari in eadem specie, quoniam, licet, à copore non dependeat, habet tamen, necessariam habitudinem ad corpus, vt ad suum informabile, hanc autem habitudinem, non habet intelligentia, ad suum orbem; & ideo non potest in eadem specie, plurificari, vt anima plurificatur; verum hoc, non proficit; quia secundum Aristo. intelligentia, talem habet necessariam habitudinem, ad orbem, quoniam, informat ipsum, & non potest, non informare, cum in ęternis nihil contingens, reperiatur. Sextò. Si extrinsecùs aduenit ergo, non est de potentia materiæ, deducta; tunc vltrà ergo, necessariam habitudinem, ad materiam, minimè habet; tunc vltra ergo, non diffinitur essentialiter per corpus physicum, hoc autem est contra Aristot. 2. de anima, & 7. Metha. vbi docet, animam, accidentia, & reliquas formas, diffiniri per subiectum.

Septimum. Verè immortale, non potest esse, nutritionis, augmenti, & sensationis, formale principium, at humana anima est nutritionis, augmenti, & sensationis, principium formale, cum sit eadem anima nutritiua, & intellectiua; igitur non est verè immortalis.

Octauum. Non est apud me, intelligibile, quid recipiat anima, ex materia: ita quòd possit stare, sine materia, non tamen sine materia produci, ut dicunt aduersarij; nam quod dicitur de aqua congelata, in aliquo vase, quæ vt, illam, recipiat, formam, vase indiget; sed fracto vase, adhuc in illa figura, remanet, hoc in proposito, minimè valet; etenim constat, quòd aqua, à vase, illam recipit formam, & terminationem; verum quid, anima, ab illa materia recipiat apud me, non est satis intelligibile, non enim substantiam recipit, quia non formam, non materiam, non compositum, neque accidens recipit, quoniam non est accidens absolutum, non respectiuum, vt patet intuenti, ergo, &c.

Nonum. Si anima, post mortem, intelligit; ergo potest amare; consequutio probatur: quia appetitus, cognitionem, sequitur. Huic autem reclamat Aristot. primo de anima tex. 65. qui ab anima post mortem remouet intelligere, propter, intellectus passiui corruptionem, & per consequens, omnem actum appetitium, vt amare, & desiderare.

Decimum. Si ad hominis interitum, non interit anima, ergo à generante homine non generatur homo; igitur generatio hominis, non est vera generatio; nec corruptio, vera corruptio, & termini transmutationis non essent vniuersaliter, habitus, & priuatio, quod contradicit Aristoteli primò Physicorum.

Vndecimum. Si anima fortis per infinitum tempus non fuit, & postea incepit, & nunquam deficiet, postquàm incepit esse; igitur & mundus, per infinitum tempus potuisset non fuisse; & postea incipere esse, & nunquam desinere

nere, hoc autem repugnat Aristo. 8. Physicorum, primo de cęlo, secundo de generatione, & 12. Methă. consequentia probatur. Apud Aristo. idem iudicium est, de toto, & de partibus; nam si totum fit, & partes fiunt; & si partes non fiunt, nec totum fit; sed anima est mundi pars, ergo si anima Sortis, non semper fuit, potuit & mundus non semper fuisse.

Duodecimum. Si anima est incorruptibilis, & forma dans esse homini, & hominum generatio, est æterna, vt compertum est, ex locis supra immediatè citatis, ergo animæ humanæ, à corporib. separatæ, sunt actu infinitæ: consequutio probatur. Si mundus est æternus, infiniti homines decesserunt; igitur tot animæ separatæ sunt, quot homines defecerunt; ergo infinitæ in actu sunt; at Aristo. 3. Physi. negat infinitum in actu, tam secundum magnitudinem: quam secūdum multitudinem, ergo anima est mortalis.

Decimumtertium. Si anima, post corpus remanet, cum sit imperfecta vt potè pars extra totum, aut stabit in æternum, extra corpus, aut dabitur, naturaliter, mortuorum resurrectio; sed neutrum admitteret Arist. ergo anima post corpus, non manet. Secunda propositio, quo ad vtramque partem, ostenditur. Primā partem non admitteret quia daretur violētum perpetuum, quod est contra id, quod docet secundo de cœlo text. 18. vbi asserit, nullum violentum, perpetuum: sed animam à corpore separari, est violentum. Deinde, si anima per tam momentaneum tempus, est in corpore, & per infinitum tempus extra corpus, tunc corpus se habebit ad animam magis accidentaliter, quam sessio hominis ad hominē, & gladius ad gladiatorē & enim aliqua proportio, est inter sessionem, & hominem, & inter gladium, & gladiatorem, eo quia, inter finitum, & finitum, est aliqua proportio; nulla autem proportio, est inter animā extra corpus, & animam in corpore; eo quoniam inter finitum, & infinitū nulla est proportio. Secunda pars autem aperta est, quia secundum Aristot. à priuatione ad habitum, nulla est regressio.

Decimumquartum. Si anima est immortalis, ergo de nouo creatur; sed hoc contradicit Aristo. 8. Physi à tex. sexto, vsquè ad tex. 13. vbi demonstrat, Ab agēte æterno, qualis est Deus, & a voluntate antiqua, effectum nouum non posse prouenire, sine ipsius agentis æterni, mutatione.

Duo Scoti Argumenta, supradictam falsitatem, suadentia. Cap. 4.

SCotus ante illos viros, 4. Sen. d. 43. q. 2. sustinens Aristo. declinasse ad hāc partem, scilicet animam humanam esse corruptibile, duo adducit loca. Primus locus est 7. Methaph. text. 60. vbi ponit, omnes partes, quæ remanere possunt, à toto, separatæ, & dicit esse elemēta, hoc est, partes materiales, ergo apud ipsum, forma nō potest remanere à toto separata. Secūdus locus est primo cęli tex. 102. vbi arguens contra Platonē ostendit, nihil quod incepit esse, incorruptibile esse; sed anima intellectiua incepit esse, ergo non est incorruptibilis. Et, si, aliquis responsum adhibeat, Arist. sermonem habere de eo, quod incepit esse per generationem, & transmutationem; & tunc negamus animam intellectiuā, incipere esse per generationem, seu trāsmutationē: incepit enim esse per creationē, seu per simplicem emanationē. At hæc respōsio videtur è diametro repugnare mēti Aristo. eo loci. Cum enim instituisset, manifestare ingenitū, & incorruptibile, conuerti cū sempiterno, declarat: quonā pacto, ipse accipiat ingenitū, & incorruptibile, & ait, in tex. 125. *Ingenitū dici, quod nunc est, & prius non erat verum dicere, non esse.* Deinde in sequentibus ostēdit; ingenitū, & incorruptibile, hoc modo, esse conuertibilia: quapropter secundū Aristo. quod est incorruptibile, non solum non incepit esse, per trāsmutationē sed etiā nullo modo habuit nō esse, ante

esse. Istis additur quædam Aristo authoritas primo de anima tex. 66. quo in loco, docet, *intelligere corrumpi, quodam interius corrupto;* tūc sublumitur alia ꝓpositio, ab omnib. cōcessa; sed phātasia, corrupto corpore, pari passu, & ipsa corrūpitur, ergo, & intelligere corrūpitur: at humana anima nō potest stare in quocūquè statu, sine intelligere, ergo corrupta est post corporis corruptionē. Hæc sunt satis quo ad primum.

Animam humanam esse immortalem, ad mentem Aristo. vna ratione demonstratur. Cap. 5.

QVo ad secundum principale duo agenda sunt primo demonstrabimus ad aures Arist. per ipsius verba, animam humanam, esse immortalem. deinde modum intelligēdi ipsius animę humanæ separatę, ostendemus.

Quo ad primum, Ista sit ratio prima. Ex primo de anima tex. 12 docet Arist. Si animā propriā habet operationē est à corpore separabilis, ac per hoc est immortalis; at, anima humana ad mentē Arist. propriam habet operationē, igitur est à corpore separabilis, & immortalis. Minor propositio hoc modo demostratur. Illa animæ operatio. cui non cōmunicat corpus, vt organū est propria ipsi animæ: sed intelligere. est animæ humanæ operatio, cui corpus, vt organum nō communicat; igitur anima humana propriā operationē habet. Minor propositio huius prosyllogismi est Aristo. 3. de anima tex. 4. 5. & 6. & est ab aduersarijs cōcessa, quo circa tota difficultas, circa maiorē huius prosyllogismi versatur; etenim aduersarij eā inficiatur, & præcipuè Caieta. idcirco asserūt, propriā animę animę operationem, excludere corpus; nō tantū vt organum; verū etiā, vt obiectū: & ideo probatur ad mētē Arist. hoc modo. Eodem modo accipitur propriū ab Arist. quo modo opponitur cōi, in quæstone posito, cū in quęstione ponantur cōmune, & proprium, vt opposita; sed cōmune in quæstione positū, accipitur, vt conuenit, animę, & corpori, vt organo tantum, ergo propriū animæ sumitur, vt ipsi animæ conuenit, absq; corpore, vt organo solū. Minor huius syllogismi demostratur, tū verbis ipsius Arist. tū ratione. Nam Arist. in tex. 12. proponens quæstionē, an humana anima, cōmunē, haberet, operationē, eam proponit per hæc verba. *Dubitationē autē habent, & passiones animæ. Vtrum sint communes, & habētis, an sit aliqua, & animæ propria, ipsius.* Ex quibus verbis, apertè colligitur, Aris. accipere cōmunē animæ passionē, quæ est, & ipsius animæ, & habētis. At cōmuni etiā est, nomine habentis, intelligi ipsum corpus, vt organū tantum, cui potētia animę est affixa; nō aūt vt obiectū, cū organum, propriā habeat potentiā; obiectū autē, nequaquā potentiā habeat, igitur propriū animæ accipitur; vt cōuenit soli animę; nō autē sibi, & habenti, siue organo: igitur non accipit Arist. propriū, vt excludit corpus, vt obiectū; sed vt excludit corpus, vt organū, seu vt instrumētum. Cum itaq; ex mota dubitatione, deducat tex. 13. hāc cōditionalē, s. *si quidē igitur est aliquid animę operum, aut passionū, proprium, continget vtiq; ipsam separari sic*, accipit propriū animæ, vt excludit corpus, vt organū tantū; non autē vt obiectū. Quapropter cū mouet q̄stionē Arist. vtrum animę passiones, sint cōmunes, & habētis, exponit illud verbū, & habētis, quid intelligat nomine cōis operationis explicat illā dici cōmunē operationē, quæ cōuenit animæ, & habēti, & per consequēs illa est propria operatio, quæ tantū excludit habēs ipsam operationē: modò cōstat, obiectū nullo modo habere operationē: sed eā habere solū organū, & ideo oculus, qui est potētię visiuę organū, dicitur, videre, color aūt, qui est obiectū nullo modo dicitur videre. Secūdo ostenditur ratione, illa supradicta minor. Dato, sed nō concesso, operationē ad hoc, vt sit cōis, requirere corpus, non tātū, vt instrumentū: sed etiā, vt obiectū: non tamē sequitur ad hoc vt operatio sit propria, ipsā excludere vtrūquè, eo quoniam quandocunqe, duæ

conditiones exiguntur ad alicuius veritatem, dum vna sola deficit, non amplius, illud verum est, vt compertum est in artificialibus. Etenim ad construtionem domus requiruntur; fundamētum paries, & tectum, attamen deficiente tecto solummodo amplius non est domus. Similiter in naturalibus; nā ad hominis veritatē, requiruntur corpus, & anima, & tamē corrupto corpore, amplius non est homo. Pari modo, licet, ad veritatem cōmunis operationis, requireretur corpus, vt organum, & vt obiectum, si deficiet organum non sequitur, vt operatio sit communis, igitur erit propria.

Aliæ tres rationes, animæ humanæ immortalitatem, ad mentem Aristo. demonstrantes. *Cap.* 6.

SEcūda rō desumitur ex primo de aīa tex. 15 quo in textu, cōcludit Arist. quasdā esse operationes animæ, q̄ sunt coniuncti operationes; quapropter Physicæ considerationis est, determinare de anima, aut omni, aut huiusmodi. s. quæ est organo affixa: Ex quib. notū est, Aristo. existimasse aliq̄ animā esse, quæ non sit omninò à materia dependens; sed aliquā habens operationē, cui corpus omninò minimè communicat. Si. n. nō huius fuisset opinionis, hac distinctione, nequaquā vsus fuisset, videlicet esse de physica consideratione contemplari de anima, aut omni, aut materiali, seu organo affixa secundū oēm suā potentiā, verū asseruisset absolutè physici munus esse de oī aīa contēplari. Hanc eandē authoritatē astruit primo de aīalium partibus 1. c. vbi eandē determinans dubitationē, docet nō esse physici de omni aīa considerare; eo qm̄ tunc nulla esset phylosophia, præter scientiā naturalē, quia, tunc naturalis phylosophia, esset de omnib. qm̄. cū intellectus ut intelligibiliū intellectus, & eiusdē scientiæ sit cōsiderare de relatiuis, quæ mutuo referuntur ex consequenti naturalis phylosophia de intelligibilibus determinabit, & cōpertissimum est, Aris. habere sermonē de anima ꝓprie sumpta; igitur firmissimè tenuit, dari aliq̄ animam, materiam supergredientē, ac ꝑ hoc minimè corruptibilē ad corporis corruptionē. Et hæc ēt veritas colligitur apertè, ex alia rōne, ibidē ab ipso adducta; quia, ait ipse, t. ē, nullam à materia abstractam, posse phylosophiam naturalem cōsiderare; idcirco apud ipsum, intellectus est à materia abstractus, & ideo est incorruptibilis.

Tertia ratio extrahitur clarè ex secundo, de anima tex. 22. Nam postquàm inuestigauit de alijs animæ potentijs, num vnaquęq; sit, animæ pars, & vtrū sit, ab alijs potentijs separabilis, subiungit immediatè de intellectu, & perspectiua, *nihil adhuc esse manifestum; sed videtur genus alterum animæ esse, & hoc solum contingere separari, sicut perpetuum à corruptibili.* At supradicti phylosophi, tale dant responsum. Dictum Aristo. intelligendum esse solū de intellectu agente, solus enim intellectus agens separatur, sicut perpetuum à corruptibili; eo quoniam Aristo. posuit solum intellectum agētem, esse substantiam separatam, & incorruptibilem. Verùm hæc responsio luce meridiana clarius apparet esse falsa ex contextibus antecedentibus. Etenim cum conclusisset tex. 18. animam determinari vegetatiuo sensitiuo, intellectiuo, & motiuo, statim subiungit in text. 19. *quærendo an vnumquodque horum sit anima, aut pars animæ, & vtrum sit separabilis, sola ratione aut etiam loco,* ad q̄, dans responsum, cum asseruisset, de quibusdam horū minimè esse difficile; quædam verò, dubitationem habere, & manifestasset in quibus, hęc intueri facilè est, subsummit in quibus dubium est, astruens de intellectus, & perspectiua potentia, *nihil adhuc esse manifestū, &c.* Ex isto discursu clarè apparet in verbis adductis sermonem habuisse de intellectu, qui est virtus, & potentia animæ; nō autem de intellectu, qui est substantia separata, et sermonē habet de tota parte intellectiua, q̄ ab alijs (dixit) formaliter separari, & de qua, ne aliquis existimaret

sepa-

separari, sicut accidens, quod corrumpitur dum à subiecto separatur, subiungit, *Ipsum separari, sicut perpetuum à corruptibili.* Neq; illud verbum, videtur, sumitur dubitatiuè, vt docet eo loci Philoponus, sed significat idē, quod apparet, & clarum est, vnde vt ostendat se loqui de intellectu, quod est animę pars contra alias distincta, de alijs partibus subiungit, reliquæ autem partes animæ manifestum, ex ijs, quod sunt separabiles, vt quidā dicūt, ratione autem quod alteræ manifestum.

Quarta ratio desumitur ex 3. de anima, tex. 3. vbi ita scribit, *Intellectum esse impossibilem*, videlicet passione propriè dicta, & tex 6. & 7. asserit, *intellectū possibilem esse immixtum corpori, & non habere organum corporeum.* Ex quibus talis formatur ratio Forma non immersa materiæ, potentias habet, ipsam materiam superęgredientes, suasque operationes per organum corporale, minimè exercētes; sed anima humana potentias habet, materiam superęgredientes, suasque operationes per organum corporale, nequaquam exercētes, igitur humana anima non est forma, materię immersa, tūc vltra: At forma, materiæ non immersa, à materia non depēdet, quo circa, potest esse sine materia, ac per hoc, est immortalis quapropter, anima humana potest esse sine materia, & est immortalis.

Ad hanc authoritatem, respōdet Caietanus, Arist. sermonem habere de immixtione, seu separatione formali animæ intellectiuæ à corpore, non autem de separatione reali, & in essendo. Et ratio sua est, quoniam, Arist. diuersimodè attribuit separationē intellectui possibili, illis, in tex. allegatis, & intellectui agenti; Nam 3. de anima tex. 7. sermonē habens de intellectu possibili, absolutè affirmat, ipsum esse separatum; sic enim scribit (ponens discrimen inter partem sensitiuam, & intellectum possibilem) *sensitiuum quidem enim non sine corpore est, hic autem, separatus est.* Sermonē autem habens de intellectu agente, in tex. 20. non absolutè asserit, esse separatum, sed ait, quod *est separatus in eo, quod vere est*, quod Caietanus exponit, in essendo: ideo ait, ipse Caietanus, separatio intellectus possibilis, non est realis, seu in essendo, sed tantùm est formalis, seu secundū rationem, eo modo, quo Mathematicalia, dicuntur abstracta, à materia sensibili, secundum rationem, seu formaliter; separatio autē intellectus agentis, est realis, seu in essendo, vel quo ad existentiam.

Ad contra hanc responsionem, trifariā arguimus. Primo Maximum discrimen est, inter naturalia, formaliter sumpta, Mathematicalia, & Methaphysicalia, p Arist. 6. Metha. & p[…]ēs penè phylosophos, quòd Mathematicalia formaliter sumpta, abstrahūt à materia secundum rationem, seu diffinitionem, vel ēt formaliter, (hęc enim omnia idem significant) non autem abstrahunt realiter, seu in essendo; naturalia autem non abstrahunt secundum esse, neq; secundum rationē à materia sensibili, verum in sui ratione, materiā includunt sensibilem; Methaphisicalia autem, abstrahūt à materia, & secundum esse, seu existentiam, aut in essendo, & etiam secundum rationem; Anima autem intellectiua, nō est res Mathematica, similiter, neque intellectus possibilis, sed anima humana quidditatiuè sumpta, seù formaliter, est de consideratione phylosophi naturalis, vt etiam docet ipsemet Caietanus primo de anima Cap. 1. in illa quęstione; an anima humana sit de consideratione phylosophi naturalis, ex consequenti, non abstrahit à materia sensibili formaliter, vt vult Caietanus; similiter, intellectus possibilis, ex ea parte, qua est separatus, est res Methaphicalis, vt eo loci, docet etiā Caietanus; igitur etiam secundum esse, seu vt res quędam est, separatus est, secūdum rem à materia sensibili, nō autem solum modo formaliter, vt vult Caietanus hac in sua responsione.

Secundo hæc responsio expugnatur, ostendendo ex contextibus, Arist. loqui de separatione secundum rem, dum asserit, intellectum possibilem, esse à corpore

pore immixtum, & separatum. Nã Aristo. in tex. 3. affirmat intellectum possibilem, esse impassibilem, & in tex. 4. esse immixtum, & in tex. 7. esse separatũ. Et in tex. 19. loquens de intellectu agente attribuit easdem conditiones, sub eisdẽ terminis, ipsi intellectui agẽti; ait enim. *Et hic intellectus separabilis, & impassibilis, & immixtus, substantia actu ens, &c.* Tunc sic arguitur. Secundum Caietanum istæ conditiones, sub eisdem terminis arguũt realem separationem, seu in essendo in intellectu agẽte, ergo & in intellectu possibili. Consequentia probatur, quoniam ęedem conditiones sub eisdem terminis, vtrique intellectui attribuuntur, igitur, si in intellectu agẽte, realem arguunt separationem secundum Caietanũ, debent etiam in intellectu possibili, eãdem realem separationẽ arguere. Et ad suum motiuũ, videlicet Aristo. diuersimodè loquitur, de intellectu agente. &c. negamus, Arist. diuersimodè loqui, de intellectu agente, & de intellectu possibili, quandoquidem, cũ sermonem haberet in tex. 19. de solo intellectu agẽte, absolutè asseruit, ipsum esse, immixtum, impassibilem, & separabilem, nihil addendo; sicut etiam cum loqueretur de intellectu possibili, in textu 7. dixit absolutè, ipsum esse separatũ. Verbum aũt illud, videlicet, in eo, quod verè, apposuit in tex. 20. vbi amplius, minimè sermonem habebat, de solo intellectu agente, at de tota animę intellectiuę substantia, vt intellectiua est, vt ostendemus infra pertractantes de intellectu agente. Et illud verbum, in eo quod verè est, debet exponi, in eo quod est substantia; nam substãtia significat id quod verè est, vt patet primo Physicorum, textu 26. rationem soluens Parmenidis dicit. Quod verè est idest, substantia nulli inest, idest, nulli est accidens.

Tertio. Excluditur hæc responsio per dicenda in sequenti capite.

Duæ rationes ostendentes ad mentem Aristo. animæ nostræ immortalitatem. Cap. 7.

QVinta ratio. Aristo. scribit 3. de anima tex. 20. sermonem habens de tota parte intellectiua. *Separatus autem est hoc solum quod verè est, hoc solum immortale, & perpetuum.* ergo &c. Respondet Caietanus Aristotelem loqui, nõ de tota parte intellectiua; sed tantum de intellectu agente, vt apparet ex modo loquendi suprapositio à nobis, ad mentem ipsius, videlicet de intellectu possibili loquens ait, quod est separatus; loquens autem de intellectu agente nõ dicit, qđ est separatus; sed ait ita: Separatus autẽ est solum in hoc quod verè est, & per illam dictionem solum excluditur intellectus possibilis. Contra hanc responsionẽ ita illatur. Cũ rẽ à subiecto distinctã excludere volumus à prędicati cõsortio nõ vtimur dictione exclusiua, aduerbialiter ex parte pdicati, sed ex parte subiecti, veluti cũ volumus significare nigredinẽ nulli alio homini cõuenire secũdũ partem, puta faciem quàm Platoni, nõ dicimus, Plato est albus solum secundum faciem, quia hoc magis significat, Platonem esse nigrum totum nisi secundum faciem; secundũ quam est albus, verum asseruimus, sic, solus Plato est niger secundum faciem. & Aristoteles vtitur exclusiua dictione, aduerbialiter ex parte prędicati, astruendo quod intellectus est separatus, solum hoc quod verè est, non autem quod solus intellectus est separatus; igitur per hanc exclusiuam, nequaquàm intendit intellectum possibilem excludere, ab illo separationis modo, quo intellectus agens, est separatus. Quapropter, alio modo, ille tex. 20 intelligitur. Pro cuius intelligentia, considerandum est, nomen intellectus, posse bifariam intelligi, vno modo propriè, alio modo impropriè, nomen intellectus propriè sumptum, est virtus factiua, aut receptiua rerum immaterialium, & vniuersalium

&

& iste est intellectus, quē vocamus agentē, & possibilem, ij enim sunt intellectus propriè sumpti. Nomen autem intellectus impropriè sumptum, est virtus nequaquàm factiua, aut receptiua rerum immaterialium, & vniuersalium, sed tātum singularium, & ista est cogitatiua, quæ impropriè dicitur intellectus propter quandam participationem ipsius intellectus; format enim aliquo modo propositiones singulares, & aliquo modo discurrit circa singularia; qua de re ab Aristo. propter hāc rationem, appellatur in isto textu, intellectus passiuus quæ tamen virtus cogitatiua, impropriè est intellectus. Et Aristo. in verbis allegatis, sermonem habet de intellectu propriè sumpto, quando affirmat, ipsum esse immortalem, & perpetuum; quando autem astruit intellectum passiuum, esse corruptibilem, loquitur de intellectu impropriè sumpto, qui est cogitatiua. Et quod sermonem habeat de intellectu propriè sumpto, cum affirmat esse incorruptibilem, & perpetuum, explicat per illa verba, scilicet hoc quod verè est, vnde sensus omnium illorum verborum, separatus autem solum est intellectus verus, seu propriè dictus, & iste immortalis, & perpetuus solus, non aūt intellectus impropriè dictus, vnde subsummit immediatè, passiuus verò intellectus, est corruptibilis, hoc est, cogitatiua corruptibilis est, & ista est expositio non solum Diui Thomæ, verùm etiam Phyloponi in isto textu, & Ammonij, in primo. Periher. ante textus interpretationem, etenim omnes exponunt cogitatiuam pro intellectu passiuo corruptibili, appellantes, cogitatiuam, impropriè intellectum. Cum itaque tam intellectus possibilis, quàm agens, sit intellectus propriè dictus, hinc sequitur ad mentem Aristotelis, vtrumque intellectum, esse separatum, immortalem, & perpetuum.

Sexta ratio colligitur ex secundo lib. de generatione animalium, capit. 3. quo in loco affirmat Arist. Mentem de foris aduenire, igitur non elicitur de potentia materiæ, vt alii aiunt, igitur creatur immediatè à Deo, igitur est immortalis ad mentem Aristotelis.

Ad hanc authoritatē, respondent aduersarij, & præcipuè Caietanus nomē mētis nequaquā accipi pro anima intellectiua, verùm summi pro intellectu agente, quem Aristo. arbitratur, esse substantiam separatam, & non animæ potentiam, qui intellectus agens, dicitur foris aduenire; quia lumen intellectuale, quo intellectus possibilis illustratur, & fit potens proximè ad intelligendum, & dicitur habere rationem mentis est ab intellectu agente, vt foris existit. At ista Caietani interpretatio ad Aristotelis verba è diametro pugnat cum Aristotelis mente; nam ibi Aristoteles, pertractat ordinatè primo de anima vegetatiua, qua plantæ vegetant; subinde de sensitiua, qua animalia viuunt, vltimò de intellectiua, qua homo est homo, & duas mouet quæstiones, altera, an omnes animę priùs essent, quam propria corpora informarent; an nulla, an aliqua sit, & aliqua non. Altera quæstio, an omnes animæ veniant de foris, vt creatæ ab agente primo, & postmodum in corporibus introductæ, an omnes sint in potentia materiæ, adeò vt omnes ab agente naturali de potentia materiæ, educantur ad esse, an aliqua veniat deforis, & aliqua non; & respondet concludendo solam mentem inter omnes animas deforis venire. Et stylus omnium phylosophorum est animam intellectiuā mentem vocari. Cōpertū, itaque est mētē summi, eo loci pro anima intellectiua, qua homo est homo; alioqn processus ille de hominis generatione non esset ordinatus, in quo proceditur ordinatè ab ordine naturæ, videlicet ab vltima forma animata, quæ est vegetatiua ad supremam quæ est intellectiua. Et quod ita sit inspiciantur Aristo. verba, & ita reperiet. Verba sunt ista. *Animam vegetatiuam, & sensualem in similibus, & conceptibus, haberi potentia, statuendum est vno actu, priusquàm eo modo*

quo

quo conceptus, qui iam separantur cibum trahant, & officio harum animarum funguntur, quorum principiorum actio est corporalis, & sine corpore, esse non possunt, vt ambulare sine pedibus. Itaque extrinsecus, eas animas venire, impossibile est; neq; enim ipsæ per se accedere possunt cum inseparabiles sint, neque cum corpore. Semen enim excrementum alimenti mutati est. Mens sola extrinsecùs accedit, eaque sola diuina est; nihil enim, cum eius actione, communicat actio corporalis. Hæc Aristo. Ex quibus aperte colligitur, Aristo. habere sermonem de substãtia animæ intellectiue, qua homo est homo.

Duæ aliæ rationes, animæ humanæ immortalitatem demostrantes ad mentem Aristo. Cap. 8.

SEptima ratio desumitur ex primo de anima tex 65. vbi hęc verba profert. *Intellectus autem videtur substãtia quędã existẽs, & non corrũpi.* Hoc assertum non potest intelligi de aliqua substãtia, quæ sit intellectus possibilis, vel agens, verùm de animæ intellectiuæ substãtia clarum est ex dictis. Verum ad hanc authoritatem bifariam aduersarij respondere possunt; vel quòd Aristo. ibi non loquitur asserendo; sed tantùm dubitando, vel quòd non loquitur secundum propriam opinionem; sed secundum aliorum opinionem. At responsa ista nulla sunt. Et primò, responsum primum nullum esse, compertum est, ex processu, in quo patet, ipsum loqui, non dubitando; sed asserendo. & licet hoc verbo, videtur, vtatur, quod dubitantis apparet: attamẽ falsum est, hoc verbum, videtur, eo loci significare dubitationem, aliquando enim manifestam significat veritatem, vt videre est apud Porphirium in capite de Genere, ita scribens. Videtur aut neque genus, neque species, simpliciter dici. Accipit enim Porphirius pro manifestum est vt ibi interprętatur Ammonius. Quo ad secundum responsum asserimus verum esse, Arist. loqui secundum quorũdam opinionem Platonicorum, vt docet Diuus Thom. quæ suo tempore erat famosa, videlicet omnem animam esse incorruptibilem, & omnes animæ operationes, etiam ipsius intellectus organa habere determinata; idcirco exponit Diuus Thomas illud verbum, videtur, id est prædictis apparet phylosophis. Verumtamen licet Aristo. secundum aliorum opinionem loquatur, attamen ab eorum opinione minimè dissedit, quo ad animæ nostræ immortalitatem; qua de re, vt manifestet, se alijs assentire, quã tùm ad animæ immortalitatem, & non quantùm ad hoc, quod est operationem intellectus per organum corporeũ, exerceri, & ipsam corrumpi, propter organi corruptionem, vt alij astruunt Nam loquens ex proprijs, subiungit, *intellectus autem fortassis, diuinũ aliquid, & impassibilis est,* id est (ait D. Th.) aliquid altius & aliqua maior ipsius animæ operatio, quàm dicatur hic. Et vtitur dictione dubitatiua non quia, ipse dubitet, sed quoniam (ait ibi D. Tho.) nõdum hoc determinauerat; sed hoc postmodũ in 3. manifestat. Et ista est phylosophorum consuetudo vti dictione dubitatiua, in suam exponendo sentẽtiam, antequam, ipsam demonstrauerint.

Octaua ratio colligitur ex. 12. Metaph. tex. 17. Vbi contra Platonem habens sermonem, & asserens, causas mouentes, suis præexistere effectibus; causas autem formales simul esse suis cum effectibus, & ideo quando homo sanatur tunc sanitas est, & non priùs, vt docebat Plato, astruens formas rerum, rebus prę existere, quibus assertis, postmodum subiungit. *Si autẽ & posterius aliquid manet, perscrutandum est, nam ex quibusdam, nihil prohibet, vt si est anima talis, non omnis, sed intellectus.* Ex quib. verbis duo apertè colliguntur, Alterum, Intellectũ, qui est hominis forma, post corpus remanere, & colligit ex eo, quia de formis habet sermonem. Alterum, excludere animam humanam ab omniũ

forma-

formarum generalitate, ponẽdo ipsam esse quandam substantiam, per se subsistentem, & post corpus, remanentem.

Ad hanc authoritatẽ dat responsum Caietanus asserens, Arist. nihil affirmãdo respondere, quoniam inchoat à conditionali dicens. *Et si est anima talis, nõ omnis, forsan, sed intellectus*. Vbi manifestè apparet, omnia sub illa cõditionali, stare si est anima talis, &c. Ex hoc textu, & contextu hoc solum haberi potest Arist. manifestè, existimasse, animam intellectiuam, nõ esse ante corpus, & sub dubio reliquisse, an sit post. Verum hæc Caietani responsio, ostenditur esse contra Aristo. verba: Arist. enim postquàm determinauit, formas nequaquàm esse ante res, quarum sunt formæ, subdit esse inuestigandum, si aliqua post compositi corruptionem, remaneat, & determinat absolutè, aliquam remanere; vnde sic ait. *In quibusdam nihil prohibet*. Ecce absolutẽ determinationem. Et post modum exemplum subiungit, de anima intellectiua, ita scribens. Vt (.i. causa exempli) *si est anima talis non omnis, sed intellectus*; Quapropter non dubitatiuè, nec sub conditione loquitur. Nam si loqueretur dubitatiuè, & sub conditione, nõ vsus fuisset illa dictione, vt, quæ est dictio ad exemplum dandum, idcirco dixisset. In quibusdam enim nihil prohibet, si est anima talis; nõ autem dixisset. In quibusdam enim nihil prohibet. Vt si est anima talis.

Animam nostram separatam intelligere, ad mentem Aristotelis. Cap. 9.

COgimur hoc loci propter arguentium importunitatem animam separatam intelligere ad mentem Arist. explicare, necnon modum intelligendi ipsius, exponere; quoniam hoc est potissimum fundamentum respondendi ad argumenta magis apparentia cõtra animæ humanæ immortalitatem; licet inferius, vbi de cognitione animæ separatæ agemus sermo magis opportunus esset. Et circa hanc cõsiderationem duo præcipuè agenda sunt. Primo ostendẽdum est animam humanam post corporis corruptionem, operationem habere intellectiuam. Secundo explicandum est, quonam modo intelligat secundum Arist. principia.

Quo ad primum in doctrina Aristotelis duo habemus loca ex quibus clarè colligimus, animam nostram post mortem adhuc habere operationem intellectus. Primus locus desumitur ex 9. Methaph. tex. 22. quo in loco perquirit Aristoteles quonam pacto substantiæ simplices, quales sunt Deus, & substantiæ separatæ cognoscãtur, & declarat, à nobis non posse perfectè, & quidditatiuè cognosci: idcirco nos has substãtias simplices, & immateriales ignoramus; attamen fatetur ipse, hanc ignorantiam nõ esse sicut cæcitatem, & assignat rationẽ quare, hæc ignorantia, non est sicut cæcitas; quoniam cæcitas, visionis principium remouet; hæc autem ignorantia, principium intellectiuum, minimè remouet. Aristotelis aut verba, hæc sunt. *Ignorantia non qualis cæcitas, cæcitas n. est vt utique, si intellectiuum omnino non habeat aliquis*. Ex quibus habetur, nos posse quidditatiuè, & perfectè substantias simplices, & immateriales cognoscere, quoniam hæc ignorantia, intellectiuum non denegat principium, & aliquando ad actum reducenda est. cum non sit sicut cæcitas: sed secundũ ipsummet Aristotelem, nos in presenti statu, substantias abstractas quidditatiuè, minimè cognoscere possumus, vt compertum est ex 2. Methaph. tex. 1. in quo ostẽdit intellectum nostrum, se habere ad naturę manifestissima (qualia sunt à materia separata) sicut se habent oculi nocticoratum, ad lucem diei, quapropter intellectus noster, ista separata à materia, quæ sunt manifestissima secundum naturam, cognoscet in alio statu, qui nullus alius est, quàm status post mortem.

Secundus locus est tex. 36. 3. de anima

ma. Vbi Aristoteles quæstionem mouet, an intellectus à magnitudine, non separatus, intelligat aliquid separatum, per quod dat intelligere, intellectum nostrum, à corpore separatũ, posse aliquid intelligere, quod non potest intelligere, non separatus ab ipso corpore, vt adnotauit D. Th. in opusculo contra Aueroistas, de vnitate intellectus. Aduertendũ tamen, hic est, Aristotelẽ, non sibi contradicere, dum superius asseruit, intellectum esse à magnitudine separatũ, nũc autem docet esse in magnitudine, quoniam superius sumebat intellectum, pro potentia intellectiua, re ipsa, remota ab animæ essentia; hic autem, intellectum accepit, pro anima intellectiua, quæ est corporis forma.

Quo ad secũdum videlicet quonam modo anima nostra separata intelligat explicatur aliquo pacto ab Aristotile 3. de anima tex. 20. per illa verba. *Non reminiscimur autem quia, hoc quidem impassibile passiuus verò intellectus corruptibilis, & sine hoc nihil intelligit anima* Et dixerim, aliquo pacto, quoniam non perfectè ipsum intelligendi modum animæ separatæ, colligimus ex isto textu; verumtamẽ ex suis principiis ipsum colligemus perfectè. Quod autem Aristoteles per verba adducta, illum intelligẽdi modum, explicauerit, demõstratur p Diui Thomæ expositionem, quæ non est noua expositio; sed est etiam Themistij, Ioannis Gramatici, & aliorum antiquorum, Aristotelis, interpretum. Etenim Diuus Tho. ita contestatur, cum asseruisset, animam nostram, esse immortalem, posset aliquis existimare, animã ipsam, post mortem, habere scientiam, eodem modo, quo nunc, eam habet, cuius contrarium, docuit supra libro primo, tex. 66. vbi asseruit, *quodam interius corrupto, intelligere corrumpi, & corrupto corpore, animam nõ reminisci, neq; amare*. Et ideo, hic ait, *Nõ reminiscimur* scilicet post mortem, eorum, quæ, in vita scimus quia, *hoc quidem impassibile*. Idest ita pars animæ intellectiuæ, impassibilis est; vnde ipsa non est subiectũ passionum animæ, sicut sunt amor, odium, reminiscentia, & huiusmodi, quę ex alia passione corporali contingunt, passiuus verò intellectus, corruptibilis est, idest pars animæ, quæ non est sine prædictis passionibus, est corruptibilis, pertinent enim ad partem sensitiuam; tamen hęc pars animæ, dicitur intellectus, sicut & dicitur rationalis, inquantum aliqualiter participat rationẽ, obediendo rationi, & sequendo motum eius, vt dicit in primo Eth. Sine hac autẽ parte corporali, intellectus nihil intelligit, non enim intelligit aliquid, sine phãtasmate, vt infra dicetur. Et ideo destructo corpore, non remanet in anima separata, scientia rerum, secundum eundem modum, quo nunc intelligit. Hanc eandem interpretationem repetit Diuus Thomas, secundo cont. gen. capitulo 81. circa finem. Ex quibus Aristotelis verbis, & Diui Thomæ expositione habemus modum intelligendi animæ separatæ non esse per conuersionem ad phantasmata, vt est modus, dum est corpori coniuncta; verùm erit modus intelligendi sine conuersione ad huiusmodi phantasmata. Et hæc veritas apertè colligitur, ex illo verbo. *Non reminiscimur*. Nam reminisci propriè est opus cogitatiuæ, quod non exercetur nisi per organum corporeum quo circa asserendo Aristoteles, nos nõ reminisci, post mortem, clarè docet nos post mortem minimè intelligere, per conuersionem ad phantasmata. Qua de re, in Aristotelis doctrina, vt compertum est, ex assertis, in præsenti capite, tria clarè habemus de intellectione animæ nostræ separatæ.

Primum. Animam separatam intelligere.

Secundum. Animam separatam perfectiori modo intelligere, quàm coniuncta; quoniam ut notum est ex 9. Metaph: separata intelligit quidditatiuè entia à materia abstracta, coniuncta autem, hec entia quidditatiuè non intelligit.

Tertium. Animam separatam non intel-

intelligere per conuersionem ad phantasmata. At quo nam modo, anima separata intelligat, sine conuersione ad phātasmata, in eius doctrina expresse ab ipso non est explicatum, est tamen suis ex principijs explicandum.

Quædam D.Thomæ expositio ab impugnationibus Caietani, defenditur. Cap. 10.

ANtequam vltra progrediamur defendenda est, D.Th. expositio, ab impugnationibus Caietani, qui adducit quinque rationes contra hanc D.Tho. expositionem.

Prima ratio. Si Aristoteles, sermonē haberet, de animæ separatæ operatione, dicendum esset in numero singulari, Nō reminiscitur autem anima. Nō autē in numero plurali de nobis; Non reminiscimur autem.

Secunda. Iuxta D.Th. expositionem, non potest saluari, illa dictio, causalis, quia, in textu enim phylosophi, in quo, hunc in modum, legitur. *Non reminiscimur autem, quia hoc quidem impassibile, passiuus uero intellectus corruptibilis est.* vnde hæc dictio, quia, nihil præsenti textui deseruiret.

Tertia. Passiuus intellectus, non rectè à D.Tho. pro cogitatiua, exponitur, quoniam nusquàm in Aristotelis doctrina, hoc nomen intellectus, pro cogitatiua ponitur; sed tantū pro intellectu, propriè dicto, ponitur.

Quarta. Si intellectus passiuus, ꝓ cogitatiua sumitur, non congruè asseruisset phylosophus, sine hoc, nihil intelligit anima; sed affirmandū esset, sine hoc idest sine cogitatiua, nihil cogitat anima.

Quinta. Aristoteles in primò libro text. 66 quæ à D.Thoma afferuntur, ad insinuādum, vt quæ, illic, disputaret, hic affirmaret, sunt extra propositum; quoniam ibi manifestè loquitur de ipsa anima, vt anima, contra nos distinguitur. Vnde dicit quod non sunt, illius passiones; sed habentis; quare, et hoc corrupto non memoratur, neque amat; hic vero, de nobis apertè loquitur, vt dictum est, dum dicit. Nō reminiscimur autem, &c.

Ad primam trifariam respondetur. Primò ex doctrina D. Tho. 1.q.75.a.4. ad primum. Docet ibi hominem summi pro anima, et hoc modo sumpsit hic Aristoteles, quandoquidem secundum phylosophum 9 Ethi. Illud potissimum videtur esse vnumquodque quod est in ipso principale, sicut quod facit ciuitatis rector, ciuitas facere dicitur. Cum itaque anima intellectiua sit quid in homine potissimum, anima intellectiua, pro homine summitur, ac per hoc, dicitur homo, quo circa, potuit dicere Aristoteles, de anima sermonem habēs, nos homines reminiscimur. Secundò respōdetur, Aristotelis doctrinam esse, vt habetur primo de anima tex.64. conueniētius dici: Hominem addiscere, vel intelligere, per aīam quàm aīam ipsam addiscere, vel intelligere, & pari modo, de reminiscētia nos aptiùs per animā reminisci dicimur; q̄ aīam reminisci, & ideo Aristotiles loco citato asserit melius dici, nos non reminisci, quam animam, aut aliquam animæ partem non reminisci, vt ergo doceret Arist. doctrinam sibi conformem loquendo de anima post mortem, dixit, *Non reminiscimur*, hoc est nos homines, qui sumus post mortem secundum partem principalem, scilicet secundum animam intellectiuam, non reminiscimur. Tertio affirmamus, Aristotelem de reminiscētia, sermonem habentem, asseruisse nō reminiscimur; quoniam, reminiscētiæ subiectum, est totum humanum compositum, & non anima sola, & ad hoc explicandum ait, non reminiscimur, & non reminiscitur; quemadmodum, & subiectum intellectionis proprium, est solus intellectus, ac per hoc, sola anima, & ideo ad hoc exponēdum, dum de intellectione sermonem haberet, dixit. *Et sine hoc, nihil intelliget anima.*

Ad secundam. Negamus, illam causalem, quia, nihil huic deseruire expositioni,

al, deseruiet enim toto textui sequenti, & explicat duplicē cām, pp quam, post mortē, nō reminiscimur. Prima qa hoc .i. principiū intellectiuū, qđ est īcorruptibile, & ęternū est impassibile, ex cōsequēti nō est sensibiliū passionū subiectū; igitur nec reminiscētię; cōsequutio ꝓbat; qa reminiscētiæ subiectū, est sensibiliū subiectū passionū, cū sit quoddā corporeū. Secūdo aliæ deseruit causalitati: qa ītellectus passiuus .i. cogitatiua corruptibilis est, quæ est reminiscentiæ subiectū; idcirco post mortem, nō reminiscimur.

Ad 3. Astruimus oīnò falsū esse, Arist. in sua phylosophia nō vsurpasse intellectū pro cogitatiua, & cogitatiuā intellectū nō appellasse. Nā primo loco a D. Th. citato in sua expositione in fine primi Ethicorū partē sensitiuā in hoīe appellat rōnalē, qa rōni obedit. Secūdò in 3. de aīa tex. 48. vocat phātasiā ītellectū, nā ibi sic ait. Videntˀ aūt duo esse mouētia, aut appetitus, aut intellectus, & qđ pro intellectu intelligat statim subiūgit se per intellectū intelligere phantasiā sic dicēs. Si aliqˢ phātasia posuerit, sicut intellectū qu ndā. Tertiò ī tex. 57. eiusdē libri appellat intellectū phantasiā deliberatiuā, vbi sic scribit. Sēsibilis qđe i it, phātasia sicut dictū est, & in alijs aīalib. inest; deliberatiua aūt in rōnalib inest, vtrū .n. aget hoc, aut hoc iā hōis est opus. Quartò 6. Ethi. lect. 9. D. Th. partic. 9. vocat sensū interiorē intellectū, ita scribēs. Ex singularib. n. vniuersale; horū igitur oportet habere sensū, hic aūt est intellectus. Quintò 7. Methaph. tex. 35. circa finē, & 8. Methaph tex. 15. in fin. appellat obiectū immaginatiuę (qđ est quantitas abstracta) intelligibile; igitur etiam immaginatiua nūcupabitur intellectus, cū ītellectus, & ītelligibile sint correlatiua.

Ad 4. negatˀ, fuisse affirmādū, sine hoc nihil reminiscitˀ aīa, & rō negationis est, qm̄ sicut fuit assertū, post mortē, nihil reminisci, ita dicēdū est, post mortē aīam nō intelligere, eo mō, quonūc intelligit; eo qa nūc, nihil intelligit sine hoc .i. sine cogitatiua, seu intellectu passiuo, vt nūc asserit Arist. in tex. allegato; post mortē ait, intelligit absq; cogitatiua, & absque phantasmatib. quo circa, alium habet intelligendi modum, & hoc est, quod voluit dicere phylosophus.

Animā separatam per conuersionē ad superiora, intelligere ad mentem Arist. Cap. II.

Declarato aīam nostram separatam ad aures Aristo. intelligere, nunc superest exponere quonā modo ad ipsius mentē, intelligat. Et pro huiuscemodi modi determinatione, talē astruimus conclusionē Ad mentē Arist. aīa humana separata per conuersionē ad superiora intelligibilia, ītelligit. Pro manifestatione et demostratione huius cōclusionis, primò tria fundaméta sunt iacēda ī Arist. doctrina, deinde ex istis fundamētis, duabus rationib. ipsam ostendemus.

Primū fundamentū. Modus operādi sequitur modū essendi, hoc fundamētū bifariā ostenditur. Primò ex Arist. 5. Phyco. tex. 16. Vnūquodq; operatur inquantū est in actu, seu operatio sequitur esse in actu, quapp modus operandi sequitur modū essendi. Secūdò ostēditur inductione in doctrina Arist. Nā primò, aīa humana coniuncta, quia in corpore est; idcirco per connexionē ad corpus tā quā ad obiectū operatur; quapp suā exercet operationē ꝓpriā .s. intelligere ꝑ cōuersionē ad phantasmata, vt docet 3. de aīa tex. 30. & 39. Qn̄ aūt est separata, nō amplius per conuersionē ad phantasmata intelligit, vt in pręcedēti capite manifestatū est. Deinde, Deus quia est actus purissimus ideo et sua operatio est simplicissima, vt demostratur 12. Metha. tex. 51.

Secundū fundamentū. Potētia cognoscitiua ꝓportionatur cognoscibili. Hoc ꝓbatˀ primò rōne; Quia oīa cognoscēs, est ipsa cognoscibilia, & iō Arist. docet 3. de aīa tex. 37. & 38. Aīam oīum cognoscitiuā esse ēt oīa cognoscibilia; sed qđ est idē alicui, eidē ēt ꝓportionatur; igitˀ potētia cognoscitiua proportionatur cognoscibili, & ē conuerso. Secūdo probatˀ inductione primo obiectū sēsitiuę potētiæ, & ipsa potētia, in quadā, consistunt,

proportione, vt asserit Aristoteles 2. de aīa tex. 147. Et obiectū animæ nostrę cōiūctę, quæ est corporis sensibilis forma, suum obiectū, est quidditas rei sensibilis vt habetur 3. de anima text. 9. & 10. Itidē Dei intellectus est purissimus actus, hinc prouenit, vt suum obiectum propriū sit ipsemet Deus purissimus actus. vt colligitur 12. Meth. tex. 41.

Tertium fundamentum. Substantiæ à materia separatæ fiunt actu intelligentes, per conuersionē ad superiora, vsq; ad primū intellectū. Hoc fundamentū clare docet Aristoteles, 12. Metha. text. 39. vbi loquens de primi mobilis intellectu, & docens quonā modo fiat intelligens ita scribit. *Seipsum autem intelligit intellectus, secundum transumptionem intelligibilis. Intelligibilis.n. fit, attingens & intelligens*. Quæ verba Diuus Thomas interpretans docet talē esse comparationē intellectus primi Mobilis, de mēte Aristotelis ad primā intelligibilē substantiā; qualis est secundū Platonicos, cōparatio intellectus nostri ad species intelligibiles sparatas; secundū quarū contactū, & participatione fit intellectus noster in actu; igitur & intellectus primi mobilis fit in actu, secundū contactū, et participationē primi intellectus secūdū Aristotel. qui quidem primus intellectus, est diuinus intellectus, vt exponit Doctor Sanctus eo loci. Huiuscemodi aūt contactus, & participatio primi intellectus nihil aliud est; quam receptio intelligibilis substantiarū separatarū, quā consequuntur, per intelligibilē effluxū, quo à Deo rerū cognitarū species acceperūt simul cū intellectuali natura, vt docet Doct. S. 1. p. q. 55. ar. 2. in corpore: & rō huius veritatis est, quia [illegible] participatio diuini intellectus, & similitudines à diuina essentia deriuatæ: modo aūt D. Th. 1. p. q. 57. ar. 1. ad 2. vocat spēs īditas intelligibilē effluxū à Deo ī eā ītellectuali, & inditas similitudines à diuina essentia deriuatas: quocirca, ad mētē Arist. substantiæ separatæ, res creatas intelligūt per species, non a rebus acceptas, sed inditas à Deo per intelligibilem effluxū, q̄ veritas explicatur p illud verbū. Arist. *intelligibilis n. fit attingens, & intelligens*, & per aliud verbū D. Tho. asserentis, talē esse cōparationē intellectus primi mobilis, de mente Aristo. ad primam intelligibilē substantiā, & cęteras; secundū quarū cōtactū, & participationē, fit intellectus noster in actu: ex qua interpretatione apertissime colligitur, intelligentiā primi mobilis ac per hoc, oēs alias omniū aliorū mobiliū intelligētias, fieri actu intelligētes p contactū, & participationē intellectus diuini cū nō sit maior rō de intellectu vnius corporis cęlestis, q̄ de alio, igitur oēs intellectus oīum motorū corporū cęlestiū fiunt actu intelligētes p conuersionē ad supremū intellectū; sed s̄m Arist. omnes substantię separatę sunt corporū motrices cęlestiū; vt compertū est 12. metha. tex. 43. & 44. igitur oēs substantiæ separatæ ad mentes Aristot. fiunt per conuersionē ad supremū intelligibile, actu intelligētes.

Iactis illis fundamentis, hūc in modū conclusio demonstratur. Modus operandi sequitur modū essendi, ex primo fundamento, sed anima separata habet modū essendi substātiarum separatarum; igitur anima separata habet modū operandi substantiarum separatarū, sed substantiæ separatæ, vt compertum est ex tertio fundamento, intelligunt per conuersionē ad superiora: igitur anima nostra separata per conuersionem ad superiora intelligit.

Secundo ita ostenditur: Obiectum cognoscibile est potentiæ cognoscitiuæ proportionatū, ex secundo fundamēto: sed anima separata est ab omni corpore, & ab omni materia separata; igitur & suum obiectū est ab omni materia, separatū. Tunc vltra; at substantia, ab omni materia separata nihil aliud est, nisi ipsamet anima separata, & intelligentiæ: igitur anima nostra separata intelligit p conuersionē ad se ipsam, necnon per cōuersionem ad omnes alias intelligētias, & præcipuè ad supremam.

Animam nostram habere duplicem essendi modum, & duplicem operandi ostenditur, ad mentem Aristotelis. Cap. 12.

EX his omnib. compertissimũ est, ad mentẽ Arist. animam nr̃am duplicẽ habere modũ essendi, videlicet in corpore; & extra corpus; ex consequenti duplicẽ ẽt habere operandi modũ, s. per conuersionẽ ad phantasmata, & per conuersionem ad superiora. Verum an isti duo modi essendi, & operãdi sint ipsi animę naturales, vel non; declarandũ est. Pro huius itaque intelligentia, sciendũ est, secundũ Auicenã, & eius sectatores, vtrũ q; essendi, & intelligẽdi, modũ, posse esse naturalẽ ipsi aĩæ successiuè. Esse.n. in corpore, & intelligere p conuersionẽ ad phantasmata est aĩæ naturale, in sui principio, esse vero separatã a corpore, & intelligere p conuersionẽ ad superiora, est ei naturale in fine, sicut etiã, homo habet duplicem viuendi modum naturalẽ scilicet in vtero matris, in principio sui; & in fine extra vterum.

Deinde notandũ est ẽm D. Th. 1.p.q. 89.a.1. Animam humanã duobus modis posse cõsiderari; uno modo, ẽm suã naturã, & sic est ei naturale, esse in corpore, & intelligere per cõuersionem ad phantasmata, & est ei pręter suã naturã, esse a corpore separatã, & p cõuersionẽ ad superiora intelligere: alio modo põt considerari, quatenus, superiores participat naturas. s. intelligentias; & tunc est ei naturale esse extra corpus, & intelligere per conuersionẽ ad superiora. Et declaratur hęc doctrina, ignis exemplo, qui duos habet motus; alterũ naturalẽ, quo sursum mouetur; alterũ habet motũ, quo circulariter mouet̃, motũ diurnũ. sequentẽ; & iste motus est absolutè præter naturã, vel supra nr̃am; qui tamẽ potest dici naturalis ipsi igni, quatenus ignis cęlestẽ participat naturã: Motus.n. iste circularis igni cõuenit ex hoc, quia ignis est in loco supremo, inter oĩa loca: locus aũt iste supremus igni conuenit, quia est supremũ elementũ: est aũt elementũ supremũ, qm̃ participat naturaliter superiorẽ nr̃am cęlestẽ; igitur à primo ad vltimũ, moueri circulariter, igni conuenit naturaliter, non absolutè, (absolutè.n. conuenit ei sursum) sed quatenus cęlestẽ participat naturã. Ita humana aĩa, duos habet essendi modos naturaliter; duosq; modos intelligendi naturaliter, sed absolutè secundũ suã naturã absolutã habet corpus corruptibile informare, in illoque esse; & intelligere p conuersionem ad phantasmata, colligẽdo ex sensibilibus scientiã; & discurrendo. Quatenus autem substantias intellectuales participat separatas, habet naturaliter modũ essendi extra corpus, sicut & substantia separata; & habet intelligere per cõuersionem ad superiora, & absque discursu, necnon scientiam a superioribus substantijs accipit.

Hæc omnia licet nõ habeantur apertè ex Aristot. doctrina; suis tamẽ ex principijs colliguntur, vt in præcedenti capite ostensum est.

Quis aũt istorũ intelligẽdi modorũ nobilior sit, explicandũ est. Et pro huius notitia, considerandum est, intelligere per conuersionem ad superiora, esse absolutè nobilius; cum hoc separatis, & superioribus conueniat substantijs, attamen non est ipsi animæ humanæ nobilius: immo intelligere per conuersionem ad phantasmata, est ipsi animæ nobilius, quàm intelligere per conuersionẽ ad superiora. Et hoc ita demõstratur: Modus cognoscendi quo habetur cognitio confusa ab aliquo est ignobilior illo modo, quo ab eodẽ distincta habetur cognitio; sed anima per modũ intelligendi per conuersionẽ ad phantasmata distinctã adipiscitur cognitionẽ; p conuersionẽ aũt ad superiora confusam acquirit cognitionẽ; igitur modus intelligendi p conuersionẽ ad phantasmata est melior, & nobilior ipsi animę q̃ modus intelligendi per conuersionẽ ad superiora. Maior admittitur tanquã manifesta; minor autẽ hunc in modum demonstratur. Modus cognoscendi ali-

sui potétiæ cognoscitiuæ ꝓportionatus distinctā causat cognitionē improportionatus verò cōfusā cognitionē causat; sed modus intelligēdi ꝑ cōuersionem ad phantasmata est animæ humanæ proportionatus, modus autē intelligendi ꝑ conuersionem ad superiora est sibi improportionatus, ergo &c. Maior ꝓpositio colligitur ex 2. Metha. tex. 1. & 9. Meth. tex. 22. Minor autē ita ostēditur; modus substantijs superioribus proprius est improportionatus inferioribus; sed intelligere ꝑ conuersionē ad superiora est modus proprius substantijs superiorib quæ sunt à materia separatę, vt ostensum fuit in præcedenti capite, ad mentē Arist. igitur modus intelligendi per cōuersionē ad superiora, est improportionatus aīæ humanę. Maior huius prosyllogismi, ita probatur. Vis intellectualis, quāto magis à primo intellectuali recedit, tantò magis diuersificatur, vt videmus ī lineis à centro egredientibus; igitur intellectus, quantò superior, tantò magis per vnū aut per vniuersaliores, vel pauciores species intelligit, & quāto intellectus est inferior, tātò per plures species, & minus vniuersales intelligit, igitur modus intelligendi superioris substantiæ est inferiori substantiæ improportionatus. Consequentię, & consequentia nō egent probatione; prima tamen cōsequētia, & primū consequens, adhuc ita declarantur. Deus qui est supremus intelligens, oīa ītelligit per vnū s. per suā essentiā, vt potè habens vim intellectualē, maximè vnitā, & superiores substantiæ successiuè inferiorib. præstant in paucitate, & vniuersalitate specierū, ꝓpluminis intellectualis præstātiā. Minor aūt licet in præcedēti capite ostensa fuerit, tñ adhuc demostratur. Aīæ humanæ, inter substantias intellectuales, vltimæ sunt, igitur vltimus intelligendi modus, est eis naturalis, & proprius, cū modus operandi, modū essendi sequatur; sed vltimus intelligendi modus, est per conuersionem ad phantasmata: igitur intelligendi modus per conuersionē ad phantasmata est aīę humanæ naturalis, & proprius; igit̃ modus intelligendi per conuersionē ad superiora, erit proprius, & naturalis substātię, superiori, quæ est substātia à materia naturaliter separata; quapropter anima humana propter sui melius, ad corpus vnitur, cum ꝑ hanc vnionē, sui perfectionem simpliciter, perfectā sortiatur.

Ex his oībus, cōpertū est, ad mentem Arist. ex suæ doctrinæ principijs, animā humanā à corpore separatā, intelligere, & intelligere nō per cōuersionē ad phātasmata; verū per conuersionē ad superiora, quēadmodū, oēs aliæ intelligētiæ intelligunt. Et ista sint satis pro secūdo principali, de difficultate pertinente ad animæ immortalitatē, de Arist. mente.

Caietani argumenta diluuntur. Cap. 13.

QVo ad tertium principale Respondendum est ad argumenta, eo ordine, quo proposita fuerunt. Ad primū itaque Caietani argūm, dictitamus, iā esse responsum supra in 5. capite per asserta in prima nostra ratione, pro aīę nostræ immortalitate, etiā ad mentē Aristo. & duplex collegimus respōsum. Primum Negatum fuit secundū Aristo. doctrinam, duo requiri ad propriā animæ operationē. s. exclusionem corporis, vt organi, & vt obiecti. Requiritur (.n. vt eo loci, fuit demostratum, per Aristot. verba,) solummodo exclusio corporis, vt organi. Idcirco secundū dictū à Caietano adductū, falsum est. Et cū astruit Caietanus. illud esse assertum Aristotelis, respondemus, vna cum omnibus Aristotelis expositoribus, animę immortalitatem. ad aures ipsius sustinētibus. Illud esse adductum ab Aristotele, propatte falsa, arguēte; nō aūt tanquā verū Etenim Aristoteles arguit, istā ostendendo difficultatem, ac ꝑ hoc, multa inuoluit falsa; quēadmodum faciunt oēs celeberrimi Doctores, dū ita volunt ostendere difficultatē materiæ, q̃ pertractāt. Quē modū ēt obseruat Arist. in 4. Physicorū, vbi in tex. 8. incipit adducere rationes motū destruētes, & in text. 88. colligit rationes tempus impugnan-

pugnātes; hunc eundē modū obseru. 3. Metaph. Et hanc cōsuetudinem obseruat in primo libro de aīa & pp hanc rationem dictitauit etiam, intelligere nō esse propriā aīæ operationē; sed assimilati ꝓprio: hoc. n. dixit disputādo, & dubitatiuè procedendo. Quod autem hæc sit Aristotelis mens, ex serie ipsius textus exploratum est. Nam in tex. 12. quæstionem mouet, an anima aliquam propriam habeat operationē, & præcipuè intelligere sit propria animæ operatio, & primò falsam adducit opinionem, sic asserens. *Videtur autem plurimorū, quidem nullum sine corpore pati, neq; facere, vt irasci, confidere, desiderare, & omnino sentire.* Ecce quod aliorum falsas adducit opiniones, quarum prima est: Maximè autem assimilatur proprio intelligere. Secunda. Si autem ex hoc phantasia quędam, aut non sine phantasia, non cōtingit vtiq; neq; hoc sine corpore esse. Secundò respondetur ex dictis in eadē ratione, eodemq; capite, & negatur, Aristotelem statuere per illa verba, duo illa esse ad proprię operationis rōnē necessaria; Nā ex verbis nūc citatis habemus intelligere esse operationē animę & corporis cōem, si est phantasia, non tñ habemus ista duo esse necessaria ad hoc, vt operatio sit ꝓpria, sicut ibi fuit demonstratum.

Ad secundā eius rōnē, iā responsum est per dicta in quarta ratione in 6. capite enarrata, vbi ostensum est abūdè, dū Aristoteles de intellectus possibilis separatione sermonē habet, intelligere de separatione reali, seu existentiæ non aūt de formali solū, vt perperam intellexit Gaietanus, vt ibi videre est. Et ideo ad argm̄ prima negatur propositio, & ad Aristotelis authoritatē asserimus, illā ꝓpositionē ab Aristot. fuisse assumptā i fauorē falsę partis ad aures aduersariorū.

Ad primā authoritatē ex primo, Eth. & secundā, ex. 12. Methaph decātamus Aristotelē loqui de vitæ pręsentis fælicitate; nō aūt de fęlicitate aīæ separatę. Sēper. n. loqtur de hoīs fęlicitate in pñenti vita, vnde ista phrasi vtit: nos hoīes, &c.

Solutiones ad prima Pōponatij Argumenta. Cap. 14.

AD primū Pomponatij argumentū de animæ humanæ mortalitate respondet D. Th. 1. p. q. 89. a. 1. concedens aīam humanā duos habere intelligēdi modos, necnō duos essendi modos, vnū naturalē, alterū præter naturā; nec hoc Aristot. repugnat principijs, imò, hæc doctrina est secūdū ipsius principia. Nā ipse primo de cęlo igni, duos attribuit modos alterū naturalē, q est sursum moueri, alterū præter naturā, qui est circularis, quo sub lunæ concauo, ignis ipse mouetur, qui motus fuit deprehēsus ex motu sphęrico stellæ commatæ, vt dicit primo Methęororum: esset aūt inconueniēs, si aīa duos haberet essendi modos naturales, & duos naturales operādi modos. Secundo respōdetur ex supradictis cap. 12. Animam habere duos modos essendi naturales, itidem duos naturales operandi modos, diuersa tamē ratione. Nā vnū habet modū essendi, & vnū operandi modū in se, & absolutè considerata, habet verò aliū essendi modū, & aliū operandi naturales, quatenus superiorē participat naturā; & hoc non inconuenit, vt de igne est manifestū qui vnum modum essendi naturalē habet, & vnū operandi modū, absolutè cōsideratus, quo sursum mouetur; aliū aūt naturalē, quatenus superiorē naturam participat. Et cū argumētatur (sicut vnius rei vna est essentia, ita vnius rei vnus modus essendi, vnusque modus operandi esse debet. Negatur absolutè ista propositio; vel astruendū est, vnius rei est vnus modus essendi naturalis, potest tamen esse alius præter naturā; vel vnius rei est vnus modus naturalis, in se considerādo illā essētiā; potest tamen esse alius modus naturalis essēdi, & operandi, considerando ipsam, vt naturam participat superiorem.

Ad 2. negatur consequutio, & ad eius probationē, dicimus primò, authoritatē verā esse de proprio super abundātiori, nō aūt cōi; intelligere aūt, & velle sunt



propriç hominis operationes; sentire autẽ, & vegetare, sunt cões omnib. animalib. Dicimus secundo, veram esse, de superabundãtiori, nobiliori, & ordinis superioris; cuiusmodi sunt intelligere, & velle; non autem de ignobiliori, & ordinis inferioris, sicuti sunt vegetare, & sentire.

Ad tertiũ. Rñdemus antecedẽs trib. modis intelligi posse vno modo formaliter, & sic falsum est, quoniã aĩa humana formaliter intellectiua est; alio modo, quo ad hominis operationes, & sic etiam falsum est, quoniam propria hominis operatio, non est vegetare, vel sentire; sed intelligere. Vltimò, quo ad operationis exercitium secundum virtutes intellectuales, & morales, & hoc modo antecedens verùm est, sed hoc est per accidens, non autem per se prouenit ex parte animæ intellectiuç; prouenit.n. ex organi, & complexionis indispositione; necnon ex parte appetitus sensitiui, qui naturaliter ad bonum secundum sensum delectabile mouetur, & de hoc duplex experientia datur. Prima de pueris; nam videmus pueros, quia organa habẽt indisposita (vel hæc indispositio sit propter humorũ abũdantiã, vel propter aliquid huiusmodi) ratione minimè vti. Secunda est de amentib. amẽtes enim quia habent organa indisposita, et præcipuè phantasiam, & cerebrum, ratione nequaquàm vtuntur. Ex quibus colligimus duo esse præcipua propter quæ homines, vt in plurib. recta haud vtãtur ratione. Primum propter organi indispositionem, secũdum propter appetitum sensitiuum, bonum sensuale appetentem, & inclinantem voluntatem ad appetendum sibi contraria. Et hanc rõnẽ docet D. Th. 1. p. q. 63. a. 9 ad 1. & 2.

Ad quartum inficiamur antecedẽs, ad probationẽ, negatur cõsequutio; affirmamus.n. aĩam intellectiuã esse corporis essentialiter formã, & actũ, vt manifestè tradit Aristoteles. 2. de aĩa in diffinitione animæ, dicens, aĩam esse actũ corporis physici, &c. potentia aũt aĩæ intellectiua, nequaquàm est actus corporis, de mente Aristotelis. 3. de anima. Et ad hanc impugnationem, negatur consequentia, quæ non est alicuius apparentiæ.

Ad quintum iam supra cap. 7. responsum attulimus, asserentes, Aristotelem minimè loq de intellectu possibili, sed de cogitatiua. Nunc etiam addimus asserentes Aristotelem eo loci, non nominare intellectum possibilem; sed intellectum passiuum.

Ad sextum respondetur à D. Th. 1. p. q. 76. a. 1. ad 5. & vis responsionis cõsistit in negatione consequentiæ, & ad primã probationem, negamus, per se subsistẽs non posse esse corporis actum, & ad huius improbationem, dicimus, esse per se subsistẽs, reperiri in duplici discrimine. Alterum, per se subsistens, quod est speciei pars, ac per hoc non solum est per se subsistens, sed etiam est alijs ratio subsistendi, quo circa se habet, vt quod, & vt quo; quapropter negatur quod illud, quod se habet vt quo, nõ possit se habere, vt quod, & huiuscemodi est anima humana. Alterum est per se subsistens, quod est naturç completæ, & non est alijs subsistendi ratio, & se habet solummodo tanquàm quod, & non potest se habere, vt quo, & huiusmodi sunt intelligentiæ, & de hoc, argumentum procedit. Ad secundam probationem, dicitur quod esse hominis, est esse animæ intellectiuç, primo naturaliter animæ conueniens, ipsumq; homini communicat. Et quãdo homo moritur, esse hominis absolutè non corrũpitur; sed illud esse desinit esse cõpositi hoĩs, quandoquidẽ anima, in hominis corruptione, suum esse ad se retrahit, desinendo illud communicare composito.

Ad septimũ. Astruimus, post hoĩs mortẽ; animam sine phantasmate intelligere. Ad primam improbationẽ, inficiamur primã consequentiã; quoniã, licet intelligens, non possit intelligere, speculando phantasmata, vt intelligit aĩa nostra, corpori vnita, anima tamẽ, à corpore separata, intelligere sine phãtasmate poterit, queadmodũ, intelligentiæ intel-

itelligunt, & ratio diuersitatis est; quia, superius de inferiori, minimè participat, cum nobilius de ignobiliori, non participet, inferius autem, de superiori participat; quia ignobilius participat de nobiliori. Ad secundã improbationẽ, imus inficias absolutè primã consequentiã; licet. n. sit vera, quando naturalis operatio, in naturalẽ transmutatur; non tamẽ vera est, quãdo naturalis operatio, in operationem, præter naturalem, transmutatur, Vel, licet vera sit; quãdo transmutatur operatio naturalis, in operationẽ absolutè naturalem; non tamẽ vera est, qñ transmutatur operatio absolutè naturalis, in operationem naturalem, quatenus illa natura, superiorem participat naturã. Ad tertiã: Dicimus ad primã propositionẽ, operationẽ essentialẽ à natura pmanente, eodem in statu, haud separari si aũt status mutatur, ẽt essentialis operatio, & hoc non est inconueniens, vt stet natura, & tamen non permaneat eiusdem naturæ operatio, sicut natura leuis stat deorsum, & tamen natura leuis, permanet. Secundo respondetur, vt pluries fuit assertũ, animæ naturã, duobus modis considerari posse, vno modo secundum se, alio modo vt superiorẽ participat naturã, & vtraq; consideratio est de intrinseca animæ natura, & vtroq; modo, essentialẽ habet operationẽ, & ideo, negatur, intelligere cũ phantasmate, solã esse essentialẽ operationẽ; est. n. essentialis operatio, inquantũ est corpori vnita; non aũt est essentialis operatio, vt est à corpore separata, cũ essentialis operatio aĩæ separatę, sit intelligere sine phantasmatę. Ad quartã improbationem, dicimus, cęlestium motores orbiũ, de quibus Aristotiles in 12. Methaph. verba facit, asserens tot esse, quot orbes, sunt oĩo intelligentes sine corpore, nulloq; modo in essendo à corpore dependentes, vt infra ostẽdemus, & licet cęlestibus sint applicati corporibus, in mouendo; sunt tamẽ per se subsistentes, & magis quam figulus, licet sit rotæ applicatus, cũ sint magis immateriales. Et quod sint orbib. applicati, vt eos moueant, maiorem arguit in ipsis nobilitatẽ, quã in animabus separatis, quia, hanc habent nobilitatẽ, vt & inferiora, medijs cęlestib. corporibus causent, quæ nobilitas nostris animabus separatis nequaquàm cõpetit; quo circa ad argumentum in forma, respõdendo cõsequentiam inficiamur, & ad eius probationem, autumamus, istam propositionem. s. magis est abstractũ, quod existit sine corpore, quàm q in corpore existit, (supra quàm, consequẽtia fundatur) bifariam intelligi posse, vno modo, vt illud cum corpore existat, hac lege & cõditione, vt à corpore depẽdeat, vel in essendo, vel in intelligẽdo saltem vt obiecto, & ita vera est; at negamus, cęlestium motores orbium hoc modo, esse corporib. cõiunctos, sunt. n. solummodo coniuncti, vt moueant; alio modo potest intelligi, vt existat in corpore, vt ipsum tantum moueat, & tunc, ipsa propositio negatur; quoniam, (vt nunc est assertum) sic esse corpori cęlesti incorruptibili, coniunctum, vt & omnia inferiora causet, maximã præsefert nobilitatem, cũ in hoc, summa Dei perfectio, et bonitas participetur, à qua, omnis entitas creata, omnisque bonitas dependet. Secundo possumus respondere ad illam propositionem, Illud est magis abstractum, quod existit sine corpore, quàm quod cum corpore existit, veram esse, quãdo existit omnino sine corpore, tàm actu, quàm aptitudine, at tũc negatur, animam separatam sine corpore, tàm actu, quàm aptitudine, existere, existit quidem sine corpore actu, non tamen, sine aptitudine, vel inclinatione ad ipsum.

Solutiones rationum Pomponatij, ex libro contra Augustinum Nifsum, de samptarum. Cap. 15.

SOlutis argumentis animæ mortalitatem ad mentem Aristotelis, suadẽtibus, soluendę sunt rationęs, eandẽ persuadentes falsitatem, ex libro contra Augustinum Nifsum, acceptæ.

Ad primam rationem bifariam responsum damus. Primò inficiamur dari in anima sensitiua formaliter & actualiter sensitiuas potentias; verū ibi sunt tantum virtualiter, & in radice; nam cū à corpore separatur, cū non sit ibi sensitiuarum subiectum potentiarum, quæ sunt corporis actus; necessariè etiam in ia ad se suas retrahit potentias sensitiuas. Secundū responsum. Dato, sed non cōcesso, animam separatā in se actualiter, suas habere sensitiuas potentias; non essent tamen suas exercentes operationes, nec hoc esset inconueniens quoniā sufficit, ipsas fuisse in exercitio in præsenti vita; esset aūt inconueniens, si principales animæ potentiæ, quales sunt intellectus, & voluntas suas non haberent operationes.

Ad secundam. Primam inficiamur consequentiam, quoniam licet anima intellectiua sit naturalis forma, magisque vnum cum materia faciat, magis quam accidens cum subiecto; tamen cum sit immaterialis substantia, à corpore nequaquam in essendo dependēs per se sine subiecto potest subsistere; accidens autem cum à suo in essendo dependeat subiecto, non potest naturaliter esse sine suo subiecto.

Ad tertiam. Consequentis falsitas negatur; & ad probationem asserimus, abstracta à materia in duplici esse differētia. Quædam sunt à materia omnino abstracta, nullo modo materiā informantia, & sunt in specie per se completa cuiusmodi sunt Deus, & intelligentia; & ista à phylosopho naturali solum vt motus principia considerantur. Quędam verò sunt secundum esse quidem à materia abstracta; sunt tamen in specie incompleta, & ideo semper ad materiam habent aptitudinem, & ista à naturali phylosopho non solummodo vt motus principia considerantur; verum etiam quidditatiuè, & huiusmodi est intellectiua anima. Secundo dicitur animam intellectiuam à corpore separatam, non esse de physici consideratione, sed Methaphisici, vt attestatur Aristoteles, secundo physicorum tex. vigesimosexto. Et diffinitio Aristotelis in secundo, de anima tradita, animæ conuenit intellectiuæ, vt est corporis forma; non autem vt est à corpore separata, & vt superiorem participat naturam. Diffinire enim animam intellectiuam à corpore separatam & superiorem participātem naturam, ad Methaphisicum spectat, vt scribitur secundo physicorum loco citato.

Ad quartam dicimus, licet in aīa corpori coniuncta sit illa continua pugna propter diuersum partis sensitiuæ, partisque intellectiuæ iudicium, vt docetur, 3 de anima tex. 57 attamen inficiamur hanc pugnam in anima à corpore separata inueniri.

Ad quintā, superiùs, & pluries respon sum fuit.

Ad sextam, negamus, animam humanam non aduenire nisi extrinsecè, & ad eius improbationem, asserimus animam humanam vocitari ab intrinseco aduenire; non quia ante hominis generationem priùs existat, & postmodum corpori adueniat; sed quia, in corpore, à Deo extrinseco agente creatur, & etiam quoniam de materiæ potentia non educitur.

Ad 7. cōsequētiā affirmamus, in eodē temporis instanti, quo anima creata est, etiam corpus informare: idcirco tempore corpus, cuius dicitur forma, minimè præcedit; præcedit tamen anima naturæ prioritate illud corpus, quandoquidem priùs natura, anima creata est quam informet corpus; nam isto naturæ ordine anima corpus informat, eique esse confert. Etenim in primo naturæ instanti, anima humana in corpore creatur, in secundo autem naturæ instanti, ipsum informat corpus, eique esse confert essentiale; in tertio autem naturæ instanti, ei esse confert existentiæ, quæ tamen omnia naturæ instantia in vno temporis instantia sunt.

Ad

Ad tertiam, consequentiam esse necessariam autumamus, verum negamus consequentis falsitatem, & ad eius improbationem primam concedimus consequentiam; at secundam negamus, & ad probationem attruimus non eandem esse rationem de orbis motore, & de anima; quoniam orbis motor est in specie completus, (pro nunc hanc sequendo opinionem) vnde non est forma, & ideo orbem motor pręcedere potest; anima autem est speciei pars, & est forma, & ideo ipsum corpus non potest tempore pręcedere.

Ad 4 cõsequẽtiã negatur consequẽtia, & ad eius probationem, asserimus animam humanam habere esse per se, nec non operationem per se, sed hãc negamus illationem, videlicet: ergo cùm humano corpore vnum per se non facit; & ad eius probationem, negamus Aristotelem docere ex per se non posse fieri vnum per se; sed tantum docet ens per se fieri ex ente in pura potentia, & ex suo actu. Secundò asserimus, licet verum sit ex ente per se completo, non posse fieri vnum per se, vnũ tamen per se fieri potest ex ente incompleto in actu.

Ad 5. cõsequẽtiã negatur, si anima extrinsecùs adueniat, ita se habere animam ad hominem, sicut se habet intelligentia ad orbem, & ratio discriminis duplex assignatur; prima, quia anima intellectiua secundum se est res incompleta & hominis pars; intelligentia autem est res completa sine respectu ad corpus, idcirco anima multiplicatur numero, ad corporis multiplicationem, intelligentia autem nequaquam multiplicatur. Secunda, quia anima humana est forma corpus humanum informans; intelligentia autem non est forma informans. Secundò possumus respondere hunc in modum. Dato, sed non concesso, eandem habitudinem habere animam ad hominem, quam habet intelligentia ad orbem; non tamen consequitur sicut anima intellectiua in eadem multiplicatur specie, ad corporum multiplicationem, ita etiam intelligentia in eadem multiplicetur specie, ad orbium multiplicationem; quoniam omnia humana corpora eiusdem sunt speciei; orbes autem specie distinguuntur, idcirco, dum anima ad corporum multiplicationem multiplicatur, numeraliter multiplicatur; intelligentia autem specifice multiplicatur. Ad textum negantur omnes consequẽtiæ; nullam enim habent apparentiam.

Ad septimam prima negatur propositio vniuersaliter, etenim de immortali quod in se uirtualiter vegetatiuam continet animam, falsa est, qualis est intellectiua anima, quæ in se vegetatiuã, sensitiuamque continet animam, sicut tetragonum in se virtualiter trigonum continet, vt explicat Aristoteles. 2. de Anima text 30. ideo, hoc immortale quod est anima intellectiua, est nutritionis, augmenti, & decrementi; nec non, sensationis formale principium.

Ad octauam dicimus, intellectiuam animam à materia, recipere indiuiduationem; anima enim per commensurationem ad materiam, indiuiduatur, à Deo namque sub tali indiuiduali natura, vt sit huic commensurata corpori, seu huic materię, creatur, & in hoc, aquæ in vase congelatæ similitudo tenet, & non in alio; sicut enim aqua dum congelatur indiuiduationem recipit per commensurationem ad vas, ita anima cum à Deo creatur, vt ad hoc commensurata corpus, seu ad hanc materiam creatur.

Ad Nonum respondet Diuus Tho. 2. contra gen. capit. 81. in fine, animam post mortem amare posse, sicut & intelligere, & ad Arist. authoritatem respondemus, amare, gaudere, aliasque animæ operationes in Aristotelis doctrina duobus modis sumi, vno modo, vt sunt animæ passiones, quo pacto sunt actus sensibilis appetitus

secundum

secundum concupiscibilem, & irascibilem, cum aliqua corporali permutatione, & hoc modo, in anima, post corpus, nequaquam remanere possunt, & de amare hoc pacto loquitur Aristo. in primo de anima loco citato. Alio modo, sumuntur pro simplici voluntatis actu, qui est absque aliqua passione, & de ista operatione, pluribus in locis, habet sermonem Aristot. vt patet. 7. Ethico. cap. vltimo, vbi astruit Deum vna simplici gaudere operatione, & in. 8. Ethico. capit. quinto. Seiungens amorem amicitiæ, ab amore, qui est passio, & in. 10. Ethic. cap. 8. affirmat, in sapientiæ contemplatione, admirabilem esse contemplationem, & in. 12. Methaph. tex. 39. asserit, maximam in Deo esse delectationem & huiusmodi amor, & operationes, in anima, possunt esse, separata.

Ad decimum. Respondemus ex D. Thom. 1. p. quæst. 118. a. 2. ad quartum. Et de Põa. q. 3. a. 9. & secundam inficiatur consequentiam, quandoquidem ad alicuius generationem, non exigitur, vt generans omnes eius agat partes, alioquin, nullũ naturale generans, aliquod, generaret, compositum, cum materiam minimè faciat; nec requiritur, vt aliquam eius faciat partem, alioquin, dealbans parietem non diceretur, album facere parietem cum non faciat parietẽ, nec albedinem; sed tantum vnum alteri coniungit; sed sufficit, vt coniunctionem partium, adinuicem, causet. Homo itaquè dicitur verè & propriè, hominem generare, non quia materiam, vel intellectiuam causet animam, cum ambo immediatè à Deo creentur; sed quoniam, materiam disponendo, materiæ vnionem, cum anima, causat, ex vnione autem materiæ, & animæ, tertia resultat entitas, scilicet humanitas, & sic homo est humanę terminus generationis, quare homo, verè, & propriè, hominem generat, quamuis, neutram faciat partem.

Ad vndecimum. Bifariam respondetur primo secundum sustinentes, Deum liberè agere ad aures Aristote. nec non ad mentem ipsius, creationem dari, & conceditur consequentia, scilicet mundum per infinitum tempus (accipiendo tempus pro omni duratione) potuisse non esse, & postea, incepisse, posseque desinere; & negatur, hoc Aristo. menti repugnare, licet enim Aristotel. mundi sustinuerit ęternitatem, attamen, cognouit mundum potuisse incipere, vnde in Topicis asseruit, mundum esse æternum, neutrum esse problema; & quando, locis citatis, suadet mundum incipere haud potuisse, illæ rationes probant non potuisse incipere, per Physicum motum; non autem per simplicem emanationem. Secundò. respondetur secundum sustinentes Deum de naturæ necessitate agere, & negatur consequentia; quoniam, de vniuerso, & anima, eadem non est ratio; mundus. n. ante sui productionem, nihil præsupponit, anima autem cum sit forma, ordine naturę, suum præsupponit subiectum, quod informare debet, & ad probationem, scilicet de toto, & de partibus, eadem est ratio, asseritur hoc esse verum de principalibus vniuersi partibus, quæ sunt corpora celestia, & elementa: non autem illud assertum, de secundarijs partibus, & specialiter singularibus verum est.

Ad duodecimum. Respondet D. Thom. 2. contra gen. cap. 81. & in opusculo contra Aueroistas, quando Aristoteles in. 3. Physico, & primo de Cœlo negat infinitum in actu dari, negat solummodo de infinito in rebus materialibus, & corporeis: non autem hoc negat in rebus immaterialibus, & spiritalibus, vnde non est inconueniens infinitam, per accidens, dari multitudinem, in immaterialib. cuiusmodi sunt intellectiuę animę.

Contra hanc responsionem bifariam arguitur. Primò hunc in modum: Nam hæc responsio ipsius verbis repugnare videtur. 3. Phy. tex. 36. vbi negare videtur, dari infinitum in rebus à materia abstractis, ex consequenti, in rebus immate-

materialibus & spiritalibus: ita contestans illo in textu. *Separatum quidem igitur esse infinitum à sensibilibus impossibile est*. Secundo. Ratio ab Arist. adducta. 3 Phy. vniuersalis esse videtur vniuersaliterq; probare, nequaquam dari posse multitudinẽ actu infinitam, non solum in rebus corporeis, & materialibus; verum etiam in rebus incorporeis, & immaterialibus; nam ratio ista est: Omnis multitudo est numerus per vnum mensuratus; sed multitudo per vnum mensurata est finita; igitur omnis multitudo finita est, at ista ratio, non tantum in rebus valet corporeis; verum etiam in rebus incorporeis, & spiritualibus. Et hanc rationem assumere videtur D. Thom. 1.p.q.7.a.4. ad demonstrandum, multitudinem actu infinitam minimè dari posse, non solum in rebus materialibus, verum etiam, in rebus immaterialibus. Ad primum argumentum, astruimus, Aristot. illo in text. non habere sermonem de infinito ab omni materia separato, vt est separatio intelligentiarum, & animæ humanę separatæ; at sermonem habet de infinito separato ad mentem Pytagoræ, ponẽtis, quoddam infinitum separatum, de genere quantitatis, ab omni sensibili materia separatum. Nos autem in præsentiarum sermonem habemus, de infinito omnibus modis separato, de quo immateriali, & separato infinito loquitur Aristot. 3. Physi. tex. 39. dicens. *Sed fortassis est vniuersalior quæstio* (ac si velit dicere, quàm spectet ad Physicũ) *si contingit in Mathematicis, & in intellectualibus, & in nullam habentibus magnitudinum infinitum esse, nos autem intendimus nunc de sensibilibus*. Ex quibus verbis, compertum est, hanc quæstionem scilicet an infinitum in rebus intellectualibus esse possit, ad Physicum minimè spectare; sed ad altiorem scientificum, qualis est Methephysicus; non itaque eo loci. 3. Physicorum de infinito in rebus intellectualibus determinauit. Contra hanc responsionem. Aristot. 3. Phy. tex. 66. iuxta D. Thom. interpretationem, excludit infinitum in actu etiam in rebus intelligibilibus, contra Platonem. Verum respondetur: Platonem accepisse intelligibile Mathematicum, seu quantum, vt ibi videre est: Intelligibile autem quantum non est omnino à materia separatum, nec omninò spirituale vt est anima separata; de quo intelligibili omnino immateriali, & spirituali asserimus Aristot. in Physicis sermonem non habuisse, vt infra demonstrabimus.

Ad secundum. Negamus Aristot. rationem in tertio Phy. vniuersaliter probare, non dari multitudinem actu infinitam, tàm in reb. materialibus, quàm immaterialibus: quoniam, Aristoteles supponit omnem multitudinem esse numerum; modo constat, numerum tantùm, in quantitatis genere reperiri; quia numerus ex continui causatur diuisione, ex consequenti, hæc ratio solum modò in rebus corporeis concludit, multitudinem non dari infinitam. Negamus etiam, D. Thomam in prima parte eandem Aristot. rationem assumere, ad demonstrandum non posse dari multitudinem actu infinitam, etiam in rebus spiritualibus: Nam primò Aristoteles assumit hanc propositionem, scilicet, omnis multitudo est numerus, D. Thomas autem hanc assumit, scilicet, species multitudinis numerorum, speciebus proportionantur; idcirco Aristotelis ratio ex numero procedit; ratio autem D. Thomæ, ex specierum multitudinis proportione, ad numerorum species procedit. Secundo Aristoteles hanc assumit, scilicet: Omnis numerus est multitudo per vnum mensurata; D. Thomas vero assumit: Omnis numerus est multitudo per vnum facta; modo autem, non idem est, numerum per vnum mensurari; & numerum per vnum fieri: Nã, numerum per vnum mensurari, est numerum per vnitatis replicationem certificari, numerum autem per vnum fieri, est ipsum vnum habere formæ constituentis rationem, qua subtracta, ille variatur numerus; & ideo Aristotelis ratio,

tio, ex numerorum procedit mensuratione; ratio autem D. Thomæ, ex formali numerorum constitutione procedit. Quapropter Aristotelis ratio hæc est; omnis multitudo materialis in actu existens est in aliqua numeri specie: at infinita multitudo nequaquam est in aliqua numeri specie: ergo infinita multitudo non est actu existens. Maior propositio vt nota relinquitur: minor autem ita ostenditur: omnis species numeri est multitudo per vnum mensurata, sed infinita multitudo non est per vnum mensurata; igitur infinita multitudo in aliqua numeri specie minimè est. Ratio autem D. Tho. in prima parte ista est. Quælibet multitudinis species est finita: at omnis multitudo actu existens est in aliqua multitudinis specie, ergo omnis multitudo actu existẽs est finita. Minor vt nota admittitur: maior autem ita demonstratur: Quælibet numeri species est finita, cum sit multitudo per vnum facta: at multitudinis species sunt numerorum speciebus proportionatæ: ergo quælibet multitudinis species est finita: Qua de re iure optimo, negatum est, D. Thomam Aristotelis rationem assumpsisse, ad demonstrandum, multitudinem actu infinitam, etiam in rebus immaterialibus, nedum materialibus, haud posse dari.

Ad decimumtertium duobus respondetur modis. Primo respondetur secundum D. Thomam. quarto con. gen. cap. 81. ad sextam rationem: Anima humana licet secundum fidem catholicam, per diuinam potentiam, ipsi reunietur corpori, tamen naturaliter extra corpus staret semper. Et ad huius improbationem asserimus, Violentum in duplici esse discrimine: alterum est violentum termino naturali, nec non naturali viæ oppositum; & est illud quod est in tali esse, cuius oppositum est naturale, & in sua natura habet principium ad tale esse perueniendi, & hoc violentum in graui sursum retento, inuenitur: alterum est violentum, oppositum termino, sed non naturali viæ; & est illud quod est in tali esse, cuius oppositum esset naturale: attamen sua in natura, principiũ perueniendi ad illud esse naturale, non habet. Primum violentum non potest perpetuari, cum ponat principium perueniendi ad illud esse naturale perpetuo impediri. Secũdum non est incõueniens si perpetuetur, quoniam tale violentum non est propriè violentum, cum nulla ibi sit violentia, vbi nullum principium ad aliquem perueniendi terminum impeditur, licet si esset illo in termino ille status esset naturalis. De primo violento sermonem habet Aristot. separata autem anima est in violento, secundi modi statu: quod propriè non est violentum; quo circa inficiamur, animam à corpore separati, esse violentum. Secundo respondetur, animam seu partem in duplici esse differentia; quędam est pars non per se subsistens, & ista pars si extra totum subsisteret, esset quoddam miraculum; quoniam naturaliter non potest suum existere totũ, & naturalem habere inclinationem ad suum totũ; alia est pars per se subsistens, & ista naturaliter etiam extra corpus existit, & forte nullam, saltem perfectam, ad suum totum inclinationem habet; & huiusmodi est anima humana. Ad Secundum Argumentum hic inclusum, negatur consequutio; est enim valde derisibilis; & ad probationem, negatur maiorem proportionem esse inter hominem & suam sessionem, & inter gladium & gladiatorem; quàm inter animam & corpus; quia licet non sit maior inter animam & corpus proportio, quo ad tempus, est tamen maior proportio, quę inter actum & potentiam inuenitur; imò ex anima & corpore fit vnum per se, propter actus & potentiæ proportionem; non autem fit vnum per se, ex homine & sua sessione, & ex gladio & gladiatore.

Ad decimumquartum respondetur Secundum Aristotelem, nouus effectus ab eterno productus ab agente in duplici est discrimine; quidã est in specie nom-

completus; ad sui productionem nouum susceptiuum minimè requirens veluti si Deus nunc plantam produceret, & hoc modo Aristotel. existimat esse impossibile nouum effectum, ab eterno agente sine sui mutatione de nouo produci: quidam vero est nouus effectus de nouo productus; & specie incompletus nouum susceptiuum ad sui productionem requirens; quòd quidem nouum susceptiuum, à secundis producitur causis puta a cœlo, & particulari agente; & tunc talis effectus potest à Deo, sine sui mutatione produci: Hancquè responsionem dant Herueus, & Scotus. Secundo nos respondemus, asserentes productionem de nouo esse in duplici discrimine: quædam est cum Physi. motu, & talis productio non potest esse sine aliqua producentis mutatione; quædam vero est productio sine aliquo Physic. motu: & hæc simplex appellatur emanatio, & creatio, & talis productio fit à creante de nouo sine aliqua sui mutatione; vnde formaliter respondendo autumamus, animam de nouo à Deo creari sine aliqua sui mutatione; & ad auctoritatem octaui Phy. astruimus Aristo. loqui de nouo effectu per mutationem Physic. producto.

Solutiones ad Scoti Argumenta. Cap. 16.

AD Primum Scoti Argumentum, inficiamur Aristotelem in textu allegato fateri hanc vniuersalem, scilicet omnes partes, quæ à toto separatæ remanere possunt esse elementa, idest materiales partes. Verùm solummodò declarare intendit, ipsum totum aliud esse a partibus. Hocquè suadet quoniam destructo toto remanent partes; & dat exemplum de A, & B, hanc componentibus, sillabam B A; Et de igne, & terra carnem componentibus. Et ista consequentia supra quam fundatur Scotus, scilicet ignis, & terra carnem componentes remanent, carne destructa; ergo omnes partes sunt materiales: Hæc inquam consequentia nulla est.

Ad Secundum responsum ibi datum admittimus: & ad improbationem respondemus; Verùm pro responsionis intelligentia duo sunt præsupponenda. Primum suppositum: Aristotiles in primo cœli (vt adnotant D. Thomas, & Simplicius) instituit Platonis destruere positionem, qui videbatur asserere (vt eius verba præseferunt) mundum esse in tempore genitum, per Physic. mutationem; & tamen incorruptibilem esse; idcirco Aristoteles nititur manifestare nequaquam posse esse, vt aliquid sit in tempore genitum per Physic. mutationem simul esse incorruptibile. Et quod Aristoteles sermonem habeat de esse genitum per Physicam mutationem patet ex ratione vltima, ab ipso adducta; quæ est naturalis, probans hoc suum assertum; omnia generabilia, & corruptibilia sunt alterabilia; & ista corrumpuntur ab illis contrarijs, ex quibus fiunt. Secundum suppositum: Quoniam omne quod generatur & corrumpitur, generatur & corrumpitur secundum aliquam potentiam in ipso existentem; idcirco omni significatione istorum terminorum scilicet geniti & ingeniti, corruptibilis & incorruptibilis, subintelligenda est huiusmodi potentia. Et hæc patent intuenti Aristotelis processum à textu. 130. vsque ad Primi finem libri; vbi arguit contra Platonem ex potentia ad esse, & non esse. Quapropter genitum, secundum Aristotelis intentionem, est quod nunc est, & priùs fuit verum dicere, non esse, habens tamen potentiam ad esse, per aliquod subiectum in quo potentia erat; Ingenitum autem, quod nunc est, & priùs non fuit, verum dicere non esse actu,

habens tamen ad esse potentiam. Itidem corruptibile dicitur quod nunc est & posterius erit verum dicere, non est, subiecto remanente, secundum quod poterat non esse: Incorruptibile autem, quod est. & posterius non erit verum dicere, non est, subiecto remanente per quod erat in potentia ad esse. Istis suppositis, ad argumentum dicimus: Ingenitum esse illud quod non prius est in materiæ potentia, quam actu esse habeat, quod autem tale est, non accipit esse per generationem; accipit tamen esse alio modo, puta per simplicem emanationem; & hoc modo anima est ingenita & incorruptibilis: quia de materiæ potentia, producta non est, sed ex nihilo per creationem. At contra hanc responsionem sic arguitur: interpretatio terminorum ingenitum, & incorruptibilis, ad Aristotelis mentem nequaquam esse videtur: quandoquidem, secundum Aristotelem ingenitum, & incorruptibile conuertuntur cum sempiterno non habente principium & finem; vnde sua et mundum esse sempiternum, quia est ingenitus, & incorruptibilis; secundum illam autem interpretationem haud conuertuntur, Nam Anima humana est ingenita & incorruptibilis, secundum illam interpraetationem, & tamen non est sempiterna, cum habeat principium. Respondetur licet secundum veritatem, & Aristotelem, ingenitum, & incorruptibile, cum sempiterno non conuertantur, tamen secundum Platonem, non agnoscentem (vt illius praecedentes verba) aliam productionē, nisi Physicā; cōuertuntur quo circa licet aīa nō sit genita, sed ingenita per Physicū motū, est tamen genita, seu producta per simplicem emanationem, & non est sempiterna a parte ante, sed tantum à parte post.

Ad Vltimum Argumentum respondit D. Thomas. 1 p. quaest. 89. a. 1. ad primum bifariam. Primo si Aristotelis verba recte ponderentur, illa asserunt verba ex quadam suppositione, prius facta, videlicet; Si intelligere est, quidam coniuncti motus, sicut & sentire; tunc enim adhuc, non posuerat inter intelligere, & sentire discrimen. Secundo Corrupto interiori corrumpi etiam intelligere, nō absolute, & in uniuersum, sed illud tantum, quod fit per cōuersionem ad Phantasmata.

Intellectiuum principium vniri corpori, vt forma ad aures Arist.
Cap. 17.

Licet esoterissima sit Aristotelis sententia, intellectiuū principium vniri corpori vt formam; attamen ob importunitatem Auerrois, & quorundam eius sectatorum, hanc pertractare materiam cogimur: circa quam instituimus tria peragere. Primo controuersiæ enucleabimus terminos. Secundò hanc ad Aristotelis mentē ostendemus Veritatem: tertiò aduersariorum satisfaciemus obiectis.

Quo ad Primum, pro terminorum controuersiæ explicatione quinque sunt adnotanda. Primo considerandum est, principium intellectiuum esse in duplici discrimine. Alterum est essentia, seu substantia: alterum est substantiæ seu essentiæ potentia. Primum appellatur principium (quod) principium primum, seu remotum; secūdum autem, nuncupatur principium (quo) & proximum principium.

Secundo considerandum est, controuersiam non esse de intellectiuo principio, quo & proximo; quoniam fatemur omnes, proximum principium, & quo, non posse corpori vt forma vniri, sed dissensio est, de intellectiuo principio primo, & vt quod.

Tertiò notandum est, hanc controuersiam, esse inter Auerroim eiusque sectatores, & veros paritatericos. Isti assarentes huiusmodi principium quod, & animam intellectiuam posse corpori vt formam Vniri: illi autem hoc negant.

Quarto Speculandum est; ad formæ sub-

substantialis rationem, vt docetur à D. Thom. 2. con. gen. Cap. 67. duo requiri: Primum vt forma sit formale illius principium, cuius forma dicitur: hoc autem est formam esse essendi substantiam. Secundum, vt forma, & materia in vno esse numero conueniant, quod est compositum ex eis.

Quinto notandum est: licet apud non admittentes materiæ, & formæ vnum esse solum, (vt sunt Scotistæ attribuentes materiam suum habere esse entitatiuū, ab esse ipsius distinctum formæ admitti tur tamen vtrumque esse conuenire in vno esse compositi; Et Auerrois contra quem disputamus, illas duas admittit conditiones, quas substantiali conuenire formæ asserimus: Et hæc de primo.

Quo ad secundum. Hanc ponimus conclusionem. Necesse est, intellectiuum principium vniri corpori vt forma: At quoniam hanc demostrare veritatem ad Aristotelis mentem, instituimus contra Auer. istas oppositum, ad aures Aristotelis insinuantes: idcirco ex Aristotelis solummodo verbis hæc conclusio demostranda est. Primo itaque hanc demostrabimus veritatem, hunc in modum, Aristoteles. 2 de anima tex. 5. ita, animam diffinit; *Anima est actus corporis Physici potentia vitam habentis*; Tunc subsumitur minor, sed anima intellectiua est verè, & propriè anima: ergo anima intellectiua est actus corporis Physici &c. at actus vnitur ei cuius est actus, vt eius forma: ergo anima intellectiua vnitur corpori vt forma.

Ad hoc argumentum aduersarij respondent, animæ diffinitionem nequaquàm omni conuenire animę: non enim intellectiuę conuenit animæ; & ideo falsa est minor, scilicet, intellectiuam animam verè contineri sub data animæ diffinitione. Et huius ratio negationis est, quoniam Aristo in text. 7. vbi eandem repetit diffinitionem, repetit ipsam, non absolute, sed conditionaliter, ita scribens: *Si autem aliquod commune in omni anima, oportet dicere, erit vtique primus actus corporis Physici organici*: quasi explicare velit, conditionaliter loquens, non posse esse vt sit quædam communis animæ diffinitio.

Sed cōtra hanc respōsionē arguitur, ostendendo, ipsam esse falsam. Et primo asserimus Aristotelem conditionali vsum fuisse, non quia dubitet, sed quia ex antecedentis suppositione procedit, videlicet, quod aliquid omni animæ est commune, & concludit breuem animæ diffinitionem: loco eius, quod dixerat *potentia vitam habentis*, ponendo *organici*; vnde verborum est sensus: Si autem aliquod omni animæ commune quēadmodum, de facto est omni anima aliquid commune, tunc anima est actus corporis &c. Et quòd nequaquā circa hoc dubitauerit, ex multis sequentibus compertum est textibus; ex quibus vniuersaliter, & absolutè loquitur expresse sub ista diffinitione, animam intellectiuam seu principium concludens intellectiuum. Et primo in textu. 8. sic ait: *Uniuersaliter quidem, igitur dictum est, quid sit anima; Substantia enim est, quę secundum rationem; hoc autem erat, quod quid erat esse, huiusmodi Corporis*; idest, forma substantialis corporis Physici organici, Et hæc verba sunt secundum Boetij translationem: Vbi apparet, Aristotelem haud conditionaliter vel subdubitatione, loqui verùm assertiue: Et quod sub hac vniuersali Aristoteles intellectiuam comprehendat explicite animam, clarum est, ex verbis, quæ in text. 11. subiungit, *quod quidem igitur non sit anima separabilis à corpore, aut partes quędam ipsius, si partibilis, ipsa nata est, non manifestum est, quarundam enim actus partium est ipsarum; at vero secundum quosdam nihil prohibet, propter id, quod nullius corporis sunt actus*; Ecce Aristotelem, intellectiuam expresse ponere animam, non esse à corpore separatam, ac per hoc corporis formā, quod hoc pacto sit manifestum; nam docet aper

re, hanc animam nequaquam à corpore separabilem, quasdam habere partes, quę non sunt corporis actus, & quasdā non; hęc autem solùm est anima intellectiua, quia quasdam habet partes potestatiuas à corpore non separabiles, vt sunt potentiæ sensitiuæ corporeis affixæ organis; quasdam autem habet partes, quæ sunt ab corpore separabiles, & huiusmodi sunt intellectus, & voluntas; idcirco haud sunt corporis actus.

Secunda ratio pro eadem veritate. Cap. 18.

SEcunda principalis ratio ex text. 11 & sequentibus desumitur; vbi ita scribit: *Amplius autem manifestum est, si sit corporis actus anima, sicut nauta nauis*, & mouet quæstionem, An anima corpori vt forma vniatur; an sicut nauta naui vt asserebat Plato: ex cuius solutione, intellectiuam animam sub tradita diffinitione comprehendi colligimus. Ad dissoluendam autem hanc quæstionem, ita procedit Aristoteles; Primo in tex. 12. suam ostendit intentionem, quæ est, velle ex certioribus nobis, & incertiora naturæ in incertiora nobis, & certiora secundum naturam procedere dicens; *Quoniam autem ex incertis &c.* Secundo in text. 13. distinguens opera vitæ affirmat esse tria. Primum; animatum distinguiguitur ab inanimato in uiuendo. Secundum; quatuor sunt viuendi modi scilicet per intellectum, per sensum per motum & statum localé, & per motum alimenti, & decrementi, & augmenti. Tertium: Cuicunque in est aliquod horum, dicitur viuere. Tertiò à textu. 14. vsque ad 18. inclusiuè, ostendit animam esse omnium istorum graduum, etiam intellectiui principium; istique omnes gradus vno in homine inueniuntur. Quarto in textu. 19. quoniam Plato diuersas esse in homine animas posuit, secūdum quas (ait ipse) diuersæ operationes homini conueniunt, & ad hoc excludendum, duas mouet dubitationes; ex quorum solutione, huius opinionis veritas colligitur: quarum prima est, verum vnum quodq; horum sit anima per se, vel sit pars animæ potestatiua. Secunda, dato quod sint vnius partes animæ, vtrum solum secundum rationem differant, an etiam loco idest organo, subinde in tex. 20. soluendo primo secundam dubitationem ita contestatur; *De quibusdam hoc difficile non videre, sed quædam sunt, quæ habent dubitationem;* & in istomet textu, ostendit de quibus sit manifestum, affirmatque hoc esse clarum de his quę ad vegetabilem pertinent animam; & de his quæ ad sensitiuam spectant animam: huiusmodi enim potentiæ loco (idest) organo minimè distinguuntur per hoc, quod plantæ & animalia quædam decisa viuunt, & in qualibet parte animæ apparent omnes operationes, quæ sunt in toto. Quod autem de quibusdam sit dubitatio, an scilicet loco id est organo distinguantur, in text. 21 explicat dicens: *De intellectu autem & perspectiua potentia, nihil adhuc est manifestum; sed videtur genus alterum animę esse.* Et ideo Commentator perperam hunc exponit textum, contestans Aristotelis intentionem fuisse, docere intellectiuam animam esse ab alijs animabus alterum genus, ex consequenti sublata animæ diffinitione haud contineri; & ideo animam de intellectiua, & alijs animabus equiuocè prædicari, hęc in quam interpręratio textibus immediate præcedenti, & subsequenti, è diametro repugnat Præcedendi quidem quoniam in eodem ait; expressè dubitationem esse, an aliquę animę partes loco distinguantur: & respondet hoc in textu, hanc dubitationem in intellectiua, & perspectiua, speculatiua habere locū, affirmans, *hoc adhuc non esse manifestum*. Ecce quod quæstio, & responsio est non de anima, sed de animæ partibus: quòd autem textui immediatè sequenti repugnet, ita fit manifestum;

festum; Nam declarás quali modo intellectus, & perspectiua essent alterum genus ab alijs animæ partibus, ita contestatur; *Et hoc solum contingere separari, sicut & perpetuum à corruptibili; Unde in in hoc est alterum solum*. Et nota illam dictionem (solum) quia intellectus videtur in hoc esse quoddam perpetuum, aliæ autem animæ partes sunt corruptibiles; qua de re non vult se mouere intellectiuum principiũ à communi animæ diffinitione; sed à propriis aliarũ partiũ naturis; sicut qui dicit, alterum animalis genus esse volatile à gressibili, non remouet à volatili communem animalis diffinitionem; & ideo quando Aristoteles in tex. 21. asserit, *Adhuc non esse manifestum de intellectu &c.* intelligendus est, quantum ad id, quod est intellectui proprium; non autem quãtum ad cõmunem diffinitionem.

Si autem (vt ait Commentator) anima æquiuocè dicitur de intellectu, & alijs, primo distinxisset animam, deinde diffiniuisset; ista enim est Aristot. & omnium Phylosophorum cõsuetudo, ne in incertum, & æquiuocè procedãt, quod est omnino à scientijs demonstratiuis alienum.

Hoc itaq; habito, quod anima determinatur vegetatiuo, sensitiuo, intellectiuo, & secundum locum motiuo, demonstrat consequenter in tex. 24. animam, secundum omnes istas partes, corpori vniri, non sicut nauta naui; sed sicut forma materiæ, & talem adducit demonstrationem; *Illud, quo primo aliquid operatur est operantis forma*; & hanc propositioné ita suadet, Dicimur scire anima, & scientia; per prius autem scientia, quã anima; quia per animam non scimus nisi in quantum scientiam habemus: at scientia est animæ forma; ista propositione probata, subsumitur minor; sed anima est primum, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus: igitur anima secundum omnes istos gradus, est corporis forma, & ista anima, secundum intellectiuum gradum, est corporis forma.

Alijs duabus rationibus eadem ostenditur veritas.
Cap. 19.

TErtia principalis ratio demonstrans intellectiuam animam esse hominis formam, colligitur ex text. 27. vbi animæ iam diffinitæ numerans potentias; sic ait, *Potentias autem dicimus vegetatiuum, sensitiuum, appetitiuum, motiuum secundum locum, & intellectiuum*; Per intellectiuum, intellectiuam intelligẽs potẽtiam, vt notum est, tùm ex ipso textu, tùm ex tex. 28. fine dicens: *Alterius autem inest intellectiuũ, & intellectus in hominibus*; qua de re, compertũ est, intellectum esse animæ potentiam, quę inest hominibus. Non itaque intellectus est ab hominibus separatus vt fingit Commentator. Et animæ diffinitio intellectiuam continet animam.

Quarta ratio ex text. 30. desumitur; omnem animam, etiam intellectiuam, ostendit esse prædicta diffinitione diffinitam. Sic enim dicit. *Manifestum igitur est, quòd eodem modo, vna vtique erit ratio animæ, & figuræ, neque enim ibi figura est præter triangulum, & figuras, & quæ consequenter fiunt, neq; hic, anima prædictas est &c.* Quibus ex verbis, & sequentibus, apparet manifeste, non esse quærendam aliã animam, præter supradictas; quibus cõmunis est suprapośita animæ diffinitio: Aliqui ex Themistij verbis primo de anima cap. 23. ad supradictas respondẽt rationes dicentes, rationalem animam in duplici esse discrimine: altera est coniuncta, quæ altero nomine appellatur cogitatiua, & hæc dat homini esse, ac speciem, & ista est corruptibilis; altera verò é separata, quæ à Themistio nũcupatur forma manens: Arist. autem per se primò communem omni animæ inuestigat diffinitionem, quę anima dat esse: non autem communem omni animæ extrinsece diffinitionem quærit;

C licet

licet verum sit, ipsum aliquando de anima separata sermonem interponere; quoniam videtur sibi, & quibusdam alijs vnam eandemque animæ diffinitionem analogicè conuenire animæ coniunctę, & separatæ.

Et ad hunc suum confirmandum errorem, adducunt duplicem Aristo. locum. Nam Arist. cum ad finẽ communissimę animæ diffinitionis peruenisset, subiungit tanquàm clarum, quasdam animæ species esse actus corporis, & quasdam minimè. Hoc autẽ nequaquàm esse posset, si illa diffinitio omni animæ vniuocè conueniret. Compertum enim est, omne cui illa cõuenit diffinitio, esse corporis actum, qua propter illa diffinitio per se primo solùm animæ coniunctæ corruptibili competit. Secundus locus est, quoniam Arist. subsumit; *Amplius autem immanifestum est, si sit actus corporis, sicut nauta nauis*; hæc autem dubitatio, & obscuritas nulla est de animab. vnitis, sed tãtum de anima separata. Ex quibus apparet, non eodem modo aĩam coniunctam & separatam esse actum; quo circa videtur illa diffinitio nequaq̃ esse vniuoca, sed equiuoca, vt astruit Commẽtator; vnde subditur. *figuraliter quidem sic determinetur, & describatur anima*.

Verùm, hęc dicta in ista responsione omnino falsa sunt, & primo dictũ principale, videlicet, Primo & per se diffinit anima coniuncta quę est corruptibilis, & inter ponit qñq; sermonẽ de anima separata, eo quoniam & hæc diffinitio aliquo modo analogicè conuenit etiã animæ separatæ, ostenditur bifariam esse omnino falsum; Primo Aristo. in tex. 24. animam esse corporis actum demõstrare instituens hunc in modum argumentatur; *Anima est primum, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus*. ergo primò est actus; Ecce itaq; secundum Arist. verba, animam quam supra diffiniuit, esse principium quo primo intelligimus; sed cogitatiua, quæ anima humana corruptibilis nuncupatur, non est principium quo primo intelligimus anima. n. qua primo intelligimus est anima intellectum habens, vt ipse docet in tertio de anima; Vbi sermonem habens de possibili intellectu, ita contestatur: *Dico autem, quo operatur & intelligit anima*, qua propter illa diffinitio non solũ modo data est de corruptibili anima, verùm etiam de incorruptibili; quæ est anima intellectiua.

Secundo, in text. 27. diuidens potentias aiæ quã diffinierat ita scribit, *potentias dicimus, vegetatiuum, sensitiuum, affectatiuum, motiuum secundum locum, & intellectiuum*; igitur intellectiuum est diffinitæ potentia animæ; ergo non fuit diffinita tantùm corruptibilis anima. Et si aliquis asserat sua in peruersitate persistens, per intellectiuum, cogitatiuam intelligi potentiam, contra arguitur, Aristot in tex. 29. ostendere volens quo nã modo quibusdam omnes huiusmodi potentiæ inhæreant concludit: *Quibusdam autem & secundum locum motiuum; alterius autem intellectiuum, & intellectus; vt hominibus*; Ecce quòd pro vno, & eodem sumit & intellectum & intellectiuum.

Ad primam auctoritatem trifariam respondetur; Primo dicimus, dato sed non concesso, Aristo. loqui de animę speciebus, ibi sermonem habere de actu à materia in esse dependenti; Nam aliqua anima à materia dependet, tanquã de materiæ potentia educta, & illa minimè à materia separabilis est: sed corrupto corpore, ipsa etiam corrumpitur: aliqua vero est à materia in dependens, quoniam nullo modo de materiæ potentia educitur, & ista est à materia separabilis, ac per hoc est immortalis, cuiusmodi est intellectiua anima; cum his tamen stat, quamlibet animam vniuocè esse actum materiæ informatiuum, ex consequenti, data aię diffinitio corruptibili & in corruptibili vniuocę cõuenit.

Secundo respondemus Aristot. habere sermonem de animæ partibus non subiectiuis, quę sunt species, sed de potestatiuis, quæ sunt animæ potentię: quod manifestum est ex hoc, quoniam sub dubio

bio ponit, an anima partes habeat: nulli autem dubium est, an anima subiectiuas habeat partes, seu species; sed bene dubium est, an potestatiuas habeat partes.

Tertio respondetur, illa verba magis proposito, quàm opposito fauere vt superius deduximus; Cum enim quædam partes animæ superius definitę ab Aristo. dicantur separabiles esse, & non esse corporis actus, relinquitur intellectiuã animam, cuius intellectus est potentia, sub illa comprehendi diffinitione.

Ad secundam auctoritatem, autumamus Aristotelem non ideo illud subinferre dubium, quasi intellectiuam animam esse actum informantem dubitauerit; non autem de corruptibili dubitauerit anima, sed quoniam prospiciens, animam absolutè esse, informatiuum corporis actum, vt patet ex eo quia dixit, non oportere quærere quo nam modo ex anima, & corpore vnum fiat, & ex eo quoniam asseruit, animam esse substantiam secundum rationem, & quod quid erat esse; & nondum perfectè explicauerat, an anima esset informatiuus actus, per modum, quo, forma materiã informat, an per modum, quo, motor est mobilis actus; idcirco non erat perfectè clarum, an anima corpori vniretur vt forma materiæ; non autem vt nauta naui, tali ratione; Illud, quo, primo aliquid operatur, est eius forma; sed anima est primum quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus; igitur anima est corporis forma; & sic manifestat, animam, quã dixerat esse corporis actũ, corpori vniri, non tantùm, vt motor, quẽadmodum docebat Plato; sed vt forma materiæ vnitur. Non amplius Arist. in hoc secundo libro de intellectu commemorat, nisi quod postmodum subdit in text. 32. Vltimam, & minimam esse ratiocinationem, & intellectum, quia scilicet, est tantum in pautioribus, videlicet, in hominibus: At quoniam, maximum est discrimen, inter intellectum & imaginationem quantùm ad operandi modũ, subdit immediate: Aliam esse rationem de speculatiuo, & intellectu; Hoc enim in tertio libro inuestigãdum reseruat.

Et ne quis dicat, sicut Auerroes perperam exponit, ideo Aristot. de intellectu speculatiuo aliam esse rationem asserit, quoniam intellectus neque est anima, neque animæ pars; statim hoc in principio tertij excludit, vbi tractatum de intellectu reassumit; Ibi enim ita ait tex. primo. *De parte autem animę qua cognoscit anima, & sapit.* Nec aliquis asserere potest, hoc ab Aristo. dici, solùm de possibili intellectu, vt contra intellectum diuiditur agentem, quãdoquidẽ hoc Aristo. contestatur antequam diuidat inter se intellectũ possibilem, & agentem. Qua de re, hoc loci, intellectum vt continet in se agentem, & possibilem accipit, sicut supra secundo libro distinxit intellectum, contra alias animæ partes; & hæc sunt quæ in toto secundo libro exarantur.

Aliæ duæ rationes supradictam demonstrantes veritatem. Cap. 20.

QVinta primaria ratio, intellectiuam animã seu intellectiuũ principium Physico vniri corpori vt formã ostendens, desumitur ex tertij libri principio, tex. primo ita .n. docet Aristot. *De parte autem animæ qua cognoscit anima, & sapit*, quorũ textu, considerãda est mirabilis Aristo. diligentia, & ordo in procedendo; Atq; hinc intueri licet mentem, & sensum ipsius isto primo in textu. Itaque sciendum est, Aristo. in tertio libro exordium sumere ab his, quæ in secundo indeterminata circa intellectiuam animam reliquerat. Duo autem sunt. Primum quidem, an intellectus ab alijs animæ partibus solummodo ratione separetur; an etiam loco; quod quidem indeterminatum reliquit, cum in text. 21. asseruit; *De intellectu autem & perspectiua potentia nihil adhuc manifestum est.* Hancque positionem primo reassumit cum, dicit, *siue separabili existente*, scilicet, ab alijs partibus, *siue non separabili secun-*

dum magnitudinem, sed secundum rationem. Et pro eodem accipit hic separabile secundũ magnitudinem, pro quo supra dixerat separabile loco. Secundo reliquerat indeterminata in intellectus differentiam ad alias animæ partes, quo ad operandi modum, cum postmodum in tex. 32. asseruerit. *De speculatiuo autẽ intellectu alia ratio est*. Ex hoc statim in tex. primo tertij libri inuestigat, cum astruit. *Considerandum autem quàm habent differentiam &c.* talem enim intẽdit assignare differentiam, quæ cum pręmissorum vtroq; stare possit, siue sit anima magnitudine separabilis, seu loco, ab alijs partibus, siue non: & hoc ipse loquendi modus satis aperte indicat: *Considerandum enim*, ait, *intellectum differentias, ad alias animæ partes, habere, siue sit ab alijs magnitudine, seu loco, separabilis, siue non; sed secundum rationem tãtum*; idcirco clarum est, ipsum Aristotelem minimè intendere hanc ostendere differentiam quod sit substantia à corpore separata: hoc enim nequaquàm cũ prædictorum vtroque posset saluari, at intendit differentiam, quo ad operandi modum explicare; Vnde subdit, (*Et quo modo sit idem intelligere ipsum*) qua propter per ea, quæ ex Aristot. verbis vsq; modo accipere possumus, manifestum est, ipsum voluisse, intellectum esse animę partẽ diffinitæ per hoc, quod est corporis actus, dum autumat; (*De parte autem animæ, qua cognoscit anima, & sapit.*) Anima ergo, intellectiuam habens potentiam, est Physici corporis forma.

Sexta ratio colligitur ex textibus. 1. 2. 4. 5. 6. & 7. Nam statim mota quæstione in primo textu, de differentia inter intellectum & sensum, quo ad cognoscendi modum; quærit in secundo textu, huiusmodi differentiã, perquirendo in quo sensus & intellectus conueniãt, & discrepent: Duo enim supra de sensu determinauerat. Primum; *sensus est in potentia ad sensibilia*; & hoc in textu. 52. secundum, *sensus patitur, & corrumpitur à sensibilium excellentiis*; & hoc in text. 123. & 124. Hoc autem est, quod in tex. Inuestiga. (*Si igitur est intelligere sicut sentire, aut pati aliquid, vtq; erit ab intelligibili*) vt. s. si corrumpitur intellectus ab excellenti intelligibili, sicut sensus ab excellẽti sensibili (*Aut ut aliquid huiusmodi alterum*) Idest an intelligere sit aliquid huius simile. s. ei, quod est sentire (*alterum tamen quantum ad hoc.*) Idest quod non sit passibile. Huic igitur quęstioni statim in tex. 3. dat responsum, & concludit, nõ ex præcedentibus, verum ex sequentibus, quæ tamen ex præcedẽtib. manifesta fiunt affirmans, hanc animæ partem esse impassibilem, & oportere vt non corrumpatur, sicut sensus, & in hoc à sensu discriminatur, (est tamen quædam alia ipsius passio, intelligere secundum quod communi modo, pati dicitur) & consequenter in quo conueniant, ostendit, & in duobus conuenire docet. Primò; sicut sensus est sensibilium susceptiuus specierum, ita intellectus intelligibilium. Secundò; sicut sensus est in potentia & nõ in actu ipsa sensibilia; ita intellectus est in potẽtia, & nõ in actu intelligibilia. Et ex hoc concludit; sicut sensus ad sensibilia se habet, ita ad intelligibilia intellectus. Inducit autẽ Arist. sensum, & intellectum esse in potentia, sua obiecta, contra Empedoclẽ, & alios antiquos, decẽtãtes, cognoscẽtẽ esse de cognoscibilium natura; & ideo asserebãt, terram terra cognosci, & aquã aqua; Et hęc vera esse, supra de sensu probauit; nunc duplici medio tex. 4. de intellectu probat. Primo testimonio Anaxagore, loquentis, nõ de hoc intellectu, sed de intellectu, q oĩa mouet. Sicut itaque Anaxagoras illum intellectũ asseruit immixtum esse, ut imperet mouẽdo, & segregãdo, ita nos possumus astruere, humanũ ĩtellectũ esse immixtũ necessario vt oĩa cognoscat: Secũdo: hoc ostẽdit tali medio) *intus. n. apparẽs prohibet extraneũ & obstruet*). s. Intellectũ, vt nõ possit cognoscere, vt clarũ est de sensu visus, in se aliquem naturalem habente colorem: Idcirco concludit in tex. 5. intellectum antequam intelligat in actu nihil esse eorum actu, quæ sunt ante intelligere. Et

quia

quia meminerat de Ananagore dicto, loquentis de intellectu omnib. imperante, ne crederetur de hoc intellectu hæc conclusio, tali loquendi modo vtitur; *Vocatus itaq; animæ intellectus; dico autem intellectum, quo opinatur, & intelligit anima, nihil est actu eorum quæ sunt ante intelligere.*

Ex isto asserto duo apertissimè colliguntur. Primum: Aristotelem minimè de intellectu, qui sit aliqua substantia separata sermonem habere; At de intellectu quem supra potẽtiam, & animę partem, qua anima intelligit appellauit. Secũdo, supra probauit, intellectum haud aliquam determinatam in actu naturam habere: Nondum tamen probauit, non esse virtutem in corpore, vt Auerroes decantat, sed hoc statim ex præmissis cõcludit; Nam sequitur in tex. 6. *Vnde neque misceri, est rationabile ipsi corpori;* & hoc ostendit per principium quod, sup. probauerat scilicet, quod intellectus aliquam actu nequaquàm habet naturam de sensibiliũ naturis. Ex quo patet, non misceri corpori; quoniam si corpori misceretur, aliquam corpoream haberet naturam; & hoc est, quòd subdit: *Qualis enim aliquis vtique fiet, aut calefactus, aut frigidus, si organum aliquid erit, sicut sensitiuo &c.* quoniã sicut suo proportionatur organo, & trahitur quodãmodo ad suam naturam: vnde etiam secundum immutationem organi, sensus operatio immutatur, ita esset de intellectu, si organum haberet: quo circa corpori non misceri intelligitur, quia non habet organum, sicut sensus. Quod autem intellectus nequaquam organum habeat, per dictum quorundam astruẽtium, animam esse specierum locum manifestat, accipientium latè locum more Platonico pro omni receptiuo; quod assertum nõ est verum, nisi per hoc, quòd esse specierum locũ, toti non conuenit animæ, sed solum intellectiuæ, pars. n sensitiua species in se ipsa minimè recipit, sed in organo. Affirmãdo itaq; aĩam in se ipsa species recipere, certum est, secundũ hãc partem, organum nõ habere: Itidem nõ sic est specierum locus, vt habeat secundum se cõsiderata, eas in actu, sed in potentia tantùm.

Quia itaq; iam ostendit, quid intellectui conueniat, ex sensus similitudine, ad primũ, ꝙ asseruerat, reuertitur. s. oportet partem intellectiuam esse passibilẽ, & sic admirabili subtilitate ex sensus similitudine in text. 7. dissimilitudinẽ cõcludit: Ostendit igitur, non eodem modo sensum, & intellectum, esse passibiles; quandoquidẽ sensus ab excellenti corrũpitur sensibili; intellectus autẽ ab excellenti minimè corrumpitur intelligibili. Et huius causa diuersitatis est, quia sensus non est sine corpore: intellectus autem à corpore separatus est.

Hoc autem vltimum assertum aduersarij assumunt ad sui fulcimentum erroris, volẽtes p hoc affirmare intellectum neq. esse animã, neque aĩæ partem: sed quandã substantiam separatam: Verum cito obliuiscuntur eius quod, paulo ante decantauit Aristot. Ea nãq. ratione qua sensitiuum non esse sine corpore asseruit, hoc eadem rõne affirmauit, intellectum esse à corpore separatum. At asseruit, sensum nõ esse sine corpore, quia, suã per organum corporale exercet operationẽ, igitur intellectus est saparatus, quia suam nõ exercet operationem per organum: non igitur dicitur separatus, quasi non sit animæ pars.

Secundum itaq; Aristot. intellectus est aĩæ potẽtia, quę est corporis actus, igitur intellectiua anima est corporis forma.

Solutio cuiusdam pulcherrimæ dubitationis. *Cap.* 21.

QVomodo autẽ possibile sit, intellectũ, & intelligere nequaquàm esse corporis actũ, essentiã aũt intellectiuæ aĩę esse Physici actũ corporis, cũ potẽtia nõ videat esse abstractior esẽtia à qua quidẽ esẽtia, intellectiua potẽtia, actusque intelligendi profluant.

Pro huius Solutione dubitationis, tria sunt considerãda. Primũ est, quãto aliq̃ forma est prętãtior, tãto magis materię

dominatur, minusq; immergitur, & sua operatione eã magis excedit, vnde licet omnis forma sit actus corporis, ex elementis, &, mixti attamen mixti forma aliquam habet operationẽ, quæ & ex elementarib. minimè causatur qualitatibus; & ideo talis operatio minimè est alicuius operatio elementi, sed ex alio principio, puta cœlesti corpore, tali conuenit formę; sicut magnes ferrum trahit, & iaspis sanguinem restringit. Et videmus, quantò forma est præstantior, tantò etiã magis formæ virtutẽ excedere elementarẽ materiã videmus, sicut vegetatiua anima suis in operationibus excedit materiam, quam forma metalli; & sensitiua anima plusquàm vegetatiua; Anima autem intellectiua cũ sit informarum nobilitate vltima, in tãtum sua virtute corporalem excedit materiam, vt aliquàm habeat operationẽ, & virtutem, cum qua, corporalis materia nullo pacto communicet. Et hæc virtus ab Aristotele, & alijs rectè sentientibus nuncupatur intellectus.

Secundum considerandum ex dictis, sic intellectum esse separatum quoniã non est virtus in corpore, sed est virtus in anima, animam autem esse corporis actum, qua de re non est asserendum, animam, in qua est intellectiua virtus, ita materiam excedere, vt in materia esse non habeat; sed affirmandum est, intellectum, quem appellat Aristoteles, animæ potentiam non esse corporis actum. Et huius ratio est, quia anima non est corporis actus mediantibus suis potentijs; sed immediate, & per se ipsam; quæ esse specificum tribuit corpori; potentiæ autem sensitiuę sunt quarundam corporis partium actus, ipsas ad aliquas perficientes operationes; Intellectiua autem potentia nullius est corporis actus: idcirco nec suam per aliquod corporale organum exercet operationem.

Tertium considerandum est, hãc doctrinam totam, esse Aristotelis, secundo Physic. tex. 26. & hoc apparet, eius adducendo verba: Perquirit enim ibi vsq; ad quartum Phylos. naturalis, necesse est, vt cognoscat de specie, & de quod quid est, vnde sic ait, *Vsque ad quantum ergo Physicum oportet speciem dignoscere, & quod quid est?* Et huius ratio quęstionis est, qua, omnem speculari formam, nequaquam ad Phylosophum naturalem spectat; & huic respondens difficultati, ipsam resoluendo, ita asserit; *Aut quemadmodum medicus neruum, & faber ęs vsq; quo*, hoc est, vsque ad aliquem terminum. De inde ostendit vsq. ad quem terminum, dicẽs; *Cuius enim causa vnum quodq;* ac si diceret, in tantum, medicus neruũ considerat, in quãtùm ad sanitatem pertinet, propter quã, neruum medicus considerat. Itidem faber æs propter artificium; pari modo, naturalis Phylolo. formam in tantum speculatur, inquantum in materia reperitur; qua propter, naturalis considerationis terminus de formis est in formis, quæ aliquo modo in materia sunt, & aliquo modo non; quæ quidem formæ sunt in confinio separatarum, & immaterialium formarum; ideo subdit; *Et circa hæc* scilicet est consideratio naturalis, de formis, *quę sunt separatæ quidem, species autem in materia*. Quę vero sint illæ formæ manifestat dicens, *Homo enim hominem generat, ex materia, & Sol*: Hominis itaq. forma in materia est, & separata à materia est quidẽ in materia secũdm esse qd corpori confert; (hoc. n. modo est generationis causa;) separata aũt, secũdum intellectiuam virtutẽ, quę est homini propria, & ista virtus intellectus nuncupatur.

Ex istis assertis formaliter ad tactum respondemus argumentum, in ista con sistens consequentia; Intellectiua anima est corporis forma; intellectus autem est a corpore separatus: ergo intellectus est abstractior quam sit anima: quod tamen falsum videtur, cum anima sit intellectus causa; negatur sequela; quoniam sophysma committitur figure dictionis, modum mutãdo abstractionis in maiorem abstractionẽ; licet enim intellectus hũc habeat abstractionis modũ, qui est, corpus

corpus nō actuare; animæ autem essentia illum minimè habeat; attamen animæ essentia alium habet abstrahendi modum præstantiorem, quo etiam magis à corpore abstrahit, & iste est per se subsistere in suo esse, seu habere esse substantiale à corpore minimè dependens qui quidem modus est illius modi abstractionis æquiuoca causa, qui modus intellectui conuenit, & est illo præstantior, sicut omnis causa, suo est nobilior effectu.

Solutio duorum argumentorum contra supra determinatam veritatem. Cap. 22.

ARguunt autem aduersarij ex Aristotelis doctrina: Nam vt superius declaratum fuit, intellectiuum principium, est separatum, & incorruptibile, & perpetuum, vt aperte notum est, secundo de anima tex. 21. & 3. de anima tex. 20. tunc enim arguunt; Quod alicui rei secundum se inest, semper ei inest; at formæ inest secūdm se, materię vniri: ergo formæ semper inest vt in materia sit semper; tūc vltra: sed humanum corpus corrūpit, vt ipsa docet experiētia intellectiuum autem principium, est incorruptibile, ex supposito; igitur intellectiuū principium, haud potest corpori vniri vt eius forma: omnia aperta sunt, dempta secunda propositione, quæ ita suadetur: ex materia & forma fit vnum, non accidentaliter sed substantialiter, igitur forma secundum suam essentiam est materiæ actus: ex consequenti formæ inest secundum se, materiæ vniri semper.

Ad hoc argumentum tale datur respōsum; Animæ quidem secundum se, competere corpori vniri, sicut leui esse sursum asserimus conuenire, veruntamen, sicut corpus leue manet leue, cum à proprio fuerit loco separatum aptitudine, & inclinatione ad proprium locum: tali modo humana anima cum fuerit à corpore separata, in suo esse manet, aptitudinem, & naturalem inclinationē habēs ad corporis vnionem. Et ideo ad argumentum formale dando respōsum dicimus, secundam propositionem esse hunc in modum intelligendam, formæ inest secundum se, corpori vniri actu, vel aptitudine, & separata, naturalem ad corpus habet aptitudinem.

Adhuc ita arguunt id quod per se habet esse, non vnitur corpori vt forma, hæc patet, quoniam forma est qua aliquid est, vnde ipsum esse formæ non est ipsius formæ secundum se, sed ipsius est compositi: at intellectiuum principium, secundum se, habet esse, & est subsistens vt supra demonstratum est: ergo &c. Respondemus, intellectiuam animā illud esse in quo subsistit, materię communicare, ex qua materia, & ipsa anima vnum per se fit, adeò vt illud esse quod est totius cōpositi est etiam ipsius animę, & hoc minimè conuenit alijs formis non subsistentib. & hæc de causa intellectiua anima destructo corpore, in suo esse remanet; aliæ autem formæ suis destructis corporibus haud remanent. Et ideo ad argumentum imus inficias primam propositionem: & ad probationem dicimus, formam per se, subsistentem esse quo & quod subsistit, & esse cōpositi & ipsum esse prius natura subsistēti conueniens formę, & postmodum ipsi composito; Verumtamen forma humana, seu humana anima cum est corpori humano coniuncta, formaliter & actualiter se habet, vt quo tantū, virtualiter vero se habet vt quod, cum in homine fit tātum vnū quod formale & actuale, quod est homo; homo enim solum est qui est, dum autem fuerit separata a corpore, se habet vt quod existit; separata enim est quæ existit.

Intellectum possibilem non esse vnum in omnibus hominibus, tribus demonstratur rationibus: ad mentem Arist. Cap. 23.

EX declaratis, & declarandis, ad aures Arist, demonstrandũ est, non esse in omnib. hominib. vnum intellectũ possibilẽ, at in vnoquoq; homine vnũ intellectũ possibilẽ reperiri, & primo hũc in modum, ex assertis, & præcipue ex tertio libro de aĩa tex. primo, Int. possibilis est intellectiuè potẽtia aĩæ qua intelligit, vt manifestissimũ est ex illo textu: Quo circa aĩa intellectiua multiplicata etiã intellectus possibilis multiplicatur, sed in singulis hominib. sunt singulæ animæ intellectiuæ, vt notũ est in præcedentibus. igitur in singulis hominib. singuli intellectus reperiuntur.

Secũdo. Secundũ Arist. primo de Aĩa tex. 53. cõtra antiquos Phylosophos, Hominis Aĩa aliud in corpus q̃ hominis ingredi nõ põt, igitur ẽt huius aĩa hominis aliud i corpus minimè ingredi põt, quàm in huius corpus hominis, qm̃ sicut se hẽt hominis aĩa ad corpus hominis, ita ẽt se habet huius hominis aĩa, ad huius corpus hominis; at per ipsummet Arist. primo de anima text. 64 huius aĩa hominis est per q̃ hic homo intelligit, cũ aĩa sit per q̃ hõ intelligit: igiť nõ est vnus intellectus huius hõis, & illius.

Tertio. Cum s̃m Arist 4. Met tex. 3. ens & vnũ mutuo se consequanť; ideo ab eodẽ aliquid habet esse, & vnitatẽ: at vnũquodq; per suã formã substãtialẽ, esse habet, vt clarũ ẽ ex formæ diffinitione tradita in 2. Physicorũ, & 5. Met ergo etiã per substãtialẽ formã hẽt vnitate: ex cõsequẽti impossibile ẽ, vnã & candẽ substantialẽ formã diuersorũ indiuiduorũ esse hoĩum. Tunc vltra, sed aĩa intellectiua (vt ex præcedẽtib. cõpertũ est) est substantialis hominis forma, igitur impossibile est, vnã & eãdem numero animam intellectiuã omnium esse hominum.

Ad has rationes r̃ndet Cõmentator 3. de anima Com. 5. contestãs, licet possibilis intellectus rõne suæ substãtiæ in nobis nequaquã multiplicetur attamen rõne suę intelligibilis speciei in nobis multiplicať, quæ quidẽ intelligibilis species duplex hẽt subiectũ (æquiuocè vtẽdo subiecti nomine) vnũ ẽ intellectus possibilis, qui inhęsionis subiectũ appellať; aliud est Phãtasma, qđ proprio nomine dr̃ obiectũ, & nũcupatur subiectũ; qđ est veritatis specierũ subiectũ: qđ in ordine ad Phãtasmata tanq̃ ad obiectũ sumať specierũ adęquatio. Et cũ Phãtasmata in organis corporeis sint nobiscũ qñ iste intellectus vnus existens separatus, eei intelligibilẽ intelligit speciẽ subiectiuè in ipso existẽtẽ, & obiectiuè in phantasmate, nobis cõtinuatur, & dicãtamus, nos per ipsum intellectũ intelligere, & iste intellectus ratione phãtasmatis, dicitur multiplicari: quod quidẽ phãtasma est, intelligibilis fundamentum speciei.

Cõtra hanc r̃sionẽ sex arguitur medijs. Primo hãc cõtinuationẽ, seu vnionẽ, haud sufficere, demõstrãdo ad hoc vt nos intelligere dicamur, & hoc p Arist. doctrinã. Nã docet 3. de anima text. 30. *Sicut se habẽt colores ad visum, ita ad intellectũ se habẽt phantasmata.* ac per hoc sicut colorũ species in visu sunt, ita phãtasmatũ species in possibili sunt intellectu, sed ex hoc quia colores in pariete sunt, quorũ similitudines in visu sunt, actio visus nequaquã parieti attribuiť; non. n. dicimus parietẽ videre, verũ asserimus parietẽ videri: igitur ex hoc quia phantasmatũ species in possibili sunt intellectu huius puta Petri, non est astruẽdũ Petrũ intelligere; sed potius esset asseuerandũ, Petrum intelligi, seu phantasmata intelligi.

Secundo. Contra allatã arguitur, responsionẽ hũc in modum. Dato, seu nõ concesso, ad hoc, vt homo intelligẽs dicatur, prædictã sufficere cõtinuationẽ; verũtamen supradictas minimè soluit rõnes. Etenim s̃m prędictã r̃sionẽ, nihil ad intellectũ pertinẽs, s̃m quẽ hominũ multitudinẽ remanet numeratũ, nisi solumodo phantasma; subinde ipsũ phãtasma, nõ est numeratũ s̃m qđ est in actu, seu solum vt est in potentia:

secun-

secundũ enim quod in actu est, in intellectu possibili est, à phantasmatibus abstractum, vnde non est numeratum, vt est in actu, sed tantum vt est in potentia: phantasma autem vt est in potentia tantum sensitiuæ gradum animæ, non excedit.

Tertio ita arguitur. Ex ista responsione, nil aliud colligitur, nisi quod hic homo ab alio differt homine per hanc sensitiuam animam, ex consequenti, hic, & ille homo non sunt duo homines, sed duo tantum animalia.

Quarto. Contra eandem responsionẽ ita instatur. Nihil speciem, per id quod est in potentia, sed per id quod in actu est, sortitur; at phantasma, secundum id quod est numeratum in hoc & illo homine est tantum ad esse intelligibile, in potentia: igitur hoc indiuiduum intellectiui speciẽ animalis sortitur, quod est hominis ratio, per phantasma secundũ quod est numeratum: igitur illud, quod humanam confert speciem, non est in diuersis numeratum: igitur homo non sortitur speciem per phantasma numeratum in hoc, & illo homine.

Quinto illa redarguitur responsio. secundum Arist. in secũdo de anima tex. 5. & 6. illud per quod aliquid speciẽ adipiscitur, prima perfectio est; sed phantasma prima non est perfectio, at secunda, vt notum est, ex phantasiæ diffinitione, tradita secundo de aĩa text. 160. & 161. *Phantasia enim est motus factus à sensu secundum actum*, igitur phãtasma annumeratum non est id, à quo, speciem, homo adipiscitur.

Sexto supradicta responsio redarguitur. Illud quo homo, speciẽ sortitur, necessum est semper in eodem indiuiduo manere dum existit quoniam tunc, si non semper maneret, illud indiuiduum vnius & eiusdem non esset speciei: sed modo esset huius, modo illius: sed phantasmata non semper in vno homine eadem manẽt: verum quædam denouo adueniunt, quędam autem præexistentia aboléntur. igitur phantasmata hominẽ in esse humano minimè cõstituere possũt

Aliqui Auer. sectatores, ad has respõdent redargutiones, hũc hoĩem nequaquam ab ipsis, speciem sortiri phãtasmatibus, vt adductæ demonstrãt rationes, sed virtutibus, in quibus ipsa sunt phãtasmata: quæ quidem virtutes, sunt imaginatiua, memoratiua, & cogitatiua, & hæc cogitatiua est homini propria, & vocitatur ab Arist. intellectus passiuus 3. de anima tex. 20.

Verum contra hanc respõsionem trifariã instatur. Cogitatiua solũ circa particularia operationes habet: quorũ particulariũ intẽtiones componit, & diuidit: & istas non exercet operationes, nisi per corporale organum: & ideo cogitatiua sensitiuũ genus animæ haud transcẽdit: homo aũt ex sensitiua aĩa humanũ minimè esse habet, sed tm̃ esse brutale; quocirca homo in hominis esse per cogitatiuam nequaquam constitui põt.

Secundo virtus cogitatiua cum suas per corporale organũ exerceat operationes, nõ est id, quo intelligimus: cũ intelligere non sit alicuius operatio organi; verũ id quo intelligimus est illud quo homo est homo: cũ intelligere sit ꝓpria hominis operatio, eius consequens speciem: quapropter per cogitatiuã homo nequaquam est homo.

Tertio. Virtus cogitatiua ordinem ad possibilem non habet intellectum quo homo intelligit, nisi per suũ actum, quo phantasmata præparantur, vt per agentẽ intellectũ fiant actu intelligibilia, & possibilẽ perficientia intellectũ: sed ista operatio non semper eadẽ in nobis manet: igitur impossibile est hominem vel humanæ principio speciei, cõtinuari, vel per eam in specie constitui.

Alijs quinque rationibus ad aures Arist. eadem demostratur veritas. *Cap.* 24.

QVarta rõ desumitur ex Arist. doctrina 3. de anima pręcipuè suppositis primo quatuor ꝓpositionib. prima ꝓpositio. *Sciẽtiæ habitus est primus actus possibilis intellectus, q. tũ hũc põt per se ipsũ operari.* Ex qua Arist. ꝓpositione falsum

&

& ad mentem ipsius scientiam esse solũ phantasmata illustrata, & quandam facultatẽ in nobis acquisitam ex frequenti meditatione, & exercitio, vt per nostra phantasmata cũ possibili intellectu continuemur. Hæc propositio principalis desumitur ex Aristot. 3. de anima tex. 8. nam cum asseruisset tex. 5. possibilem intellectum esse omnia in potentia, & in tex. 7 docuisset ipsum esse separatum: tunc in tex. 8. hæc verba subiungit. *Cum autem sic singula fiat intelligit in actu, ut sciens dicitur qui secũdum actum; hoc autem confestim accidit cum possit operari per se ipsum. Est quidem igitur & tunc potentia quodammodo, non tamen similiter vt ante addiscere, aut inuenire, ipse autem seipsum tunc potest intelligere.* Quæ verba ita D. Thomas interpretatur. *Cum autem sic fiat singula*, idest sic reducatur in actu specierum intelligibilium quemadmodum sciens, idest; habens scientiæ habitum, habet species in actu, & tunc dicitur intellectus qui est secundum actum. Hoc autem accidit statim cum aliquis potest per se ipsum operari operatione intellectus, quod est secundum intelligere sicut & quamlibet formam tunc aliquis in actu habet; quando potest operationem illius formę explere. Ex illis Arist. verbis. *Cũ autem sic singula fiat vt sciens dicitur qui secundũ actum.* Et ex illis D. Thomæ interpretatione. i. sic reducatur in actu specierum intelligibilium *quemadmodum sciens.* i. habens sciẽtiæ habitum, colligitur expresse habitum scientiæ esse actum primũ intellectus possibilis, qui secundum hunc actum potest per se ipsum operari: vt patet ex verbis subiunctis ipsius Aristo. *Hoc autem cõfestim accidit, cũ possit operari per se ipsum;* & ex D. Thomæ interpretatione ita dicentis. Hoc autem accidit statim cum aliquis potest per se ipsum operari operatione intellectus.

Secunda propositio. Noster possibilis intellectus fit in actu per nostrum addiscere, & inuenire. Hęc proposito expresse colligitur ex illis verbis Aristo. *Est quidem igitur & tunc potentia quodammodo, non tamen similiter, ut ante addiscere, aut inuenire.* Ex isto verbo, *ante addiscere, aut inuenire,* colligitur intellectũ nostrum possibilem in actu primo fieri per addiscere, aut inuenire: vt patet ex interpretatione D. Thomæ ita interpretãtis. Sed licet tũc intellectus quodammodo sit in actu, quã habet species intelligibiles, sicut sciens habet habitum. est tamẽ & tunc quodammodo in potentia: non tamen eodem modo sicut priùs erat in potentia, antequam scientiam acquireret addiscendo, vel inueniendo. Nam antequam haberet habitum scientiæ, qui est primus actus, non poterat operari cum vellet: sed opportebat quod ab altero reduceretur in actum: sed quando iã habet habitum scientiæ qui est actus primus; potest cum voluerit, procedere in actum secũdum qui est operatio. Supradicta propositio ex omnibus istis colligitur verbis: sed præcipuè ex illis Aristot. *Non tamen similiter, vt ante addiscere, aut inuenire,* & D. Thoma ita interpretãte; antequam scientiam acquireret addiscendo, vel inueniendo.

Tertia propositio. Ipse possibilis intellectus ante nostrum addiscere, & inuenire est sicut tabula rasa in qua nihil scriptum est. Hæc propositio colligitur ex tex. 14. nam cum Arist. in tex. 12. inuestigasset, si intellectus est simplex, & impassibilis, & nulli, nihil cõe habens, sicut asseruit Anaxagoras. Et si intelligere est quoddam pati, quomodo intelliget? Et ad hoc dissoluendum, respondet tex. 14. ita affirmans. *Quoniam potentia quodammodo est intelligibilia intellectus, sed actu nihil anteq̃ intelligat. Oportet autẽ sic esse sicut in tabula nihil est scriptũ actu, quod quidem accidit in intellectu.* Ex quibus verbis hæc propositio apertissimè colligitur.

Quarta propositio. In doctrina Arist. species intelligibiles in possibili conseruantur intellectu, & scientia est habitus permanens. Hæc propositio colligitur ex tex. præcedentibus vt colligit D. Thomas in expositione supradicti 8. tex. ita dicens contra Auic. asserentem oppositum.

tū. Manifestè hic philosophus dicit qđ intellectus reducitur in actum specierū per modum quo sciens actu ad huc est in potentia intelligens. Cum enim intellectus actu intelligit, species intelligibiles sunt in eo secūdum actum perfectū; cum autem habet habitum sciētiæ, sunt species in ipso intellectu medio modo inter potentiam puram, & actum purū. Collegitur etiam hæc propositio ex tex. 6. vbi intellectum possibilem appellauit specierum locum.

Ex omnibus istis suppositis ita quarta formatur ratio. Si aliquis hominum præcedentium factus est in actu secundum aliquas species intelligibiles: est factus secundum scientię habitum perfectus; ex quarta propositione, illę species intelligibiles, & ille perfectus scientiæ habitus in ipso possibili remanet intellectu; igitur per nostrum nouum addiscere species intelligibiles non acquirūtur in possibili inellectu; ex consequenti noster possibilis intellectus non fit in actu per nostrum nouum addiscere, aut inuenire, ad mentem Arist. vt asseritur in secunda propositione, ex consequenti illa propositio esset falsa, consecutio ꝓbatur. Omne recipiens debet esse à recepti natura denudatum, vt dicitur tertio de anima tex. 4. & 5. igitur si species intelligibiles iam sunt in possibili intellectu amplius in ipso haud recipi poterūt: igitur falsum est vnum esse omnium hominū possibilem intellectum: qm̄ si esset oīum hoīum vnus intellectus possibilis, solus primus homo oēs alios præcedens inuenisset, vel didicisset, alij autem homines nihil didicissent vel inuenissent.

Et si aliquis respondeat secundum nostrum inuenire & addiscere possibilis intellectus fit secūdum aliquid de nouo in actu, non autem secūdum intelligibiles species, quas apud se habet: vt si aliqs aliquas intelligibiles inueniat species, quas nullus, præcedentium inuenit, qđ facit dum aliquid de nouo intelligit, qđ præcedentium nullus intellexit. Contra hoc responsum sic instatur: licet aliquis possit de nouo inuenire aliquod intelligibile; ex cōsequenti aliquas possit per inuentionem acquirere species: attamen nō potest istas acquirere per addiscere; quoniam, non potest addiscere nisi id, quod docens prius cognouit: ex consequenti, per addiscere non fieret de nouo in actu, & de nouo per ipsum addiscere species non acquireret intelligibiles quæ sunt contra asserta ex Aristotele adducta, loquente de addiscere, vt ex supradictis verbis compertum est.

Quinta. Si ponamus hominē esse æternum secundum Aristo. opinionem, igitur nō fuit primus homo intelligens, ac per hoc, non datur primus homo, qui phantasmata illustrauerit, & intelligibilia in potentia, fecerit intelligibilia in actu: igitur intellectus agens ab Aristo. 3. de anima tex. 17. frustra positus fuisset; consecutio probatur: quia apud ipsum agens datur intellectus, vt intelligibilia in potentia intelligibilia in actu faciat: quapropter etiam, si possibilis intellectus nihil à phantasmatibus acciperet, frustra posuisset text. decimooctauo, phantasmata se habere ad possibilem intellectum sicut colores aduisium.

Sexta ratio. Si possibilis intellectus esset omnium hominum numero vnus; tunc esset substantia separata: at separata substantia est ꝑ se ipsam intelligibilis; & non accipit à sensibilibus vt intelligatur, nec acquisitis indiget speciebus, vt per nostrum addiscere, & inuenire ad hoc vt intelligatur: igitur si possibilis intellectus esset omnium numero vnus, esset etiam per se actu intelligibilis, ante intelligibilium acquisitionem specierum, ꝑ nostrum addiscere & inuenire; & nō esset in potentia: quę omnia sunt cōtra asserta in capitis principio.

Septima ratio. Si possibilis intellectus est omnium hominum vnus numero: & cum homines fuerint secundum Aristo. ab æterno: necessum est, ipsum esse æternum: & quia agens est patiente nobilius (vt dicit Arist. tertio de aīa tex. 19.)

neces-

necesse est etiam, Agentem intellectum esse ęternum: tunc vltra, si agens & patiens æterna sunt, necesse est etiam recepta esse ęterna: at recepta sunt intelligibiles species: igitur necesse est intelligibiles species in intellectu possibili semper exstitisse: igitur possibilis intellectus intelligibiles minimè de nouo recepit species; quod est contra prædicta & confirmatur: sequitur sensum & phātasiam non esse ad intelligendum necessaria: consequentia probatur: quia sensus & phantasia non alia ratione sunt ad intelligendum necessaria, nisi quia ab ipsis intelligibiles sumuntur species. Confirmatur secūdo. Nam sequitur, Platonis opinionem esse veram, quæ est, scientiam per sensus nequaquam acquiri, sed tantū nos a sensibus ad prius scita rememorandum excitari.

Ad hanc rationem respondet Comment. intelligibiles species, duplex habere subiectum, alterum ipsum possibilē intellectum, alterum ipsum phātasma, sicut etiam visibilis species, duplex habet subiectum, scilicet rem extra animā, & visiuam potētiam. Et ex intellectu intelligibiles species, habent æternitatem, ex phantasmatę autem nouitatem.

At contra hanc responsionem bifariā instatur. Primo impossibile est actionē, & perfectionem ęternam ab aliquo dependere temporali; sed phantasmata tēporalia sunt, & denouo quotidie ex sensu in nobis facta; ergo impossibile est intelligibiles species quibus possibilis intellectus fit in actu, & operatur, à phantasmatibus dependere: sicut visibiles species à rebus extra animam existētes, dependent.

Secundò. Cum recipiens debeat esse à recepto denudatum nihil recipit qđ iam habet, vt etiam prius arguebamus: sed intelligibiles species fuerunt in possibili intellectu ante tuum, vel meū intelligere: igitur intelligibiles species in possibili intellectu de nouo haud recipi possunt, quod est omnino falsum: vt patet ex assertis in principio capitis.

Aliqui Auerroistarum respondent: Illas species in possibili intellectu priùs receptas cessasse, ex consequenti denouo ex intellectus agētis actione ab intellectu recipiuntur possibili. Verum contra hanc respōsionem quatuor arguitur modis. Primo possibilis intellectus nō solum recipit, verum etiam conseruat, & ideo specierum locus appellatus est. Secundo receptum est in recipiente per recipientis modum at intellectus secundum se est immotus: igitur omne receptum ab ipso intellectu est in eo fixè & immobiliter.

Tertio, intellectus est virtus præstantior quam imaginatiua, & memoria sensitiua, sed imaginatiua, & memoria ea q̃ recipiunt retinent, & conseruant, vnde etiam thesauri appellantur: igitur multo magis possibilis intellectus omnia, quæ recipit, retinet, & conseruat.

Quarto, in rebus naturalibus vanum est asserere, id, ad quod peruenitur per motum, non permanere, sed statim cessare: quo circa refellitur, asserentiū opinio, omnia semper moueri: nam necesse est, motum ad quietem terminari: igitur multo minus asserendum est, in possibili receptum intellectu minimè conseruari.

Octaua ratio. Posito possibili intellectu vno, & æterno, necessum est, in ipso esse omnes intellectuales species iam ab ipso receptas, omnium eorum quæ scita fuerunt à quibuscunque hominibus, qui fuerunt ante nos: sed quilibet nostrum, potest per species quæ in suo possibili intellectu sunt, intelligere: igitur q libet nostrum, si vnus est omnium possibilis intellectus poterit omnia, quæ sunt, vel fuerunt intellecta, à quibuscūque hominibus, intelligere. Prima propositio, ex dictis nota est, quoniam possibilis intellectus est specierum locus, easque conseruat. Secūda autem propositio aperta est tum ex tertio de aīa tex. 8. cum ex. 8. Physicorum tex. 32. vbi docetur intellectum factum in actu per intelligibilem speciem, posse quotiescūq; sibi libuerit, intelligere.

Ad

Ad hanc rationem Comm'.tale d'ar responsum. Secunda propositio falsa est, qm̄ nos non intelligimus per possibilem intellectum, nisi quatenus ipse intellectus possibilis, nobis per nostra phantasmata continuatur: & quia nō eadem sunt apud oēs phantasmata, nec eodem disposita modo, idcirco quidquid intelligit vnus, nequaquam alius intelligit. Et confirmatur, quandoquidem, etiam si possibilis intellectus minimè est vnus non intelligimus ea, quorum species in intellectu nostro possibili, reperiuntur, nisi phantasmata ad hoc bene disposita adsint.

Verum contra hanc respōsionem arguitur: ipsam esse contra Aristo. ostendē do: quoniam vt probatū est ex 3. de anima, & 8. Physicorū cum possibilis intellectus per intelligibilem speciem in ipso receptam in actu factus est, potest p se ipsum agere, & potest quæcunq; sibi placuerint, considerare, nec per phantasmata impeditur: cum possit phantasmata formare, eaque vt voluerit accommodare, nisi ex parte corporalis organi, impedimentum adesset, in quo phantasmata reperiuntur: Et propter hanc caussam, docuit Arist. 8. Physicorum tex. 32. illum, qui iam scientiæ habitum habet licet sit considerans in potentia, non indigere motore, cum de potentia reducē te, nisi prohibens remouente; & ideo in considerationis actum exire potest.

Quatuor Auerrois argumenta possibilem intellectum esse omnium hominum vnū suadentia diluuntur. Cap. 25.

SAtis abundè declarata veritate de possibilium multitudine intellectuum quatuor Auerro. argumenta nunc adducenda sunt, & soluenda.

Primum argumentum. Omnis forma vna secundum speciem, & numero plura per materiā indiuiduatur, sed per nos possibilis intellectus est secundum speciem vnus, & plures secūdum numerum: igitur possibilis intellectus per materiam indiuiduatur. Tunc vltra. At oīs forma per materiam indiuiduata materialis est forma, quoniā esse cuiuslibet rei ab eo dependet, à quo eius dependet indiuiduatio: cum indiuiduantia principia de illius essentia indiuidui sint: ex consequenti, si alicuius indiuiduatio formæ à materia depēdet, & esse illius formæ erit materiale: sed possibilis intellectus indiuiduatio, vt deductū est, à materia dependet: igitur possibilis intellectus est materialis forma; tunc vltra, sed materialis forma non recipit aliquid, neque aliquid operatur, nisi per corporale organū: igitur possibilis intellectus non aliquid reciperet, nec aliquid intelligeret, nisi per corporale organum: quod est contra totam Arist. doctrinam.

Secundum argumentum, multiplicato subiecto, accidens illo in subiecto repertum multiplicatur, sed proprium, intelligibilium specierum, subiectum, est possibilis ītellectus; igitur multiplicato secūdum numerum possibili intellectu intelligibiles species secūdum numerū multiplicantur; at formæ quæ sunt secūdum speciem eędem, & secundum numerum diuersæ, sunt indiuiduales: igit intelligibiles species sunt indiuiduales, & non vniuersales: tunc vltra: At intelligibilia in actu sunt vniuersalia, & nō particularia: igitur intelligibiles species non sunt actu intelligibiles, quod est falsum.

Tertium argumentum, Magister scientiam, quam habet in discipulum transfundit, aut igitur eandem secundum numerum; aut diuersam secundū numerum, & eandem secundum speciē; nō eandē sm speciem, & numero diuersam, quoniam tunc magister suum in discipulum scientiam caussaret, sicut suam causat in aliquo formam dum sibi simile in specie generat: hoc autem est falsum, cum hoc ad naturalia spectet agentia: igitur eandem numero scientiam, quam habet in seipso transfundit. At hoc esse non posset nisi

si vnus omnium hominum esset possibilis intellectus. Datur itaque vnus omnium possibilis intellectus hominum.

Quartum argumentum. Quaeritur, an intellectum in me, & in te sit vnum penitus numero; aut numeraliter duo, & vnum specie; si est vnum in me, & in te solummodo numero intellectum; igitur & intellectus in me, & in te erit tantum numero vnus: si autem sunt duo numero, & vnum specie: consequitur, ista duo intellecta, aliam habere rem intellectam: & sic erit processus in infinitum: quod est impossibile: consequutio probatur; quoniam quaecunque sunt duo numero, & vnum specie sunt vnum intellectum. Hoc argumentũ supponit speciem intelligibilem esse rem intellectam, & ex hoc supposito procedit.

Ad primum argumentum respondẽdo, primo dicimus, intellectum possibilem esse vnum specie, & plures numero, minimè tamen faciendo vim in hoc scilicet, hominis partes non poni propriè in genere, vel specie, vel numero secũdum se; sed solum vt totius principia. Secundo asserimus maiorem propositionem secundi sillogismi esse vniuersaliter falsam, scilicet omnẽ formã per materiam indiuiduatam esse materialem: & ad eius probationem, astruimus, animam per materiam indiuiduari, contingere bifariam; vnomodo, vt materia sit vera, & propria indiuiduationis animae causa, quod accidit quãdo illa anima ab hac materia in sui productione depẽdet: & sic verum est, talem formam per materiam indiuiduatã esse materialem: nec in hoc sensu ipsam negauimus; & sua ꝓbatio recta est: alio modo contingit animam per materiam indiuiduari non tãquam per propriam causam, sed potius tanquam per conditionem sine qua nõ; quia immediate à Deo in ordine ad hoc corpus creatur, vt sit huic proportionata corpori, & anima quae indiuiduatur sic per materiam, haud est materialis: & in isto sensu, illam negauimus propositionem; & ad eius probationem, affirmamus, primam propositionem scilicet, esse cuiuslibet rei ab eo dependet necessario, à quo etiam eius indiuiduatio dependet; veram esse de vera indiuiduationis causa; non autem de causa sine qua non. & ad eius probationem, scilicet indiuiduantia principia sunt de indiuidui essentia, dicimus verum esse hoc assertum quãdo illa indiuiduantia principia sunt vera indiuiduationis causa; non autem quãdo sunt causa solum sine qua non: & hoc modo materia, seu corpus intellectiuã dicitur indiuiduare animã, & ratio est, quia licet intellectiua anima esse in materia habeat, non tamen a materia depẽdet; cum suum esse minimè sit ad materiam obligatum: vnde esse animae intellectiuae haud à materia substentatur: idcirco potest esse à materia separatum: quadere materia non dicitur intellectiuae causa animae, nec eius indiuiduationis est propria causa: licet intellectiua anima, secundum corpus, tanquam secundum conditionẽ sine qua non, indiuiduetur.

Ad secundum quatuor respondemus modis. Primò dicimus, illam rationem, ex fundamento falso procedere, supponit enim intelligibilem speciem, esse id, quod intelligitur, cum tamen sit id, quo aliquid intelligitur, sicut affirmamus coloris speciem in oculo, esse id quo videtur color: verum intelligibilis species nõ est id, quod intelligitur; sed id, quod intelligitur est res intellectui obiecta, media specie; alioquin omnes scientiae & artes essent de intelligibilibus speciebus, & non de his quae sunt in rebus extra animam.

Secundò totum concedimus argumẽtum ad illam vsq; partem, scilicet, intelligibilia in actu non sunt particularia: haec.n. propositio vniuersaliter falsa est: quoniã licet materialia particularia, nõ sint intelligibilia actu: attamen immateria lia particularia (cuiusmodi sunt intelectuales species) sunt actu intelligibilia: idcirco, intellectus agens, & possibilis si separati ponantur, vt vult ipse Comm. erunt entia singularia et in actu intelligibilia.

Ter-

Tertiò Autumamus, hoc argumentum posse contra ipsum retorqueri Cõment, quandoquidem, siue intellectus possibilis sit vnus, siue plures intelligibiles species in ipso receptæ, eodem indiuiduantur modo per possibilem intellectum in quo recipiuntur; cum vnumquodque accidens per subiectũ, in quo recipitur, indiuiduetur, vt tu etiam doces; licet non eodem multiplicetur modo eadem in specie: cum magis in eadem multiplicentur specie, si plures sint intellectus, quam si tantum sit vnus.

Quartò asseruimus primam propositionem, scilicet multiplicato subiecto etiam accidens multiplicari, non sufficienter multiplicationis causam intelligibilium specierum, quæ possibilis sunt accidentia intellectus assignare: eo quoniam intelligibiles species, non solum ex possibilium intellectuum multiplicatione multiplicãtur, verum etiam ex intellectarum multitudine rerum, etiam secundum Comment. plures intelligibiles substantias ponentem in quarum ordine vltima est possibilis intellectus, & certum est, superiores substãtias eadem cognoscere, quæ possibilis cognoscit intellectus: et ideo orbium motores etiã secundum ipsum, omnia quę per eorum causatur motum cognoscunt, & in ipsis substantijs separatis, sunt omnium intelligibiles species, quæ cognoscuntur: idcirco intelligibiles species secundum rerum multiplicationem intellectarũ multiplicantur

Ad tertium respondemus, scientiam à magistro in discipulu transfusam esse numero eandem respectu sciti, diuersã autem secundum numerum, & eandem specie respectu intelligibilium specierũ: similiter esse numero diuersam, quo ad scientiæ habitum. Et ad eius improbationem, imus inficias consequutionem, quoniã magister scientiam in discipulũ causat, non per naturalis modum agentis materiam de potentia reducentis in suũ actum formę: sed per modum actus modo nunc declarando, qua de re Arist. demonstratiuam artem docuit ad scientiam causandam.

Et pro maiori huius responsionis dilucidatione aduertendum est secundum Arist. septimo Met. tex. 19 artem in duplici esse discrimine; nam altera ars est in cuius materia est actiuum principiũ agens ad atis effectum producendum, sicut ars medicatiua, in cuius materia (quæ est infirmum corpus) est aliquod actiuũ principium sanitatis: altera autem ars reperitur in cuius materia nequaquam, actiuum principium agens ad artis effectum inuenitur, & huiusmodi est ars ędificatiua: & istarum effectus artium, in hoc differunt, vt primæ effectus artis fieri possunt ab arte & à natura, vt de sanitate notissimum est; artis autem effectus secundi ordinis ab arte fiunt tantum, vt de domo, manifestum est. Ars docendi similis est arti materiam habenti, in qua actiuum principium agens, ad artis effectus productionem inuenitur, nã materia in qua recipitur sciẽtia, est discipulus, principium agens est intellectus, & ea quæ naturaliter cognoscuntur prima principia sunt; & ideo scientia bifariam acquiritur scilicet per doctrinam, & per propriam inuentionem.

Secundo respondetur, hãc Commẽtatoris rationem haud esse ad ipsius institutum, suam de scientiarũ subiecto, opinionẽ sectando: qui passiuum posuit intellectum, (qui alio nomine cogitatiua nũcupatur) esse scientiæ subiectum: quapropter possibilis vnitas intellectus ad vnitatem scientiæ numeralem, in magistro, & discipulo, nihil facit, cum in ipso hæc scientia minimè existitat; vnde concludere oportet (si hæc ratio aliqd concludit) passiuum intellectum, seu cogitatiuam esse vnum, vel vnam omnib. in hominibus; quod est cõtra ipsum Cõment.

Ad quartam rationem bifariam respõdetur, supponẽdo primo illud suppositũ esse falsum: quoniam species intelligibiles non sunt, quæ directè intelliguntur, sed sunt quibus res intelligũtur. Primo itaque

taque dicimus, si aliquid concluderet; concluderet etiam esse tantum vnũ omnium intelligentium intellectum; scilicet omnium intelligentiarum, & Dei; et hoc ita colligitur. Volunt enim esse contra intellecti rationem vt sit vnum specie, & plura numero, tunc sic arguitur; aut hoc est contra intellecti rationem, vt absolutè est intellectum, aut cõtra intellecti rationem, vt est ab homine intellectum, & secundum ipsum est contra intellecti rationem, vt absolutè intellectum est: ergo secundum ipsum est tantum vnum in toto vniuerso intellectũ: igitur etiam erit vnus tãtum intellectus non solum omnium respectu hominum, verum etiam omnium intelligentiarum, & etiam respectu Dei: vltima probatur consequentia; quia potentia multiplicatur vnitatemque sumit, ab vnitate, & multiplicatione obiecti: si ergo intellectum, vt est intellectus obiectum, est tantum numero vnum: pari modo, & intellectus erit tantum numero vnus in omnibus; non solum hominibus, verum etiam in intelligentijs, & in Deo.

Secundo respondetur, posse vnum & idem esse, quod à me, & à te, intelligitur sed est à me, alia specie intellectum, & alia à te: ex qua specierum diuersitate sequitur, meum intelligere aliud à tuo esse intelligere: & meum intellectum esse alium à tuo intellectu; & cum argumentatur, ab istis duab. intelligibilibus speciebus tertia intelligibilis, potest abstrahi species: & ita in infinitum esset processus: negatur ab illis duabus speciebus, aliam intelligibilẽ abstrahi speciẽ, sed illis in specieb. est status; & dum ab intellectu intelliguntur, per reflexionẽ supra ipsas, per ipsasmet intelliguntur, non autem per alterius intelligibilis abstractionem speciei, quia tũc processus in infinitum, esse posset.

Intellectum agentem non esse separatam substantiam, sed humanæ potentiam animæ secundum Arist. sententiam demonstratur. Cap. 26.

Ostenso, possibilem intellectum esse humanæ potentiam animæ; & non esse separatam substantiam, ad Aristo. aures: hoc idem ostendendum est, ex ipsius verbis, de Agẽte intellectu: & hoc tribus rationibus.

Prima ratio desumitur ex tertio de anima tex. 17. vbi ita scribit. *Quoniam autem sicut in omni natura est aliquid, hoc quidem materia vnicuique generi, hoc autẽ est potentia omnia illa, alterum autem causa & factiuum quod in faciẽdo omnia ut has ad naturam sustinuit necesse, & in anima has esse differẽtias.* Et sequitur in tex. 18. *Et est intellectus hic quidem talis in omnia fieri, ille vero in omnia facere, sicut habitus quidam, et sicut lumen, quodã enim modo, & lumen facit, potentia existentes colores actu colores* Hęc Arist Ex quib. primo talis formatur ratio ad Arist. mentem, suis ex verbis. Concludit Arist. intellectum agentem, & possibilẽ esse animæ differentias in illis verbis. Necesse est & in anima has esse differẽtias; sed differentia non est separata ab eo, cuius est differẽtia; sed est ei inhęrẽs; igit. intellectus agẽs, & possibilis nõ sunt ab humana anima separati, sed ei cõiũcti

Secũda rõ. Ex illis verbis ita colligit. In oĩ natura, ĩ qua potẽtia, & actus inueniũtur est aliqd veluti materia, qđ est in potentia, & aliquid quasi agẽs, quod potẽtiã ad actũ reducit. At ĩtellectiua aĩa est huiusmodi cum quandoque sit in potentia, & quandoque in actu: igitur in intellectu natura animę est aliquid quasi materia, & istud est possibilis intellectus, q est in potentia ad omnia intelligibilia; & aliquid quasi agens, & hoc est intellectus agẽs qui intelligibilia omnia de potentia ad actum reducit. Intellectus itaque agens sicut et possibilis sunt potẽtię ipsi intellectiuæ aĩæ inhærentes, & non sunt ab ipsa intellectiua anima separati.

Ter-

Tertia ex eisdem textibus, ita arguitur. Arist. asserit agenté intellectum esse sicuti habitum, qui est quoddam lumé sed habitus non est aliquid per se separatum existens, sed habitus est alicuius habentis: ergo agens intellectus nõ est ab anima separatus, sed est animæ humanæ aliquid.

Est hic aduertendum; habitum, non accipi hoc loci ab Arist. vt est in secunda qualitatis specie, quæ appellatur habitus & dispositio, quemadmodum aliqui acceperunt, asserentes intellectum agenté esse principiorum habitum: qm̃ habitus hoc modo acceptus, ex similibus per agétis lumen intellectus generatur: vt docetur secundi posteriorum, tex. vltimo: idcirco habitus isto modo sumptus est agétis intellectus effectus. Verùm hoc loci habitus sumitur vt contra priuationem & potẽtiam diuiditur, quomodo omnes formæ, & actus possunt habitus nuncupari; & quod ab Arist. hoc sumatur modo ex hoc patet qm̃ affirmat intellectum esse habitum sicut lumen: at lumen est quidam habitus contra priuationem distinctus.

Quædam Caietani responsiones ad supradictas rationes expugnantur. Cap. 27.

CAietanus in tertio de anima hunc interpretans textum, sustinet ad Arist. mentem intellectum agentem, esse separatam substantiam; & ideo ad has hoc modo respondet rationes.

Ad primam asserit, per illa verba Aristo. non intelligere in anima humana dari intellectũ agẽtem, & possibilem hoc modõ, vt vna et eadem aĩa, istos duos hãbeat intellectus, sicut duas diuersas potẽtias, sed solummodo hos intellectus esse in anima, sicut in omni alia natura: at compertum est, in omni alia natura vna numero non hoc modo reperiri, agens, & patiens sicut accidentia in subiecto, sed solum sicut causa suo in esse actu: ergo & in humana anima hoc modo inueniri agens, & patiens, asserendum est.

Ad secundum respondet, illam Arist. rationem, non nisi ad hoc deducere, vt necesse sit in animæ natura has reperiri differentias; quemadmodum in omni alia natura agens, & patiens inueniũtur: hæc autem, non est necesse, vt in vna numero substantia conueniant.

Ad tertium dat responsum, assimilationem inter intellectum agẽtem, & habitum, ac lumen non esse inter intellectum in se, & habitum ac lumen: sed solummodo inter vtrunque agendi modũ: hoc pacto, scilicet sicut qñ volumus agente vtimur intellectu: non autem valet sicut habitus nõ est separatus, sed est in nobis; ita etiam intellectus agens in nobis est, & non est separatus: hoc enim ait ipse, non valet.

Verum istas respõsiones, esse contra Arist. mentem, vnusquisque videre potest: si Aristo. verba inspexerit, eaque rectè considerauerit. Et pro huius intelligentia, quinque sunt prælibanda.

Primò Aristotelem hac in ratione duo, quę demõstrauit superius supponere: alterum est intellectiuam animam in seipsa illas habere potentias, quæ ad intelligendum, necessarię sunt. Et hoc ex duobus ostenditur. Primò Arist. in secũdo de anima intrinsecas animę annumerando potẽtias, ẽt intellectiuũ annumerauit principium. Secundò incipiens in tertio libro de anima, de intellectiua pertractare ait. *De parte autem animæ qua intelligit, & sapit, &c.* Ex quibus verbis apertè colligitur, intellectum esse animæ partem, & proculdubio potestatiuam. Alterum quod supponit, est. Res materiales non esse intelligibiles actu; sed tãtum in potentia; ex quo sequitur ipsas minimè esse ad actuandum, possibilem intellectum per se, sufficientes. Et hoc docetur tertio de anima textu 13.

Secũdum prælibandũ est, naturã hoc loci, accipi, vt rei naturalis essentiam

& quidditaté significat; & hoc notum est, per Commen. & ipsummet Caietanum: quoniam anima naturalis res est, ex consequenti, hoc loco generis significatio sumitur, cum asserit in omni natura est aliquid, quod est materia, vnicuique generi.

Tertium prælibandum est. Cum affirmat Arist. in omni natura esse aliquid quod est potentia omnia, quę illius sunt generis: non est existimandū, illud vnū, quod est potentia omnia illius generis, esse numero vnum: at intelligendū est, illud esse vnum, secundum naturæ vnitatem: vnde si natura est secundum speciem vna; illud etiam debet esse secundū speciem vnum: & si natura illa est secūdum genus vna; illud etiam secūdum genus debet esse vnum.

Quartum prælibandum est. Licet intellectiua anima in entium genere sit substantia in actu; attamen in genere intelligibilium respectu possibilis intellectus in pura est potentia.

Quintum prælibandum est: Aristo. propositionem, esse veram de perfecta natura, in omni. n tali natura perfecta, vltra vniuersales causas agentes; sunt ét propriæ virtutes actiuæ, singulis rebus inditæ perfectis: vt demonstrat D. Tho. 1.p.q.79.ar.4.

Ex his patet rationis Aristo. sensus, à D. Thoma formatæ; patet etiam hāc rōnem concludere dari agentem intellectum in anima existentem. Ex his etiam tres colligūtur rationes, Caietani expositionem, & rationes omnino destruentes.

Prima ratio. In omni perfecta natura in qua actus & potentia inueniūtur, in ea intrinsecè etiam inuenitur tanquam materia omnium illius generis formarum receptiuum, & aliquid tanquam agens ipsam materiam de potentia ad actum reducens: at intellectiuę animę natura est perfecta, immo omnium naturalium perfectissima rerum, & aliquando, est in potentia, & in actu aliquando: igitur in anima intellectiua passiuum principium actiuumque principium reperiūtur: sed actiuū principium est intellectus agens, & passiuum possibilis intellectus: igitur in anima intellectiua, agens intellectus, & possibilis intrinsecè reperiuntur: tunc vltra; sed hæc anima humana est natura perfecta, quandoque in potentia, & quandoque in actu: igitur hac in anima humana, numero vna, est agens intellectus possibilisq; intellectus.

Hinc intueri licet primę, & secundę, Caietani rationum, & responsionum falsitatem: quod etiam tertia Caietani responsio, sit omni ex parte falsa ex suis ostenditur verbis. Nam ait Caietanus, Arist. similitudinem inter agentem intellectum, & habitum esse solum, quoad modum: quandoquidem vtroque operatur, quando nobis placet, & volumus; tunc minoré subsumo, at separata substantia, nequaquam vti possumus, quando volumus: igitur separata substātia intellectus agens esse non potest; cum intellectu agente vtamur quādo volumus: minor propositio nota est, ex eo, quia illud est voluntarium, cuius principium in nobis est, & non extra nos: sed separata substantia minimè est in nobis, sed extra nos: igitur quando volumus, separata non possumus vti substantia.

Secunda ratio, has contra responsiones, hunc in modum formatur. Naturalis principium operationis, ipsius hominis necessario est ipsi intrinsecum homini, vt ex naturæ ratione compertum est: natura enim intrinsecum est principiū, sed agentis operatio intellectus est ipsi homini naturalis: igitur agēs intellectus est ipsi intrinsecus homini: minor propositio ita ostenditur. Agentis operatio intellectus est à phantasmatibus abstrahere species, ex qua operatione, intelligibilia in potentia, fiunt actu intelligibilia: sed hanc operationem, esse in nobis naturaliter experimur; ergo intellectus agens, qui est huius principium operationis, in nobis est.

Tertia ratio. Si agens intellectus nequaquam in nobis esset, sicut possibilis: igitur Aristo. æquiuocatione vsus fuisset,

ſet, quando aſſeruit poſſibilem intelle-ctum, & agentem eſſe in anima differen tias: verum in re tam neceſſaria, & ardua, æquiuocatio non eſt Ariſt. attribuē da: igitur vniformiter illas potentias eſſe in anima accepit: at poſſibilis intellectus quo intelligit anima: etiam ſecundum Caietanum ad mẽtem Ariſto. in anima eſt humana; ergo etiam in humana anima eſt agens intellectus.

Quinque Ariſt. auctoritates explanantur, quibus videtur aſtruere intellectum agentem non eſſe humanæ potentiam animæ, ſed ſeparatam ſubſtantiam.

Cap. 28.

Aliquibus viſum eſt propter quinque Ariſt. auctoritates agẽtẽ intellectum eſſe ſubſtantiam ab humana anima ſeparatam; quarũ prima hæc eſt. Docetur expreſſe tertio de aïa tex. 19 Agentem intellectum eſſe immixtum, & ſeparatum, & verba ſunt iſta. *Et hic intellectus ſeparabilis, & impaſſibilis, & immixtus*; igitur non eſt in anima ſed eſt ſeparata ſubſtantia.

Secũda auctoritas. Eodem loci ſic ait. *Intellectus agens eſt ſubſtantia actu ens*: at nihil eſt reſpectũ vnius & eiuſdẽ, ens in actu, & in potentia: ſed anima eſt in potentia, reſpectu poſſibilis intellectus: igitur anima non poteſt eſſe in actu reſpectu agentis intellectus.

Tertia auctoritas eſt. Eiuſdem libri tex. 20 vbi Ariſt. ita conteſtatur. *Idem autem eſt ſecundum actum, ſcientia rei*: quam interpretans Commentator, aſtruit in agẽte intellectu idem eſſe intelligens, & intellectum non autem in poſſibili intellectu; & ideo concludit intellectum agentem eſſe ſeparatum, eo quoniam in ſeparatis à materia, idem eſt intelligẽs, & intellectum.

Quarta. Eodem in tex. ait. *Intellectum agentem non aliquando quidem intelligere aliquando autem non intelligere: vnde ſemper intelligit*: at in nobis non datur intellectus, qui ſemper intelligat: igitur in nobis agens intellectus, nequaquã eſt.

Quinta auctoritas. Eodem tex. 20. habetur. *Separatus autem eſt ſolũ hoc quod verè eſt; & hoc ſolũ immortale, & perpetuum*: igitur in nobis non eſt.

Ex dictis in materia de animæ immortalitate haud difficile eſt has diluere auctoritates; & ideo ad primam dicitur: Ariſt. non aſſeruiſſe agentem intellectũ eſſe à corpore ſeparatum, ſed à corporali tantum organo: quemadmodum & ſupra hoc de poſſibili fuit aſſertum intellectu, & ratio ab Ariſt. eo loci aſſignatur: agens eſt paciente nobilius: actiuumque eſt materia præſtantius; ſed agens intellectus actiui habet rationem; poſſibilis autem intellectus pacientis, & materiæ rationem habet: igitur agens intellectus eſt poſſibili nobilior intellectu, ſed poſſibilis intellectus eſt immixtus, & à corporali ſeparatus organo: vt text. 4. & 5. fuit oſtenſum: igitur multo magis agens intellectus eſt à corporali ſeparatus organo.

Secundo reſpondetur. Sicut poſſibilis intellectus dicitur à corpore ſeparatus, non quia ſit extra hominem ſeparatus: verum quia licet in homine ſit, non tamen alicuius corporis eſt actus, cum ſit in anima, quæ eſt poſſibilis intellectus ſubiectum: vnde non valet iſta cõſequutio, intellectus poſſibilis eſt ſeparatus, & non eſt alicuius actus corporis: igitur extra hominem eſt: hæc inquam cõſequutio nulla eſt, quoniam ſtat, vt non ſit corporis actus; & tñ in homine ſit: quoniã eſt actus immediate in anima receptus pari modo per omnia de agẽte fatendũ eſt intellectu; licet. n. non ſit corporis actus, eſt tamen immediatè intellectiuæ actus animæ: idcirco & in homine cum ſit humanæ potentia animæ.

Ad ſecundam vnico reſpondetur verbo. Humanam animam eſſe in actu, & in potẽtia reſpectu diuerſorum; hocque nullum eſt inconueniens: reſpectu. n. intellectus poſſibilis eſt ĩ potẽtia; reſpectu aũt agẽtis intellectus ĩ actu eſt,

Ad tertiam asserimus primo; Commentatorem perperam exposuisse Arist. asserendo, Arist. sermonẽ habere. nõ de possibili intellectu; & ad suam rationem scilicet; possibilis intellectus nõ est idem cũ re intellecta; dicitur, hoc dictũ esse cõtra Arist. verba contestantis tex. 14. & 15. possibilem intellectũ in actu esse ipsum intelligibile: imò hoc idem de sensu in actu docuit.

Secũdò astruimus, adducta Arist. verba non esse, aliquo modo de agente interpretanda intellectu, sed de intellectu in actu: q quidẽ intellectus in actu possibilis est intellectus in actu existens: & ratio est, quia de possibili, & agente intellectu determinauit, & ideo necesse erat, etiam determinare de intellectu in actu & de eo determinauit duplicem ponendo differẽtiam inter intellectũ in actu, & intellectum possibilem: prima differentia inter possibilem intellectum, & intellectũ in actu, qui est ipsemet possibilis intellectus in actu factus, & talis intellectus in actu, seu scientia in actu, est idem cum re scita; possibilis autem intellectus cũ re scita haud idem est. Secũda differentia. Possibilis intellectus in vno & eodẽ homine est prior tẽpore intellectu ĩ actu simpliciter aũt intellectus in actu est possibili prior intellectu, & huius ratio differẽtiæ est; qm̃ Arist. pluries demonstrauit in vno & eodem potentiam esse actu priorem: absolutè autẽ actum esse potentia priorem: cum id, qd est in potentia, non ad actum reducatur, nisi per ens actu.

Ad quartum. Imus inficias, nõ esse in nobis aliquem intellectum, qui non qñque intelligat, qñque nõ intelligat; est. n. talis intellectus in actu: nã noster intellectus in actu dũ est in actu semper intelligit, cũ sua sit intelligentia: nõ aũt, qñq; ĩtelligit: & qñq; nõ intelligit, ẽt hoc ponit ad possibilis discrimẽ intellectus, qui aliqñ intelligit, aliqñ nõ intelligit: vñ dicta propositio nõ de intellectu agente intelligitur. Verũtamẽ si dicta propositio, de agente intelligeretur intellectu, ita esset interpretanda non est ex agentis intellectus parte, ut qñque intelligamus, & qñque nõ intelligamus, sed est ex parte possibilis intellectus. sic respondendum docet D. Tho. 1. p. q. 79 ar. 4 ad 2.

Contra hanc primã responsionẽ arguit Caietanus loco citato, astruens, hęc verba non esse de intellectu in actu intelligenda, qm̃ nulli est dubiũ intellectum in actu secundo, nõ qñq; operari, & qñque nõ operari, semper. n. operatur: ideo circa hoc non erat laborandũ, ad hoc ostendendũ; sermonẽ itaq; habet de agẽte intellectu separato. At nos valde miramur, hũc doctissimum virũ in re tã clara valde esse deceptũ. Affirmamus itaq; D. Thomæ sectando doctrinã de spiritu ar. 10 ad tertium, hoc nõ fuisse ab Arist. assertum, tanquã dubiũ: sed quia cũ instituisset inter possibilem intellectũ, & intellectum in actu, ?ẽs ponere differentias, & duas iã posuisset quas in pręcedẽti posuimus responsione; nunc tertiã ponit, q̃ est; intellectus possibilis, aliqñ quidem intelligit, aliqñ aũt non intelligit: intellectus aũt in actu secundò semper actu intelligit; ac per hoc nõ quandoq; intelligit, & quandoque non intelligit.

Ad quintam; superiorum textuũ verba sectando, asserimus; illa verba esse intelligenda non de agente intellectu, neque de intellectu possibili, verum de tota parte intellectiua. Non de intellectu agente solũ; quia idem dixerat de possibili in tex. 7. neq; etiam de solo possibili, qm̃ idem in tex. 19. de intellectu agente asseruit; ac per hoc soli possibili minimè conuenire potest. Intelliguntur itaque illa verba, de eo, quod vtrumque complectitur intellectum, compræhendens autem vtrumque est pars intellectiua in actu de qua tũc habebat sermonem, hæc enim pars animę intellectiuę est separata; cum in sua operatione, corporali nõ vtatur organo, quapropter de eadẽ subiungit. Hoc solum immortale est, & perpetuum, eo quoniam à corpore minimè dependet.

Istę sunt auctoritates super quib. fundauit se Caietanus 3. libro de anima

re

vt ostenderet intellectum agentem, ad mẽtem Arist. separatam esse substantiã; & valde mirum est, vt non viderit ipse in D. Thomæ doctrina; doctissimè ipsas esse solutas à D. Thoma secundũ cõt. Gen. c. 78. & 1. p. q. 79. ar. 4.

Et istis, quãdam aliam satis friuolam addidit rationem, quæ talis est: Arist. 3. de anima tex. 18. hanc appellat virtutẽ, *intellectum in omnia facere*: igitur intellectus agens duo dicit: videlicet intellectum, & agentem; igitur inquantum intellectus intelligit, & inquantum agens intelligibilia in potentia, facit intelligiblia in actu: sed in nobis, alius non datur intellectus intelligens, nisi possibilis intellectus; igitur intellectus agens, intelligens, est extra nos, ex consequenti est separata substãtia. Respondemus facilime hanc negando consequutionem intellectus agens est intellectus; ergo inquantum intellectus intelligit: & ratio negationis est, quoniam ad hoc quod aliquid dicatur intellectus, hæc sufficit disiũctiua, vel intelligit, vel est intellectionis causa, faciendo intelligibilia in potentia intelligibilia in actu. Intellectus autem agens in nobis existens, dicitur intellectus, non quia intelligat, cum hoc sit munus intellectus possibilis: sed quia intelligibilia in potentia, facit intelligibilia in actu.

Eandem numero animam esse in homine vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam ad aures Arist. explicatur. *Cap.* 29.

EXplicato, principium intellectiuũ, seu intellectiuam animam, vt formam corpori vniri; in singulisque hominibus singulas reperiri animas intellectiuas: nunc explicandum est eandẽ numero animam esse in homine intellectiuam, sensitiuam, & vegetatiuam. Et circa huius explicationem tria puncta tangenda sunt. Primo, ostendendum est eandem numero animam, esse in homine intellectiuã, sensitiuã, & vegetatiuã. Secundò, explicandus est huius modus veritatis. Tertiò quibusdam respondendum est obiectionib.

Quoad primum, duo sunt textus, ex quibus apertè colligitur hęc veritas. Primus tex. est 90. primi de anima, vbi hãc demonstrat veritatem; nam ibi docet diuersa minimè conuenire posse, nisi ab aliquo vno vniantur: si itaque diuersæ sunt in corpore animæ necessum est, vt ab aliquo vno cõtineantur, & vniãtur; At nihil est qđ eas cõtineat, & vniat; igitur nequaquã sunt diuersæ: maiorẽ admittit Arist. tanq̃ clarã: minorẽ aũt ita ostendit. Continens, & vniens aĩam, aut est corpus in quo aĩa est, aut aliqd aliud: sed corpus aĩam minimè cõtinet, & vnit; qm̃ magis aĩa continet corpus, cum corpus deficiat, & marcescat, egrediẽte à corpore aĩa. Si aũt aliquid aliud aĩam cõtinet illud erit aĩa, cũ ad aĩam spectet continere, & regere corpus; & sic anima erit; tunc iterũ necesse erit quærere an sit vna, vel multæ partes; & si affirmetur esse multas partes; adhuc quæstio erit, quid sit illas vniens, & sic in infinitũ: si aũt affirmetur, illud esse vnum; tunc dicitur quare ab ipso exordio non fuit assertum, vnam esse animam.

Secundus est text. 92. eiusdem libri, vbi ita argumentatur Arist. pro conclusione proposita. Si diuersæ aĩæ partes in diuersis corporis partib. sunt; igitur cuilibet animę operationi, est pars corporis determinata, videlicet ad aliquod corporale organũ; at hoc est impossibile quoniam intellectus minimè partẽ corporis habet determinatã, seu corporeũ organum: igitur anima non habet diuersas partes, sed erit tantum vna simplex, in vnoquoque animato composito. hęc de primo.

Quo ad secũdum. Verũ quomodo intellectiua aĩa sit ẽt sensitiua, & vegetatiua declaratur ab Arist. ẽt duobus in locis. Primus est tex. decimus octaui Met. vbi rerum species, numeris comparat, qui specie differunt, secundum vnitatis additionem, vel subtractionem, & ita maior numerus minorem continet

numerum, & est ipso minori numero perfectior: igitur, & rerum species ad inuicem differunt secundum perfectius, & minus perfectum: ex quibus colligitur, in rerum ordine animata, esse inanimatis perfectiora, & plantis animalia, & brutis homines.

Secundus est tex. 30. secūdi de anima vbi diuersas animas figurarum comparat speciebus, quarum vna aliam continet: quemadmodum Pentagonum continet Tetragonum, & excedit: ita intellectiua anima sua in virtute continet quicquid perfectionis sensitiua brutorū anima continet & plantarum nutritiuæ sed superficies, quæ figuram habet pentagonam nō per aliam figuram est tetragona, & per aliam pentagona: cum tetragona figura superflueret ex quo in pentagona continetur: igitur Plato non est per aliam animam homo, & per aliam animam animal: sed per vnā & eandem est homo, & animal, hæc de secondo.

Quoad tertium. Contra hanc veritatem tria ex Aristo. formantur argumenta quorum primum tale est. Corruptibile & incorruptibile differunt secundum genus: vt asseritur 10. Met. si igitur anima sensitiua est eadem numero cum intellectiua anima erit incorruptibilis, sicut & intellectiua: sed sensitiua leonis, equi, cæterorumque animalium anima est corruptibilis; igitur sensitiua anima in homine, genere differt ab anima sensitiua leonis, equi &c. hoc aūt est falsum; cum animal per sensitiuam animam, sit animal; si ergo sensitiua hominis anima, esset diuersi generis, homo etiam ab alijs animalibus, diuersi esset generis. Ad hoc argumentum diuersis in locis D. Thomas tres affert respon siones. Primo itaque respondet D. Tho. Secundo de generatione tex. 52. contestans adductam propositionem, scilicet corruptibile genere differre, esse veram ratione materiæ: vt sensus sit, materia corruptibilis compositi, est alterius Physici generis, seu alterius rationis, à materia incorruptibilis compositi, quale est cœlum: non autem vera est, illa propositio, ratione formæ: cum vna & eadem forma sensitiua eiusdem generis logici sit corruptibilis, & incorruptibilis, vt patet de anima sensitiua in homine, quæ est incorruptibilis, & de anima sensitiua in bruto, quæ est corruptibilis. Secūdo respondetur, à D. Thom. 1. p. q. 76. art. 2. ad secundum quę est declaratiua antecedentis. Corruptibile & incorruptibile differunt genere physico non autem logico; modo non est inconueniens corruptibile puta inferius corpus, & incorruptibile puta celeste corpus differre physico genere, licet in logico cōueniāt genere, similiter non est inconueniens, vt homo, et leo physico differant genere, licet secundum logicum genus, idem sint. Tertio respondetur, à D. Thom. 1. p. q. 76. ar. 3. ad secundum, illam propositionem, scilicet corruptibile, & incorruptibile genere differunt: esse intelligendam de his quæ per se in genere collocātur, cuiusmodi sunt in specie completa, non autem absolutè, & vniuersaliter veram esse, quia non tenet in his, quæ nō sunt in specie completa; nec per se in genere sunt: modo sensitiua anima haud est in specie completa, nec per se in genere continetur; idcirco licet in homine sit incorruptibilis, in cęteris verò animalibus corruptibilis, non sequitur, vt genere distinguantur, quia autem homo est in specie completus, & corruptibilis, ideo ab alijs animalib. genere minimè differt.

Secundum argumentum. Aristot. in in libro de generatione animalium docet embrionem esse animali priorē, & animal prius homine; sed hoc minimè esse posset, si eadem esset sensitiuæ, & intellectiuæ essentia animæ, cum animal sit animal, per sensitiuam animam, & homo sit homo, per intellectiuam animam: igitur in homine, non est vna sensitiuæ animæ, & intellectiuæ essentia. Respondetur, embrionem habere animam, quæ tantum sensitiua est, At adueniente intellectiua anima sensitiua tantum anima corrumpitur, intellectiua

ctiua autem, omnes operatur effectus, quos sensitiua facit, & nobiliori modo.

Tertium, secundum Aristol.8. mett. Genus à materia sumitur, à forma verò sumitur differentia: at rationale, quod est differentia hominis constitutiua ab intellectiua sumitur anima; animal autem quod est genus, dicitur ex hoc, qđ animatum sensitiua anima corpus habet: igitur intellectiua anima ad corpus anima sensitiua ad animatum, comparatur, sicut forma ad materiam: igitur intellectiua anima, non est eadem per essentiam, cum sensitiua anima in homine: verum eam tanquam materiale suppositum presupponit. Respondetur, Aristo. propositioné scilicet, genus sumitur à materia, ita esse interpretandam. A materia sumitur radicaliter, & remotè, proximè autem à sensitiua anima; vel formaliter, vt cõtingit in brutis, vel virtualiter vt accidit in homine: differentia autem in homine, ab intellectiua sumitur anima, vt intellectiua formaliter est: qua de re, ab vna, & eadem intellectiua anima, sumitur proximè, propriũ genus, & propria differentia; & ratio est, quoniam minimè est necessarium secũdum diuersas rationes, vel logicas intentiones, quæ intelligendi modum, sequũtur in rebus materialibus diuersitatem accipere; cum ratio possit, vnum & idem secundum diuersos modos apprehendere.

In homine nullam esse formam substantialem, præter intellectiuam animam: & in vniuersum omni in composito substantiali vnam tantum esse substantialem formam ad aures Arist. demonstratur. Cap. 30.

IN homine non tantum eadem est anima intellectiua, sensitiua, & vegetatiua; verum etiam est corporeitatis forma; & breuiter in ipso nulla alia substantialis reperitur forma, præter intellectiuam animã; itidem in oĩ substantiali cõposito vna tantum est substantialis forma. Pro huius elucidatione veritatis, tria sunt agenda. Primo exponendi sunt modi quibus aliqui imaginãtur plures formas substantiales in eodem esse composito. Secundo demonstranda est proposita veritas. Tertio multis aduersariorum obiectionibus respondendum est.

Quoad primum. Duo modi fuerunt imaginati. Primus modus est iste; nam materia (aiunt aliqui) semper corporeitatis formam habet, ex qua forma compositum resultat; hocque compositum est proximum posterioris formæ subiectũ. Secundus modus iste est. In prima materia est prior forma, quæ cum posteriori remanet forma; verum tñ proximum posterioris formæ subiectum non est compositum ex materia & illa priori forma, vt primum sequentes modum astruũt; sed est sola materia, priorem tamen formam habens sub posterioris formæ subiectum: idcirco, istæ duæ formæ, in eodem proximo receptiuo, simul sunt; qđ est tamen ordine quodã, qñquidẽ, materia posteriorem non reciperet formam, nisi primò priorem haberet. hæc de primo.

Quo'ad secundum, duæ ponuntur conclusiones quæ sunt huius veritatis fundamentum. Prima contra primum modum; Secunda contra secundum: prima Conclusio. Prima materia sola est proximum animæ intellectiuæ, & cuiuscunq; alterius substantialis compositi subiectum: Secunda conclusio est contra secundum dicendi modum, talisque est. Prima materia ab omni denudata formaest proximum in substantiali generatione subiectum. Ex istis conclusionib; apertissimè colligitur hæc principalis cõclusio, scilicet in omni composito substãtiali est tantum vna substãtialis forma.

Prima proposita conclusio tribus prç cipuè demonstratur rationib. prima rõ. Arist. 5. physicorũ tex.8 iuxta literã, ponens discrimen inter generationẽ substantialẽ, & accidentalẽ asserit, acciden-

talis subiectū generationis, esse actu ens: subiectū autem generationis substantialis docet non esse actu ens: sed ens in pura potentia: subiectum autem aliquam habens substantialem formā, nequaquā est ens in pura potentia, sed ens in actu; igitur substantialis generatio in composito ex materia, & substantiali forma minimè recipitur: sed tātum in sola materia.

Secunda ratio ex eodem colligitur cōtextu Arist. docēs generationem simpliciter non esse motum, ita argumētatur. Quod simpliciter, non est hoc aliquid, nequaquam moueri potest; quia quod non est, non mouetur: ex consequenti, quod mouet, est hoc aliquid: sed quod simpliciter generatur, nō est hoc aliqd; ergo simplex generatio non est motus. ex qua ratione colligitur, generationis subiectum non esse hoc aliquid, vt ex secunda patet propositione; tūc alia subsumitur propositio; sed de nullo composito ex materia & forma substantiali verificatur, quod non est hoc aliquid; omne enim substantiale cōpositum est hoc aliquid: igitur generationis subiectum est solum materia.

Ad istas rationes aliqui respondent, Arist. propositiones, scilicet generationis subiectum, non est ens actu, & generationis subiectum, non est hoc aliquid; duobus possunt intelligi modis; vno modo simpliciter, & absolutè, & vniuersaliter; vt sensus sit, generationis subiectum non est ens actu absolutè, & vniuersaliter, & non est hoc aliquid aliquo modo; & isto in sensu falsæ sunt, nec sic ab Aristo. recipiuntur. Alio modo in hunc possunt intelligi sensum; generationis subiectum non ens actu, per formam introducendam factum in actu; & non est hoc aliquid per formam similiter introducendam factum: & ita verę sunt & ab Arist. intellectæ: Ex quibus postmodum non sequitur solum materiam esse substantialis generationis subiectū; sed materiam cum priori forma substantiali.

At ex duobus ostenditur hæc glossa esse contra textum. Primo si non ens actu vel non hoc aliquid, quod ab Arist. proximum generationis subiectum ponitur, intelligeretur solum nō ens actu, vel non hoc aliquid, quod nō habet esse vltimatum per vltimam formam faciendū: igitur secunda demōstratio Aristo. fundatur super hanc propositionē. s. quod est subiectum motus debet habere esse vltimatū per vltimam formam substantialem; at ista propositio falsa est, quoniam id quod mouetur sufficit vt sit ens in actu, & hoc aliquid per aliquā substantialem formam, siue vltimam, siue non vltimam: ex consequenti prima propositio secundæ rationis adductę falsa est. Secundo ostenditur falsa illa glossa, quoniam Arist. de generationis simpliciter subiecto habens sermonem; ait, illud nō posse moueri per se, nec per accidens: at compertissimum est, de quocunque non ente, quod est ex materia, & substantiali forma compositum, potest verificari, illud moueri saltem per accidens; igitur non ens actu, & non hoc aliquid, quod ponitur proximum generationis substantialis subiectum, nō potest esse apud Arist. ens, aliquam habens priorem formam substantialem, & non habens vltimam formam substantialem.

Tertia ratio. Arist. primo de generat. tex. 23. Inter alterationē, & substantialē generationē discrimē ponit in hoc. Nā alteratio est, qñ idem manet sensibile subiectū, qñ videlicet nulla transmutatione in substantia facta, in eius passionib. fit transmutatio, hoc est in eius qualitatibus: & Arist. verba sunt ista. *Alteratio quidē est, quando manente subiecto sensibili existente transmutatur in eius passionibus, aut contrariis entibus, aut mediis*, puta corpus sanū est, & rursus laborat manēs idē. Generatio aūt est, qñ fit trāsmutatio totius in totū, nō manēte eodē subiecto sensibili, vn̄ sic ait. *Quoniam autem totum transmutatur non manente aliquo sensibili subiecto eodem, sed quasi ex semine toto sanguis, aut ex aqua aer, ex aere aqua generatio, iam hoc tale, huius autem corruptio*. Ex quibus verbis, talis

talis colligitur propositio. Generatio est mutatio totius in totum, non manente aliquo eodem subiecto sensibili igitur in genito est tantum vna substantialis forma: consequentia probatur: quia si in genito essent duæ formæ substantiales quarum vna subsisteret cum materia in generatione substantiali, & ante generationem, & perseueraret post generationem, tunc non esset totius in totum transmutatio, & aliquod subiectũ sensibile remaneret; quod est contra Arist. verba.

Ad hanc rationem aliqui respondent bifariam, asserentes primò, Aristo. loqui tantum de elementorum generatione. Secundò, affirmantes, dum Aristo. affirmat, in substantiali generatione non aliquod sensibile subiectum remanere; nõ esse absolutè intelligendum, vt nullo modo remaneat sensibile subiectum: sed non remanere sensibile subiectum sub eodem qualitatum gradu; sub ijsdẽ tamen remanere qualitatibus, licet non sub eodem gradu.

Contra primam responsionẽ sic instatur. Etenim Arist. in ipsius capitis exordio apertè fatetur, se velle, de omni generatione in communi peragere; & se velle discrimen inter generationem, & alterationem assignare: hocque assignat discrimen. Alteratio enim est transmutatio, eodem sensibili subiecto manente: Generatio autem est transmutatio, non manente eodem sensibili subiecto; vnde Arist. verba in quarti principio capitis (& est tex. 23.) ista sunt. *De generatione autem & alteratione dicamus quid differunt*. Ecce quod loquitur de omni generatione, de omniq; alteratione.) Deinde subinfert verba, quæ supra retulimus.

Contra secundam responsionem, bifariam arguitur. Primo cum sit facile alterationem esse talem & tãtam, vt omnes variẽtur qualitates secundum omnes gradus, nullum erit inter generationem & alterationem discrimen. Secundo, si Arist. dum inter generationem & alterationem ponit discrimen, affirmat absolutè, & simpliciter, in omni generatione idem sensibile non remanere subiectum, & tamen remanet idem simpliciter, & absolutè, sed nõ sub eodem qualitatum gradu; quod est non remanere idem secundum quid: igitur Arist. sophisma à secũdum quid, ad simpliciter commisisset; quod non est Aris. attribuendum.

Secunda conclusio pari modo tribus demonstratur rationibus, ex Aristot. sumptis. Quarũ prima est talis; Arist. 5. Physicorum tex. 8. substãtialis subiectũ generationis magis explicans docet, nõ moueri per se, nec per accidens. At si generationis subiectum in se aliquam haberet substantialem formam licet illi non subijceretur generationi, per accidens saltem moueretur; hoc autem est contra Aristo. textum. Quod autem per accidens saltem illud subiectum mouetur, ita demonstratur. Quæcũq; idem sunt subiecto, ita se habent, vt quidquid dicitur de vno per se, potest de alio per accidens dici, sed ex illa priori forma & materia compositum est idem subiecto, cum generationis subiecto, vt ex eorum patet positione: igitur quod ex materia & forma priori substantiali, composito per se conuenit, generationis subiecto per accidens conuenit; sed moueri per se illi composito ex materia & illa priori forma per se conuenit: igitur moueri per accidens substantialis subiecto generationis, per accidens conuenit.

Secũda ratio colligitur ex libro primo de generatione & corruptione capit. 3. vbi Aristot. illam famosam decantat propositionem. *Generatio vnius est alterius corruptio*. At si est eadem corporeitatis forma ĩ homine & in cadauere, quãdo homo per mortem corrumpitur, nihil generabitur.

Tertia ratio Aristo. tertio Mett. text. 20. contra Platonem hunc in modum arguit. Si alia esset hominis idea, & animalis alia, ex consequenti, alia hominis forma, & alia animalis forma; tunc homo non esset quid simpliciter vnum, sed tantum secũdum quid, quid est

est inconueniens; Ex quibus apertè ad Aristo. mentem colligitur, illud esse simpliciter vnum, quod vnam tantum habet substantialem formam; sed compositum quacũque anima animatum, est simpliciter vnum: igitur omne animatum compositum tantum vnam substãtialem habet formam.

Hæc eadem secunda conclusio probari potest omnibus rationibus quibus probatum fuit eandem animam in homine esse intellectiuam, sensitiuam, & vegetatiuam.

Istis duabus conclusionibus pro maiori primariç conclusionis explicatione, quæ est, in omni substantiali composito vnã tantum substantialem reperiri formam, Tertia addenda est cõclusio quæ est. In carne, in ossibus, in neruis, in cartilagine, in capillis, in vnguibus & cæt. vna & eadem numero substantialis forma inuenitur, quæ est etiam totius forma cõpositi: quç duabus ostẽditur rationibus. Prima ratio ex animæ diffinitione colligitur. *Anima est actus corporis Physici organici &c.* ergo anima est omnium organicarum partium actus, eis esse conferens organicum.

Secunda desumitur ab Aristo. primo de anima tex. 90. Si singula organa singulas habent substantiales formas: ergo necesse est vt ab aliquo vniantur & contineãtur: at nihil est quod eas contineat & vniat; igitur singula organa diuersas minimè habent substantiales formas: prima consequutio relinquitur tãquam nota; Secunda autem ita suadetur. Si aliquid illas diuersas vniens substantiales formas datur, aut illud est corpus aut anima; Sed corpus nõ cõtinet, nec vnit, cum de corporis ratione nõ sit continere & vnire, sed magis contineri & vniri, & ideo recedente aĩa à corpore corpus putrescit & marcescit: igitur erit anima, cum animç sit continere, & gubernare. Et tunc qnçritur, aut est vna sola anima continens, & vniens, aut plures; si plures erunt, iterum erit quæstio quid illas vniat, & ita in infinitum processus erit: si autem vna sola erit, igitur à principio sola vna est. Hæc de secundo principali.

Nouem contra supradictam veritatem argumenta recitantur.

Cap. 31.

QVoad tertium nouem sunt, contra determinatam veritatem, argumẽta recitanda.

Primum argumentum supra animæ diffinitione fundatur. Anima est actus corporis Physici &c. ex qua tale colligitur argumẽtum. Propria materia in qua aliqua recipitur forma re ipsa ab illa se mouetur forma. At Physicum corpus est propria animç materia, vt ex eius notũ est diffinitione; igitur Physicum corpus re ipsa ab anima distinguitur; sed Physicum corpus dicit aliquid ex materia & forma compositum; igitur compositum ex materia & forma est reipsa ab anima semotũ, tanquam informis materia seu proprium receptiuum à sua forma: igitur in animato, est alia forma, præter animam per quam formam Physicum corpus est.

Secundum. Antonij corpus in eius morte idem remanet numero, eius anima non remanente; igitur corporeitatis forma reipsa ab anima semouetur: probatur assumptum, mortui forma corporis non est de nouo in Antonij morte genita; igitur mortui forma corporis est eadem viui corporis forma; consequutio nota est, hoc probatur antecedens; forma corporis mortui Antonij, vt ad sensum notum est, quomodocunque moriatur Antonius, siue gladio, siue suspendio, siue suffocatione, siue aqua, siue igne, siue quocũque alio modo, semper cadauer apparet eiusdem specificæ rationis; ergo cadaueris forma de nouo minimè generari potest; consequentia probatur. Ad diuersarum agentibus rationum eiusdem rationis non prouenit effectus, si ergo illa forma de nouo generaretur, non esset eius-dem

lem rationis, hoc autem contra sensum est.

Tertium. Intellectiua anima effectus & operationi corporeitatis, & mistionis minimè potest supplere; at in homine isti sunt effectus & operationes; in homine enim est esse diuisibile, quantum, extensum, figuratum, corruptibile, mixtum &c. igitur in homine præter intellectiuam animam, corporeitatis, & mistionis forma datur. Prima propositio ita suadetur. Esse diuisibile, quantum, extensum figuratum, corruptibile &c. ab esse indiuisibili, non quāto, inextenso, & incorruptibili, nequaquam potest formaliter prouenire; sed intellectiua anima est formaliter indiuisibilis, inextensa, incorporea, & incorruptibilis; ergo esse diuisibile, quantum, extēsum, figuratum, & corruptibile, ab intellectiua anima, nequaquam, prouenire potest.

Quartum. Arist. docet. 8. Physicorū, omne seipsum mouens, in duas secerni partes, scilicet, in partem mouentem, & partem motam; sed homo, & quodlibet animal est seipsum mouēs; igitur homo omneque animal secernuntur in partē mouētem, & partem motam; verum anima est pars mouens, vt asseritur secundo de anima; igitur necesse est, omni in animali partem motam ab anima distinctam dari: at prima materia sola haud potest esse mota pars, quia vt dicit quinto Physicorum, ens solum in potentia nequaquam moueri potest; cum omne quod mouetur, sit corpus; igitur, oportet vt in homine, & in quolibet alio animali, sit præter animam alia substantialis forma, per quam constituatur corpus.

Quintum. Ordo in formis, secundum habitudinem ad primam attenditur materiam; nam priùs, & posterius per comparationem ad aliquod principiū dicuntur, si igitur in homine, præter intellectiuam animam, aliqua substantialis forma non esset, sed ipsa anima intellectiua immediate primæ vniretur materiæ tunc intellectiua anima in formarum ordine imperfectissima esset; cum formæ quæ immediate primæ inhærent materiæ imperfectissimæ sint.

Sextum. Humanum corpus est mixtum corpus; sed mixtio non fit tantum secundum materiam, quoniam tunc esset sola corruptio; cum corruptio sit ad primam materiam resolutio; sed fit secundum quod elementares formæ substantiales remanent in mixto; igitur in humano corpore, præter intellectiuam animam, aliæ substantiales formæ sunt.

Septimum. Aliqui ostendere nituntur, animam nudam in materiam non introduci; sed in materiam, dispositiones pro animæ introductione præcedētes habentem: idcirco necessario ipsam materiam aliam substantialem habere formam, cum tales dispositiones in materia immediatè recipi non possint, & hunc in modum arguunt. Si præter animam, in animato alia substantialis forma nequaquam reperiretur; igitur in instanti quo introducitur anima omnes dispositiones materiam pro anima disponentes sunt corruptę; at hoc falsum est; igitur præter animā alia substantialis forma dispositionum susceptiua pro animę introductione in animato reperitur. Minor quadrifariam probatur: Primo, si omnes illæ dispositiones corrumperentur in formę aduentu, ergo esset finitus motus, absq; aliquo mutato esse, ipsum terminante motum, quod est inconueniens, consequutio suadetur, ex hoc: quia dispositiua alteratio ad animalis generationem careret mutato esse, ipsam terminante, nullus enim huius dispositiuæ alterationis terminus reperitur. Secundo, aut illæ dispositiones corrumpuntur per se, aut per accidens, sed neutro modo; ergo &c. probatur minor quoad vtramque partē, & primo quod non per se corrumpantur; quia omne quod per se corrumpitur, à suo corrumpitur contrario, sed vt notum est, à suo non corrumpūtur contrario, ergo per se non corrum-

puntur. Quod etiam per accidens non corrumpantur, ita ostenditur; Vnumquodque, eo modo corrumpitur quo est corruptibile, at istę dispositiones nō sunt per accidens corruptibiles; vt docetur. 10. Met. tex. 25. vbi asseritur, corruptibilitatem, & incorruptibilitatem essentialiter ipsis inesse rebus, non autem per accidens. Tertio aut illæ dispositiones corrumpuntur in tempore; aut in instanti, sed neutro modo: ergo non corrumpuntur. Minor suadetur quò ad vtramque partem, & primo ostenditur non corrumpi in tempore, quia aut corrumpuntur in tempore generationis instans præcedente, aut consequente, sed in neutro corrumpūtur tempore; vt de se notum est: ergo &c. Quod nec etiam in instanti corrumpantur; bifariam suadetur; primo eo modo, res corrumpitur, quo generatur; at istæ dispositiones in tempore generantur; ergo si corrumpuntur, in tempore corrumpuntur. Secundo si in instanti corrumperentur; ergo duo contradictoria simul essent; consequutio probatur, mutationis subiectū sub vtroque termino esse debet; scilicet, sub esse, & sub non esse illarum dispositionum. Tertio omne corruptum esse, ab aliqua præceditur corruptione, vel alteratione ad corruptionem; sed istarum alteratio num esse corruptum, à nulla præceditur alteratione, cum præcedens alteratio sit ad ipsarum generationem dispositionum; ergo &c. Quarto si illæ dispositiones corrumpuntur, ergo frustra introductę fuerunt. Nam in instanti corruptionis ipsarum materia remanet nuda, ex consequenti, ad omnes formas remanet indifferens: ac ideo etiam non magis disposita remanet pro vna forma quam pro alia; tunc vltra; igitur nullā posset recipere formam; consequutio suadetur; quia tunc non est magis disposita pro vna forma, quàm pro alia; quo circa non est maior ratio, vt vnam recipiat quam aliam. Et si aliquis astruat, maiorem esse rationem de illa forma, cuius dispositiones præcesserunt, propter sui agentis præsentiam. Contrà hanc responsionem bifariam arguitur; primo, tale agens erat in principio pręsens, & tamen minimè sufficiens erat; igitur neque nunc. Secundo actiuorum actus in disposito fiunt paciente, vt docetur secundo de anima, tex. 24. & 26.

Octauum. Vbi sunt diuersæ actiones, specie distinctę, diuersi sunt termini; sed in hominis productione, diuersę sunt actiones, scilicet creatio, & generatio; ergo &c.

Nonum. In mortuo & in viuo eadē remanent accidentia; ergo idem remanet subiectum. consequutio probatur; quia accidens non migrat de subiecto in subiectum.

Supradicta sex prima argumenta diluuntur. Cap. 32.

PRo primi solutione argumenti duo sunt notanda. Primum anima, bifariam cōsiderari potest, vno modo quò ad suam entitatem, seu quò ad suā substantiam absolutè, vt est quædam res realis; alio modo considerari potest, vt formaliter anima est, quò ad viui gradum. Secundum. Aliud est sermonem habere de rebus, vt res sunt, absolutè; aliud est loqui de rebus formaliter, secundum suas formales rōnes. De reb. vt res reales sunt sermo habendus est ſm realem ordinem, realemque distinctionem; de rebus autem secundum suas rationes formales loquendū est secundum formalē ordinem, formalemque distinctionem; non autem secundum realem ordinem realemque distinctionem. Istis suppositis damus responsum; si anima consideretur quoad suam entitatem, seu suā substantiam, vt res quædam est absolutè, sic propria eius materia, seu propriū eius subiectum est materia nuda; hocq; modo nos animam in præsenti considerauimus difficultate: Si autem anima consideretur, vt formaliter anima est,

tunc

tunc propria eius materia, non est materia nuda, sed corpus Physicum organicum, potentia vitam habens; quo modo fuit considerata ab Aristo. secundo de anima, quando ipsam diffiniuit, vnde ipsam diffiniuit per suum formale effectum, in quo formali effectu haud fit formæ exclusio, vt adnotauit D. Thomas prima parte q. 77. art. 4. ad primum ex Aristo. verbis; etenim Arist. non affirmat, animã esse corporis actũ solummodo, sed addidit Physici organici potẽtia vitam habentis; & talis potentia minimè animam abicit: qua de re compertum est, corpus Physicum organicũ, qđ est propriũ aĩæ subiectũ ipsam includere aĩam; quẽadmodum qñ dicimus calorẽ esse calidi actũ, calidum nequaq̃ calorẽ excludit; similiter dũ astruimus lumẽ esse lucidi actum, lucidum qđ est subiectũ haud lucẽ excludit. Tunc ad argm̃ formaliter rñdetur, & dicimus primam propositionẽ verã esse, qñ illa forma reipsa consideratur quo ad entitatem, & suam absolutè substantiam, vt res quædã est: & tunc .n. propria materia reipsa ab illa forma suscepta seiungitur, non autẽ verum esse sumendo animã formaliter vt aĩa est, vt fuit ab Aris. sumpta; tũc enim sufficit, ut propria materia, seu proprium subiectum formaliter semoueatur ab illa forma suscepta, vt in secundo notato explicatum fuit.

Ad Secũdum negatur assumptum. Et ad probationẽ iterũ negatur assumptũ. Est. n. hoc assumptum contra Aristo. secundo de generat. text. 17. vbi asserit, vnius corruptionem, esse alterius generationem, & est contra rationem, nam agẽs particulare ageret per se, ad corruptionẽ, qđ maximum est inconueniẽs; & ad probationẽ bifariã rñdemus. Primo sustinendo formam cadaueris hominis esse eiusdẽ speciei, negatur consequentiam; nam cadaueris forma de nouo generatur, & ad probationem dicimus, illam assumptã propositionem; s. ab agentibus diuersarum rõnum, einsdem rõnis non prouenit effectus, asserimus verã esse, qñ effectus est principaliter intentus, vel est proprium medium ad aliquẽ effectum principaliter intentum, non aũt vera est, qñ illæ effectus se habet vt cõmune medium; modo cõstat, cadaueris formam produci vt cõe medium ad oĩa elemẽta; idcirco põt produci à quolibet elemẽto. Semper .n. illa cadaueris forma à prędominante producitur elemento, & si aliquis affirmet, formam cadaueris produci aliquãdo gladio, aliqñ suspẽdio, vel aliquo hmõi; respondemus, ista se habere tm̃ sicut excitantia, & actiua passiuis applicãtia. Secundo rñdemus ad supradictæ probationem cõsequentiæ, sustinẽdo cadaueris hominis formã diuersæ esse rõnis, & autumamus illud assumptum, s. corporis Platonis mortui formã eiusdẽ rõnis specifice, cum corporis fortis forma mortui, esse falsã, nã diuersę sunt speciei; & ad probationẽ dicimus, sensum decipi; nam illa forma substãtialis cadaueris, non est propriũ sensus visus obiectũ; idcirco sensus decipi potest.

Ad tertium rñdetur, duo primo supponenda. Primũ suppositũ. Esse corporeũ, quãtum, & extensum, bifariã sumitur, vno modo vt est de substãtiæ prædicamento, hocq; est esse corporeum, quãtũ, & extensum per accidens, seu subiectiuè, & hoc fit à substãtia corporeitatis formaliter; alio modo, vt est de quantitatis prędicamento, & hoc est esse corporeũ, quãtũ, extensũ formaliter, & per se; hocq. fit à sola substãtia. In pñti difficultate, sermo est, de esse corporeo, quãto, & extenso vt est de prædicamento substãtię, nõ aũt vt est de quãtitatis prędicamento. Secundum suppositum. Animã, intellectiuã esse corporeã, materialem, quantã, figuratã &c. potest duob. intelligi modis, vno modo formaliter, & hoc modo omnino falsum est; qm̃ formaliter est incorporea, immaterialis, nõ quãta, in figurata; alio modo virtualiter vt trigonum est in tetragono, & hoc modo verum est; quoniam anima intellectiua tantæ est virtutis, & excellentiæ, vt ens faciat corporeum, materiale, corruptibile, extensum, & quantitatis

titatis

titatis subiectum; & ratio est, quia in se vim habet omnium formarum præcedentium, quæ sunt corporea, vegetatiua, & sensitiua, istasque excedit oēs; vnde facit genus effectus formę corporeę, vegetatiuę, & sēsitiuę, multosq; alios, quos aliç precedētes formę minimè facere possunt: ilis suppositis formaliter ad argumentū rñdemus, primā negādo propositionē; ad eiusq; probationē negat̃ iterū prima propositio vniuersaliter: nā esse diuisibile, corruptibile, extēsum, figuratū & id genus, licet nō possint formaliter fieri ab indiuisibili incorruptibili, ī extēso formaliter virtualiter: possūt tñ fieri ab indiuisibili, incorruptibili, in extēso formaliter, virtualiter aūt diuisibili, corruptibili, & extenso, vt fuit explicatum.

Circa dicta hac in rñsione, cū assertū est, intellectiuā animā dare esse corporeū, extēsum, corruptibile, &c. intelligitur de esse essētiæ, nō aūt de esse existētię; quoniam esse existentię humano cōicatū corpori est indiuisibile, immateriale &c. quemadmodū, & ipsa aīa; esse aūt essentię, est cōpositū, materiale, corruptibile, extēsum, &c. modo declarato.

Ad quartū. Dicimus aīam minimè corpus mouere per suū esse quatenus corpori vnit̃ vt forma; verū mouet ipsū per potentiā motiuā; motiuę aūt potētię actus, & operatio præsupponit corpus iā per aīam in actu factū: qua de re aīa secūdū motiuā virtutē est pars mouēs, corpus aūt aīatum est pars mota; & ideo formaliter rñdendo, affirmamus hominē & quodlibet aīal diuidi in partē mouentem & partem motam, sed pars mouens est animæ virtus, pars autem mota animatum est corpus.

Ad Quintū rñdetur ex D. Th. 1. p. q. 76. ar. 4. ad tertiū. Formā esse primę materię propinquā, bifariā cōtingit; altero modo quò ad vnionē, & hoc modo oīs substātialis forma est primę materię ꝓpinqua, & ideo nullus est ordo ī formis, p respectū ad primā materiā, cōsiderādo formę propinquitatē ad primā materiā quo ad vnionē; idcirco penès hāc propinquitatē, nequaquā attēditur formaliter substātialiū perfectio, vel imperfectio. altero modo cōtingit formā esse primę materiæ propinq̃ quò ad gradualē perfectionē: & hoc modo nō oīs substātialis forma est æquè primę propinqua materię; verum quanto aliqua substātialis forma est materię propinquior, tāto est imperfectior, & quāto est remotior, tāto perfectior est: qua de causa elementorū formę sunt imperfectissimę, & appellātur formę immediatè materię, & primę formæ ipsius, & postmodū sequūtur formę mixtorū, & sic deinceps. Et appellat̃ forma materię propinquior, quòad gradualē perfectionē, quæ gñationis ordine tribuit materię solū primū gradū pfectionalē, remotior aūt quæ dat primū & secū dū perfectionis gradū, & ita ꝓcedēdo in tota latitudine gradualis pfectionis.

Ad Sextū rñdetur secūdum Arist. 1. de gñatione. Elemētorū formas ī mixto remanere nō actu, sed tm̄ virtute; nā propriç elementorū qualitates remanēt (remissè tñ) in qualitate, quç est propria ad mixti formā dispositio; & ideo formaliter ad argumētū rñdēdo, imus inficias mixtionē fieri secūdū qđ elemētorū formę substātiales in mixto remanēt actu, fit. n. mixtio ẽ n qđ istę elementorū substātiales formę, ī mixto tm̄ virtute remanent, eo modo quo nūc fuit expositum.

Diluuntur tria vltima argumenta. Cap. 33.

AD Septimum. Asseritur, oēs dispositiones introductas pro aduentu aīę, & cuiuscūq; substātialis formæ, in formæ aduētu corrūpi; eo qm̄ forma nuda in materia recipit̃; & ad primā probationē rñdetur, motum esse in duplici discrimine, quidā est motus, qui tātum motus rōnem hēt, & concedimus, istū motum necessario intrinsecū habere terminū; sed negamus postmodū, illas dispositiones materiā disponētes motus tātū rōnē habere; quidā est motus, qui est, non tm̄ motus, sed ēt est via ad substātię gñationē, necessitās substātiæ gñationē natu-

naturali necessitate, & talis motus non hēt intrinsecū positiuè, & in actu terminum, quoniā nō dat vltimū esse rei corrumpendę, sed hēt tātum extrinsecū terminum, qui est primum esse rei genitæ.

Ad Secūdā probationē rñdetur, pręnotādo duo. Primò, corruptibile vniuersaliter est prędicatū essentiale, vel cuiuscū que corruptibilis rei, esséntiale cōsequēs, & hanc veritatē docet Aris.12.Met.tex.25. & ratio est, quia natura minimè pōt trāsferri de corruptili, in incorruptibili, vel ècontra: quapp quacunq; re corruptibili demōstrata, conficiendo prædicationem dicēdo, hoc est corruptibile, semper est p se prædicatio: quoniā corruptibilitatis cōiunctio ad rem corruptibilē semper essentialis est. Secūdo. Corruptibile in duplici est differētia, quod dā est corruptibile qđ ad corruptionis actum à suo deducitur cōtrario, & hoc est corruptibile per se, quoddā aūt est corruptibile quò ad corruptionis actum non à suo deducitur contrario, verum tm̄ ad alterius corruptionem corrumpitur, & hoc est corruptibile per accidēs, seu per aliud. Et quoniā vtrumque corruptibile tam per se, quā per accidens, sub corruptibili per se in communi continetur, sicut inferiora sub superiori; idcirco vtrūque etiam est per se corruptibile; sed qđ à suo corrumpitur contrario, dr̄ per se corruptibile, tā in ordine cōiunctionis corruptibilitatis ad rē corruptibilē, q̄ in ordine ad actualē corruptionē. Quod aūt corrumpitur, nō à suo cōtrario, sed tantum ad alterius corruptionē, dr̄ per se corruptibile, solū modò in ordine cōiunctionis corruptibilitatis ad rem corruptilē, non autem in ordine ad actualē corruptionē, sed per accidēs corruptibile est, quò ad actualē corruptionē. Istis suppositis rñdetur, illas dispositiones corrumpi per accidens actualiter, & ad improbationē dr̄, corruptibilitatē in esse reb. essentialiter, nec non per se reb. in esse, vt corrumpantur quędā per se, quędā per accidens: & ideo per se inest quibusdā reb. vt per accidēs corrumpantur; idcirco ista cōsequētia nō valet, esséntialiter res corrumpitur; ergo tm̄ per se corrumpitur; quoniam & quod per accidēs corrumpitur, essentialiter & per se corrumpitur.


Ad tertiam probationem rñdetur, illas dispositiones in instanti corrūpi; & ad istius improbationē, negatur eodem modo rem quo gñatur corrūpi, qñ per accidens corrumpitur, licet vera sit, qñ per se illa res corrumpitur, sicut ēt per se generatur; quapropter rem per se gñari in tempore, & per accidēs in instanti corrumpi non inconuenit, & huiusmo di sunt dispositiones, de quib. sermo est. Ad secundū imus inficias consequentiā quoniam instantaneę subiectū mutationis (qualis est prædictarum corrupti, dispositionū) licet necessario sub vtroq; sit termino, attamē nō est sub vtroq. termino pro instanti mutationē mensurante; sed sufficit, vt sub vno termino immediatè ante illud instans sit, & postmodum in illo instanti sub altero termino Ad tertium, secunda negatur propositio, quoniam eo modo quo in præsenti, esse corruptum reperitur, alteratio etiam corruptiua præcedit; nam sicut istę dispositiones p accidēs corrūpunt, s. p subiecti corruptionē; ita ēt corruptiua subiecti alteratio, esse corruptū istarū dispositionū p̄cedit, sicut & subiecti corruptionē istarū corruptio dispositionū: cū ad subiecti corruptionē corrūpant.

Ad quartā probationem rñdetur, vno supposito, qđ est tale, aliud est sermonē habere de nuda materia immediatè post dispositiones, pro substantialis formæ ītroductione introductas; & aliud est de nuda materia asolutè. Nuda.n absolutè materia nil aliud pręsefert, quam primę materię substātiā, absq; aliquo ordine ad certā formā, & ideo ad oēs formas est indifferens, & qua rōne vnā reciperet, ēt aliā reciperet Materia aūt nuda immediatè post dispositionū introductarū pro substātiali forma corruptionē, haud est ad oēs indifferens formas: sed est huic appropriata formæ, pro qua illæ dispositiones factę fuerunt: & naturaliter hanc materiam ad hanc determinatam

minatam formam recipiendã necessitant: ideo farinæ materia necessitata est vt panis recipiat formam, & vini materia necessitata est, vt aceti formam recipiat. Hoc supposito, ad argumentum formaliter respondetur, ngando sequelam; & ad probationẽ dicitur, in instanti quidem corruptionis illarum dispositionũ nuda remanet materia, est tamen necessitata, & determinata ab illis dispositionib. naturæ ordine ad hanc determinatam formam, pro qua introductæ fuerunt recipiendam. Secundo dici potest, nudam materiam post illarum dispositionum corruptionem ab agente non absolutè determinari, & necessitari; sed quoniam est in actionis termino, respectu illius materiæ, ideo prima improbatio contra hoc nulla est, quia alia est ratio de agente in actionis principio, & alia ratio in actionis termino: nam in principio materia non est disposita, in termino autem valde disposita est: idcirco responsio ad secundam huius improbationem valde patẽs est; nam materia nuda post taliũ dispositionũ expoliationẽ, est materia valdè disposita, respectu talis agẽtis in suę termino actionis.


Ad Octauum bifariam respondetur, Primo dicitur, in hominis generatione duas proculdubio actiones; duosque intrinsecos terminos reperiri: at hæc negatur sequela, scilicet igitur duę formę; quandoquidem vna & eadem anima intellectiua diuersimodè considerata, vtriusque actionis terminus est: nam intellectiua anima quo ad esse, creationis terminus est; quo autem ad suum inesse ĩ materia, est generationis terminus. Secundo dicitur, duas formas (non tamẽ partis formas) esse illarum duarum actionum terminos; anima. n. intellectiua creationis terminus est, humanitas autem generationis est terminus; attamen totius forma haud cum forma partis in numerũ ponit & de istis vidẽdus est Caiet. 1. p. q. 18. art. 2. in resp. ad quartam.

Ad nonum negatur antecedens; & licet eadem esse in viuo & in mortuo accidentia videantur, vt de cicatricibus videtur, respondetur tamen sensum in huiusmodi cognitione decipi. Et ista sint satis de ista difficultate.



DE COGNITIONE ANIMÆ SEPARATÆ AD AVRES ARISTOTELIS.

Anima separata seipsam per seipsam cognoscit. Cap. 34.



CVM in superioribus, de animę humanę immortalitate agentes, satis abundè animam separatam per côuersionem ad superiora intelligere demonstratum sit, vt potest colligi Cap. 11. nunc ostendendum est, qiud intelligat, & an scientia in statu præsenti acquisita, post sui separationem à corpore in ipsa remaneat; & primo seipsam per seipsam intelligere explicandum est.

Et pro huius claritate tria præcipuè speculanda, & considerandа sunt. Primum vt superius ostensum fuit Cap 12. anima humana duplicem habet statum, alterum sibi secundum propriam naturam in se consideratam conuenientem; alterum sibi ét naturaliter, non tamen absolutè competentem, sed quatenus separatarum substantiarum naturam participat.

Secundum. Considerandum est, vt patet ex eo cap. animam humanam bifariam considerari posse, vno modo secundum suam propriam naturam, alio modo vt separatarum substantiarum participat naturam. Et secundum istas diuersas considerationes, diuersa etiam ipsi animæ attribuuntur. Nam animæ humanæ in se absolutè consideratæ septem attribuuntur. Primum. In corpore per informationem habet esse, & ideo ab Arist. diffinitur per esse actum corporis Physici; quæ diffinitio etiam animę humanę vniuocè conuenit; Secundum quod ex primo deducitur. Anima humana inter substantias intellectuales infima est, & ideo in suo essendi modo corpus exigit corruptibile, quod etiam materialib. côuenit formis. Tertiũ quod ex istis duob. colligitur est. Anima humana in modo intelligibilitatis infima est, quod ita deducitur. Eadem est vniuscuiusq; dispositio in intelligibilitate, quæ in entitate est; vt dicitur secundò Met. tex. 4. sed aĩa humana inter intellectuales substantias infima est in modo essendi; vt per primum, & secundum clarum est: ergo ét infima in intelligibilitate. Quartũ quod ex tertio deducitur est. Aĩa humana est intelligibilis in pura potẽtia, vt docet Arist. 3. de aĩa tex. 5. & 14 hocque ita colligitur. Infimum in genere intelligibilium necessario pura in potentia intelligibile est, quoniam si non esset pura in potentia intelligibile, & ĩ actu intelligibile esset, tunc non infimum esset; quia aliud minus intelligibile post se haberet, & hoc esset intelligibile in pura potentia, vt de se compertum est; at humana anima, vt ex præcedenti patet, in genere intelligibilium infima est: igitur est intelligibilis pura in potentia. Quintum. Necessario anima humana tam secundum intellectum agentem, quam possibilem per conuersionem ad Phantasmata intelligit; hocque ita colligitur. Operandi modus modum essendi sequitur, vt pluries decantatum fuit, at humana anima ex sui natura corpori vnita est: ergo etiam per colligationem ad corpus intelligit, non vt organum, ergo vt obiectum. Et hoc quintum

docetur tertio de anima text. 30. & 39. Sextum. Intellectus agens non est actus intellectus possibilis, nisi medijs intelligibilibus sensibilium, cum intellectus agēs, species intelligibiles, quibus intellectus possibilis actuatur, non deducat nisi ex phantasmatibus; phantasmata autem sensibilia sunt. Septimum. Anima humana seipsam non cognoscit, nisi per suum actum; quod sic deducitur. Anima humana seipsam non cognoscit nisi per illud, per quod actuatur, cum ipsa in genere intellibilium in pura potentia sit; sed non actuatur, nisi per suum actum intelligibiles producendo species ipsam actuātes; igitur seipsam non intelligit, nisi suū p actū, vt docet Aris. 3. de aīa tex. 8.

Tertium considerandum. Sicut animæ corpori coniunctę septem attributa sunt, secundum naturam propriam, ita animæ separatæ, quatenus substantiarum separatarum participat naturam, alia septem attribuenda sunt. Primum. Anima separata inferiorem essendi modum minimè habet verū superiorē essendi modū, s. à corpore separatum habet. Secundum. inferiorem intelligibilitatis modum nequaquam habet, vnde non est amplius intelligibilis in pura potētia, sed in actu, & hoc ita colligitur; eadem est, essendi, & intelligibilitatis dispositio, vt ex secundo Met. text. 4. patet: at anima à corpore separata est à materia actu semota, ergo est intelligibilis actu. Et confirmatur per Aristot. 3. de anima tex. 11. asserentem, res esse intelligibiles, sicut à materia separatæ sūt. Tertium. Anima statim vt à corpore separatur, actu fit intelligibilis; quod ita ex dictis colligitur. Anima statim actu intelligibilis fit, vt à materia statim separatur, substantiarumque separatarum participat naturam, vt ex dictis manifestum est: sed vt à corpore statim separatur, sortit hęc, ergo &c. Quartum. Anima separata superiorem intelligendi modū tām actiue, quàm passiuè habet, similem separatarum modo substantiarum; quod facilimè ita colligitur: Modus operandi essendi modum sequitur, vt pluries fuit inculcatum; sed anima separata, modum essendi superiorem similem substantiarum essendi modo, separatarum habet; igitur etiam modum operandi separatarum substantiarum tām actiuè, quàm passiuè habet. Quintum. Anima separata primò supra seipsam conuertitur, deinde ad alias substātias separatas; hocquà ita ostenditur. Omnis saparata substantia primò sup. seipsam conuertitur, deinde super alias separatas substantias vt ostensum fuit supra Cap. 11. & magis in tractatu de intelligentijs ostendetur, ad mentem Aristo. quod etiā nunc ita demonstratur. Vnusquisq; intellectus primò respicit, quod sibi magis intimum est; sed vniuscuiusq; substantia magis est sibi intima, quàm alia substantia. At anima separata de substantiarum separatarum numero est: ergo separata anima primò supra se ipsam conuertitur. Sextum. Intellectus agens ad illustrandam animæ substantiam hunc in modum primò conuertitur, vt intellectus agens sit primò substātiæ animæ actus, vt obiecti, & sit intellectus possibilis actus, vt potentiæ: hocque ita colligitur. Anima separata supra seipsam primò conuertitur, sed ista conuersio nihil aliud est, nisi intellectus agētis illustratio: ergo &c. Septimum. Substantia animæ separatæ quæ suam secūdum naturam in se consideratam est in pura potentia intelligibilis, in actu intelligibilis fit, per sui intellectus agentis illustrationem, sine alio obiecto, aut alia intelligibili specie; quæ illustratio separatæ animæ, naturam, quatenus superiorem naturam substantiarum participat, sequitur.

Ex his omnibus ita ratio pro conclusione proposita formatur. Omnis separata substantia seipsam per seipsam intelligit, at anima à corpore separatā substātiarum separatarum modum essendi habet; igitur anima separata seipsam per seipsam intelligit.

Anima separata de alijs animabus perfectam habet cognitionem; de intelligentijs verò tantum imperfectam, & deficientem habet, ad mentem Aristote.

Cap. 35.

EX dictis in præcedenti capite facilè demõstrare possumus, separatam animam alias animas separatas perfectè cognoscere, intelligentias verò non nisi modo imperfecto; hocque ita demonstratur. Omni substantiæ separatę cõmune est intelligere id quod est supra se, & id quod est infrà se, per suæ modum substantiæ; sed substantiæ separatæ animæ modus est infra substãtiarum separatarum modum; & aliarum separatarum animarum modo conformis: igitur de alijs separatis animabus perfectã habet cognitionem, de intelligentijs autem imperfectam, & deficientem. Minor vt nota relinquitur; Maior autem ad mentem Aristot. ita demonstratur. Vnumquodque intelligitur quatenus est in intelligente per ipsius intelligentis modum; vt ex tertio de aĩa tex. 37. & 38. compertum est: igitur omnis separata substantia omnia, tam supra se, quam infra se per suæ substantię modum intelligit. An verò anima separata alias animas, intelligentiasque solum modo per ipsammet suam essẽtiam intelligat; an per super additas species, aperiendũ est. Et pro huius resolutione tria dicimus Primum. Anima separata alias animas separatas quò ad suas essẽtias cognoscit. Et ratio est, quia vt assertũ est, modus essendi vnius animæ separatæ modo essendi omnium aliarum animarum separatarum conformis est: igitur est sufficiens similitudo omnium aliarũ animarum separatarum representatiua: ergo potest anima separata suam per essentiam omnium aliarum separatarum animarum essentias cognoscere. Secundum. Anima separata intelligentias modo valdè imperfecto intelligit per suam essentiã; at minus imperfectè per infusas species, & ideo istę species infusæ super adduntur, vt in representando suppleant id, quod ipsarum animarum substantię deest: & ratio est, quoniam sicut intelligentiæ per species à Deo infusas intelligunt, vt fuit ostensum supra cap. 11. ex Arist. 12. Met. text. 39. & magis infra explicabitur cum de intelligentiarum cognitione pertractabimus, ostendẽtes hmõi species infusas essentijs vt intelligẽtiarũ super addi ad hoc, vt perfectius res cognoscant, q̃ suã per essentiam solent; ita aĩa separata cũ intelligentiarum intelligendi modum habeat (vt superius visum fuit) per species à Deo infusas intelligit perfectius, quàm per solam suam essentiam. Tertium. Licet anima separata aliarum separatarum animarum essentias per suã essentiam cognoscat perfectè; attamen multa earum accidentia minimè cognoscit; idcirco ad ista cognoscenda aeq; scẽ tia infusis indiget specieb. & rõ est, q̃a animę separatæ essentia valdè limitata est, quapropter, multa perfectè representare minimè potest, & ideo ad multa representanda, infusis indiget speciebus.

Contra hanc veritatem, sunt duo argumenta suadentia animam separatam haud posse per species intelligentias representãtes immediatè cognoscere; & primò sicut perfectior est anima corpori coniuncta, quàm à corpore separata, cum anima, sit naturaliter humanę pars naturæ, quælibet autem pars suo in toto quàm separata, perfectior sit; at anima corpori coniuncta separatas neqquaquã intelligit substantias, vt dicitur secundo Met. text. primo: igitur multo minus cũ à corpore separata fuerit, eas intelligere, poterit.

Secundo. Omne illud, quod cognoscitur, vel per sui præsentiam cognoscitur, vel per suam speciem; sed substantię separatę neutro modo ab anima separata cognosci possunt ergo &c. Minor probatur quò ad vtramque partem: & primò quod substãtię separatę ab aĩa se

parata suã per præsentiã minimè cognosci possunt; suadet ex hoc: quia nihil illabitur mẽti creatę nisi solus Deus. Secũdo probatur, separatã substãtiam ab aĩa separata p species supadditas minimè posse cognosci: hunc in modũ, substãtia separata est simplicior q̃ separata aĩa; igitur à substãtia separata haud species abstrahere potest: exẽ consequẽti, separatas substantias p species intelligere nõ põt.

Ad primum respondetur animam separatam absolutè imperfectiorem esse, quam sit coniuncta, adducta ratione; at tamen separata est aliquo modo ad intelligendum liberior, quã coniuncta, quatenus corporis grauitatem, occupationemq. à puritatæ intelligẽtiæ, & à receptione ĩfluxus diuini luminis impedit. Ad Secundũ. Bifariã r̃ndemus. Primò inficiamur primã propositionẽ tãq̃ insufficientẽ, dat̃ n. tertius cognoscẽdi modus, qui est per cognoscẽtis substãtiã cognosci, quo modo, aĩa separata intelligẽtias cognoscit, licet imperfectè. Secũdo dicimus, intelligentias per species non quidem ab ipsis abstractas, (vt rectè argm̃ probat) sed per species diuinitùs impressas cognosci; quæ tamen species à perfecta ipsarum intelligentiarum representatione deficiunt, cum animę natura intelligentiarum natura inferior sit.

Animam separatam omnia naturalia in communi confuseque cognoscere ad mentem Aristo. demonstratur. *Cap. 36.*

EX declaratis apparet etiam aĩam separatam in cõmuni, & confusè oĩa naturalia cognoscere, quę cõclusio ita demõstratur. Aĩa separata p species diuinitus infusas cognoscit sicut ẽt substãtiæ separatę intelligũt, qui tñ pprius modus intelligẽdi substãtiarũ separatarũ ipsis aĩab. improportionatus ẽ, vt fuit ostẽsum sup. cap. 12. & 33 ad mẽtẽ Aris. quo circa pportionaliter sicut se hẽt intelligẽtia ad perfectã cognitionẽ, ita, aĩa sẽparata ad imperfectã; at intelligẽtię (vt inferius ostẽdet̃) suã per cognitionẽ pfectã oĩa naturalia perfectè distinctèque cognoscũt: igitur aĩa separata per suam imperfectam cognitionem omnia naturalia imperfectè, in cõiq; cognoscit.

Cõtra hãc veritatẽ, videlicet aĩa separata oĩa naturalia cognoscit, ita arguit̃; Aĩa statim cũ separata est oĩa cognoscit naturalia: igit̃ homines nũc ad sciẽtiã naturaliũ capescẽdã frustrà insudarẽt: sed hoc ẽ incõueniẽs: igit̃ aĩa separata oĩa naturalia nequaq̃ cognoscit. R̃ndemus, cognitionẽ hic acquisitã per studiũ esse propriam & perfectam; illam autẽ esse communem, & confusam: quo circa falsum est studiũ adipiscendi frustra esse.

Animã separatã aliqua singularia, verũ non oĩa, etiã p̃sẽtia, cognoscere ad mentem Arist. *Cap. 37.*

POssumus ẽt ex prędictis colligere, aĩam separatã aliqua singularia dignoscere, verũ nõ oĩa, licèt ẽt p̃ntia sint, & hoc ad intelligẽtiarũ discrimẽ, q̃ oĩa singularia p̃ntia; cognoscũt licet & ipsę intelligẽtiæ nõ oĩa singularia simpliciter cognoscãt. Et pro huius cõclusionis intelligẽtia, & probatione, supponẽda ẽ quędã distinctio, q̃ talis est. In via Aris. modus intelligẽdi duplici in discrimine est, alter p abstractionẽ à phãtasmatib. alter p influentiã specierũ a Deo. Et isti duo modi superius cap. 12. & 33. explicati fuerũt q̃ quidẽ modi inter se p hoc discriminant̃. Per primũ modũ singularia p intellectũ minimè directè cognosci possũt, sed tm̃ reflexè. Per sm̃ aũt modũ, intellectus singularia directè cognoscere põt. Et r̃õ est; quia Deus suã per essẽtiã quatenus ẽ vniuersaliũ, indiuidualiũq. causa, oĩa tã singularia, q̃ vniuersalia cognoscit, vt in lib. 3. de Dei sciẽtia agẽtes ostẽdemus. Cũ itaq. diuina essẽtia oĩa singularia, nedũ vniuersalia rep̃sentet p species à Deo infusas (cũ sint qdã illius essẽtię diuinę similitudines participatę) oĩa singularia representare possunt, & de facto quantum sit ex se representant.

Ex hac distinctione, proposita conclusio declaratur. Vt ex præcedentibus compertum est, intelligentiæ, & animæ separatæ, inter se discriminantur, quandoqui-

doquidem intelligentiæ per istas species à Deo infusas propriam, perfectamque habent de rebus cognitionem, animæ autem separatæ imperfectam & confusam, quo ex discrimine aliud sequitur. Nam, intelligentiæ propter sui intellectus efficaciam, per huiusmodi species non solum rerum naturas in vniuersali distinctè cognoscũt, verum etiam omnia singularia contenta, & per illas species repręsentata Animæ autem separatæ per huiusmodi species, omnia singularia per illas species repræsentata, pp sui imbecillitatem intellectus minimè cognoscere possunt, sed tantum illa singularia, ad quæ quodam determinantur modo, vel præcedentem per cognitionem, vel aliquam per affectionem, vel naturalem per habitudinem; & adiungit Theologus, vel diuinam per ordinationem. Ista enim quatuor animam separatam disponunt, vt illas species infusas secundum repræsentandi modum singularia illa respiciat, cum vnumquodque in aliquo sm recipientis modum recipiatur; idcircò anima separata illa quatuor habens ad recipiendum species infusas secundum illam repræsentationem disposita est.

Ex illis sic breuem formamus rõnem, ad propositã conclusionẽ demonstrãdã. Cognoscens per species à Deo infusas sibi improportionatas potest singularia, non tamen omnia, sed illa solum, quæ sibi repræsentantur, directè cognoscere; at anima separata est huiusmodi; ergo &c. illę assumptę propositiones patent ex dictis.

Contra hanc veritatem videlicet, anima separata quædam singularia directè cognoscit, trifariam arguitur. Primo secundum Aristot. tertio de anima text. 20. nulla cognoscitiua potentia in anima separata nisi intellectus remanet; sed intellectus singularia haud directè cognoscit; igitur anima separata singularia minimè directè cognoscere põt.

Secundo. Magis est determinata cognitio qua aliquid in singulari cognoscitur, quam illa, qua aliquid in vniuersali dignoscitur. At anima separata aliquam de rerum naturalium speciebus nequaquam cognitionem habet; igitur multo minus singularia cognoscit.

Tertio. Si cognoscit singularia, & illa per sensum minimè cognoscit, pari ratione omnia singularia cognoscit; ergo &c.

Ad primum dicimus, illam propositionẽ, scilicet, intellectus singularia nõ nisi reflexe cognoscit, verã esse de cognitione quę per species à phantasmatibus abstractas habetur; nõ aũt de cognitione per infusas species. Modò ostẽsũ est animam separatam singularia per infusas species intelligere.

Ad secundum. Inficiamur animam separatam nõ habere cognitionem de speciebus determinatam, sicut & de singularibus: qua de re asserimus, animæ separatę cognitionẽ ad species, & ad naturalium rerum indiuidua determinari, ad quæ ipsa anima separata aliquam determinatam habitudinem habet, vt fuit assertum.

Ad tertium inficiamur consequentiã, qm̃ anima separata non modo ęquali ad omnia singularia se habet, verum ad quædam aliquam habet habitudinẽ, quam ad alia minimè habet; qua de re non sequitur quædam singularia directè cognoscit, ut omnia cognoscat.

Habitus scientiæ hic acquisitæ quatenus in intellectu est, in anima separata remanet. Cap. 39.

EX animæ immortalitate præcipuè colligere possumus, scientiæ habitũ præsenti instatu mortali acquisitæ, in animæ separatæ intellectu remanere. Verum pro huius intelligentia conclusionis, hoc fundamentum ponendum est. Scientia formaliter in intellectu est, materialiter autem siuè dispositiuè in sensitiuis est viribus. Hocque fundamentum ex Aristote. doctrina secunda, Ethic. capit. primo ita ostenditur

Habitus sunt actibus ex quibus acquiruntur similes, sed actus intellectus ex quibus in præsenti vita acquiritur sciētia, sunt per intellectus conuersionē ad Phantasmata uiribus in sensitiuis existentia, vt docetur tertio de anima; & ideo isti actus principaliter, & formaliter, in intellectu sunt, materialiter autem, & dispositiuè in uiribus sensitiuis. Hic aduertendum est, Per ipsos intellectus actus duo acquiruntur, alterum in intellectu, alterum in uiribus sensitiuis. In intellectu quidem acquiritur quædam facultas ad considerandum per species susceptas; in virib. autem sensitiuis acquiritur quædam habilitas, vt intellectus per conuersionem ad ipsas species, ipsaque phantasmata facilius speculari possit.

Hoc supposito, ita conclusio demonstratur. Omnis forma quæ corrumpitur, vel corrumpitur per se, cum à suo corrumpitur cōtrario; vel per accidens, scilicet, per subiecti corruptionem, vt breuitate vitę; sed habitus scientiæ secūdum quod remanet in intellectu neutro corrumpitur modo; igitur habitus sciētiæ in intellectu existens, in anima separata remanet. Secunda propositio probatur quò ad vtramq; partem, & primo quod non corrumpatur per accidēs, scilicet per subiecti corruptionem. Subiectum est intellectus possibilis, vt dicit Arist 3. de anima tex. 6. vbi intellectum possibilem specierum locum appellat; sed intellectus possibilis vt in tractatu de animæ immortalitate ostensū fuit, est incorruptibilis; ergo &c. Quò ad secundam partem. Primæ intellectus operationi nihil est contrarium; sed intelligere animæ separatæ est sicut prima intellectus operatio; igitur intellectioni animæ separatæ nulla est forma contraria; igitur intelligere animæ separatę non potest per se corrumpi. Quod autem omnis animæ separatæ intellectio se habeat sicut prima intellectus operatio, hunc in modum ostenditur. Anima separata cum essendi modum habeat substantiarum separatarum, habet etiam modum intelligendi ipsarum; sed substantię separatę vt dicemus in tractatu proprio, intelligunt non cōponendo, nec diuidendo, sed simpliciter intuendo; igitur & animæ separatæ nō componendo aut discurrendo, sed simpliciter intuendo intelligunt.

Contra hanc veritatem, duo adsunt argumenta. Primum; Animæ separatę per diuini influentiam luminis scientiam habent; si itaque scientia in præsenti vita acquisita in anima separata remanet: igitur duæ formæ eiusdem speciei in eodem erunt subiecto: hoc autem impossibile est.

Secundum. Habitus est qualitas de difficili mobilis secundum Arist. in prædicamētis, at scientia ab ægritudine, vel ab aliquo accidente efficaci corrumpitur; sed hac in vita nulla est ita fortis immutatio, sicut est immutatio quæ per mortem est: igitur multo magis per mortem, scientiæ habitus corrumpitur.

Ad primum, inficiamur scientiam acquisitam & infusam in anima separata eiusdem esse rationis, nā species in anima separata infusæ longe vniuersaliores sunt speciebus hic acquisitis: ex consequenti istæ duæ scientiæ diuersorum sunt ordinum.

Ad secundum dicitur, licet verum sit scientiā per vehementem ęgritudinem vel per aliquid huiusmodi corrumpi quantum ad id, quod se tenet ex parte sentiuarum virium, quo etiā modo corrumpitur in anima separata, nō tamen quantum ad id, quod se tenet ex parte intellectus, corrumpitur, quo vtique modo in anima separata remanet.

Actus scientiæ in præsenti vita acquisitæ in anima remanet separata, licet non eodem modo secundum Aristot. principia.

Cap. 39.

Speciem seu substantiam actus scientiæ in præsenti seculo acquisitæ in anima separata, remanere facile ex dictis

ctis colligimus, licet per eandem supradictam doctrinam asserimus istos actus non eũdem habere modum. Nam actus iste in præsenti vita per conuersionem ad phantasmata semper est; cum autem separata fuerit anima, non per conuersionem ad phantasmata, sed per conuersionem ad superiora est, vt ostensum est supra Cap. 9. & 11. Verùm antequam ista probentur, quędam sunt primò declaranda. Et pro horum illucidatione sciendũ est, duo in actu considerari, alterũ, est species, seu substātia actus, alterũ est ipsius actus modus. Species actus ex obiecto cōsideratur, in eo quod actus virtutis cognoscitiuę per speciem attingitur, quę est obiecti similitudo. Modus autem actus ex agentis virtute consideratur. Et ista hoc declarantur exemplo. In videre lapidem acutè species, seu substantia visionis consideratur, istaque species ex lapidis specie quæ est in oculo causatur. Consideratur etiam in acutę actu visionis, modus visionis; & istę est acutè videre, isteq; modus ex oculi visiua virtute depēdet. Ponimus itaq; talē conclusionē. In aīa separata actus scientiæ hic acquisitę quò ad substantiam actus, non tamen quò ad modum, remanet. Quæ ita probatur, manente eodem obiecto, vel aliquo obiecti vicem gerente, remanet & species seu substantia actus, & mutata virtute, seu agentis dispositione, etiam modus actus mutatur; hęc ex declaratis patet: sed in anima separata species intelligibiles hic acquisitæ ipsius obiecti vicem gerentes remanent, & animæ status mutatur, ex consequenti virtus & animæ dispositio; vt ex assertis notum est: igitur in anima separata remanet species actus scientiæ hic acquisitæ, vt quæ prius intellexit, intelligere possit, & intelligendi modus scilicet, per conuersionem ad phantasmata mutatur vt per conuersionem ad superiora intelligat, quemadmodum separatę substantiæ intelligunt.

Contra hanc veritatem tria adsunt argumenta. Primum. Aris. primo de anima ait; *corrupto corpore animam neque reminisci, neque amare*; at considerare ea quæ prius cognouit reminisci est: igitur anima separata actum scientiæ quam hic acquisiuit nequaquam habere potest.

Secundum. Intelligibiles species non sunt in anima separata potentiores quā sint in anima corpori vnita; sed anima corpori vnita, per species hic acquisitas minimè intelligere potest, nisi se ad phātasmata conuertendo, vt habetur ex tertio de anima; igitur nec anima separata per istas species nisi se ad phātasmata conuertendo, pōt intelligere. At in aīa separata phantasmata non adsunt; igitur aīa separata per species hic acquisitas nequaquā intelligere pōt; ex consequenti actus scientiæ in præsenti vita acquisitæ non remanent.

Tertium. Docet Aris. secundo. Ethic. Habitus reddunt actus actibus similes per quos acquiruntur: at scientiæ habitus in pręsenti vita per actus intellectus supra phantasmata conuertentis acquiritur; igitur habitus per intellectus actū acquisitus supra phantasmata se conuertentis, haud alios actus reddere potest, nisi similes actibus per conuersionem ad phantasmata; sed tales actus haud animæ conueniunt separatę; igitur separata anima nullum habet actum scientiæ in præsenti vita acquisitæ.

Ad primum. Respondemus, Arist. eo loci, sermonem habere de reminiscētia ad partem spectante sensitiuam, non autem de memoria ad intellectũ pertinente, quam separata in anima asserimus inueniri.

Ad secundum. Sequelam inficiamur, quoniam diuersus intelligendi modus, nequaquam ex specierum intelligibiliũ diuersitate, seu ex maiori vel minori ipsarum efficacia prouenit, verum ex diuerso animæ intelligentis statu.

Ad tertium. Asserimus Arist. sententiam esse de similitudine inter habitum suosque actus quò ad speciem, seu substantiam habitus, & actuum, intelligendam, non autem quò ad modum. Actus enim per quos habitus acquiritur, sunt


similes actibus quos ipsi habitus causant, quantú ad speciem actus, non autem, quò ad modum agendi, sicut iusta operari non dilectabiliter, iustitiæ politicę habitum causant per quem summa operamur delectationę.

Distantiam localem, minimè animæ separatæ cognitionem impedire secundum Aristot. principia. Cap. 40.

Ex natura, etiam specierum in anima separata impressarum colligitur, localem distantiam nequaquã animæ separatæ cognitionem impedire; quapropter pro hac conclusione, ex dictis in cap. 9. & 11. talis formatur ratio. Anima separata, per influxum specierum à diuino lumine, singularia intelligit; sed diuinum hoc lumen tam secundum se, quàm diffusum in alia per species, non magis propinquum quam distans respicit, cum supra omnem locum sit; igitur localis distantia, animæ separatæ non impedit cognitionem.

Contra hanc determinationem tale argumentum; Sicut aliquis secundum locum distat, ita etiam secundum tempus; at temporis distantia animæ separatę cognitionem impedit, cum futura minimè cognoscat; igitur etiam distantia secundum locum animę separatæ cognitionem impedire videtur.

Respondetur negando consecutionem, & negationis ratio est, quoniam futura quæ secundum tempus distant, non sunt entia in actu; inde sequitur, non esse in se cognoscibilia, cum vnumquodque, sicut ab entitate ita etiam à cognoscibilitate deficiat. Ea autem quę secundum locum sunt distantia, entia in actu sunt, & hac de causa, secundum se cognoscibilia sunt, qua de re distantia secundum tempus cognitionem impedit, non autem distantia secundum locum.



DE CORPORIBVS COELESTIBVS AD MENTEM ARITOTELIS.

Septem præmittuntur fundamenta aliquo pacto naturam cæli explicantia. *Cap.* 41.

EX aīæ humanæ cōsideratione, ad naturā cęli explicādā, ascēdendū est, cū post hoīs naturæ cōsiderationē natura cæli sequatur; & primo oīum, explicādū est substantiā cęli, esse ex materia & forma cōpositā; & pro huius explicatione quattuor præcipuè agēda sunt. Primò, in cōi natura cęli explicāda est. Secūdò, ostēdēdū est, Auerr. in hac difficultate fuisse sibi inconstantē. Tertiò, ostēdendū est ad mentē Arist. cęlū esse cōpositum ex forma & materia cōpositi parte; Quartò, quædam argumenta diluenda sunt.

Quoad primū septē fundamenta ponenda sunt, aliquo pacto naturā cęli nobis explicantia, & quæstionis terminos dilucidantia.

Primò. Cōsiderandū est nos cęli noīe, seu substātiæ cęli, intelligere cęleste corpus sēsibile, et qđ motu circulari moueť

Secūdò Considerādū est, hoc corpus cęleste mobile circulari motu bifariā cōsiderari posse; altero modo, vt est ipsi intelligentiæ mouenti connexū; altero modo, vt mobile est, seclusa intelligentia, hac in quęstione secūdo sumitur modo, non aūt primo, nūc n mobile cęleste per se solum consideramus, & quęrimus an in isto corpore materia sit.

Tertiò. Sciēdū est, formā cęlestis corporis verè, & propriè informātē ipsum posse esse animā, & nō aīam, sed substantialē formā sic simpliciter; nā si est verè, & propriè aīatum aīa informante: tunc eius forma est aīa intellectiua ex consequenti, eius forma est aīa; si aūt non est verè, & propriè aīatū, anima informante, seu dante esse, sed solūmodo aīa mouente; tunc eius forma non erit aīa, sed forma substantialis simpliciter. Hac in quæstione disiunctiuā supponimus; supponimus inq̃, formā cęli dari, siue sit anima, siue nō, sed forma simplex substātialis; & quærimus, an ista forma substātialis ī materia sit tanq̃ ī subiecto, an nō?

Quartò. Cōsiderandū est, nos p̄ materiā cōpositi partē intelligere purā potentiā ſm se nullū ex se actū habentē. Sēsus itaq; quæsiti est, an in cęlo quod est sensibile corpus, motu circulari mobile sit materia, quæ est pura potentia aliquem ex se actum minimè habens.

Quintò. Cōsiderandū est secundū Caiet. in p. q. 66 ar. 2. purā potētiā in duplici esse discrimine, altera est purè receptiua, quæ scilicet nulla media passione suam recipit substantialē formam, hæcque potētia solet vocari potentia ad esse quod iā habet, & potentia ad esse coniūctum, nec non potentia haud priuationi coniuncta. Et hoc pacto subiectū qđcunque substantiale propriarū passionū receptiua potentia dici potest. Altera est potentia receptiua, sed non purè; sed etiam passiua simul, quoniam mediante agentis actione formam recipit; & ista vocatur potentia etiam ad esse, quod nōdum habet, & potentia ad esse remotū, & potentia priuationi coniuncta. Hanc que distinctionem prius tradidit Capreolus secundò, sent. distin. 12. q. prima ad secundam cōtra primam conclunem, quem alij Thomistæ sequuntur.

Sexto. Cōsiderandū est inter purā potentiā, quæ est purè receptiua, & pura si potentiā, quæ est receptiua, & passiuam mul maximum esse discrimen, quia potentia receptiua & passiua simul

est

est contradictionis potẽtia ad esse, & nõ esse; ac per hoc talem habens potentiam corruptibile est; hæcque pura potentia nequaquã in cęlo est. Potentia autẽ, quę est purè receptiua haud est contradictionis potẽtia, ideo talẽ habens potentiam minimè corruptibile est, & in cęlo hanc ponimus materiam, & de ista materia intelligimus conclusionem inferius asserendam.

Septimò Cõsiderandum est secundũ Arist. potentiam purè receptiuam non dici propriè potentiam, eo quoniã apud ipsum aliqua potentia non vocatur potentia, nisi vt potentia, potentia autẽ nõ est potentia, qñ sub actu est; potentia autem pure receptiua sub actu semper est, ac ideo nunquam vt sic potentiæ rationem habet. Et hac de causa, quia apud ipsum propriè potentia est potentia receptiua & passiua simul, quæ semper vt sic, est contradictionis potentia, dixit Arist. nono Met. tex. 17 omnem potentiã esse contradictionis potẽtiam. Quod autem apud Arist. potentia purè receptiua non dicatur potentia; clarè patet ex tex. nunc allegato, vbi expresfè assent, cœlũ non esse in potentia ad motum, sed solum ad hoc, vel illud vbi; vnde ista verba scribit; *Neque vtique motus, si quis est sempiternus, nec si quid motum sempiternum, non est secundum potentiam, motũ, nisi vnum quo huius, aut materiam, nihil prohibet existere.* Ecce Arist. expresfè affirmantem, mobile sempiternum nõ esse in potentia ad motum, & tamen constat, sempiternum mobile motum in se recipere, ex cõsequenti compertum est, sempiternum mobile esse potẽtiam motus purè receptiuam. Qua de re apud Arist. potentia purè receptiua, potentia absolutè minimè vocitatur, licet potentia pura, & purè receptiua dici possit. Hæcque potentia pura in cęlo, à nobis, ponẽda est.



Inconstantia Auerrois circa materiam cœli explicatur.

Cap. 42.

QVo ad secũdum duo agenda sunt, primo ostendendum est, Auerr. sustinuisse in cęlo esse materiam compositi partem, secundo ostendendum est, partem sustinuisse negatiuam.

Quoad primum multis ostẽditur auctoritatibus pars affirmatiuá. Et prima in lib. de substãtia orbis Cap. 2 affirmat solam materiam, quæ est corruptionis principium, & quæ est in potentia ad esse & non esse, & quæ priuationi coniuncta est, in cęlo nõ esse; attamẽ docet materiam, quę est pura potentia, semper tamen actui coniunctã, nec ad plures formas indifferens; esse in cęlo.

Secunda, septimo Met. Comm. 8. exponens Arist. asserere rem materiam secũdum se non esse quid nec quale, nec quantum &c. sed potentia ista in potentia, scribit quæque verba ex quibus clarè colligitur, in cęlo esse materiam compositi partem quæ ex se pura potẽtia est. Primum dictũ tale est. Materia est causa indiuidui substantiæ sensibilis, quia si abstraxerimus intellectu ea quæ præter materiam sunt, ex rebus abstractis, nihil remanebit, nisi materia, scilicet quoniã materia nõ aufertur, per eorum ablationem, & illa per materiæ ablationẽ auferuntur. Ex quo dicto colligitur, materiam quæ purè est potentia esse indiuidui substantię sensibilis principium, sed cęlum (vt sensu patet) est sensibilis substantiæ indiuiduum: ergo cœlum habet materiam ipsum indiuiduantem.

Secundum dictum est. Cum longitudo, latitudo, & profundum fuerint abstracta à corporibus quæ in eorum diffinitionibus accipiuntur ex corpore non remanebit nisi illud, quod à lõgitudine latitudine; & profundo distinguitur, & hoc est materia. Ex quo verbo expresfè habetur; vbicũque est longitudo, latitudo, & profundum, ibi etiam materiam reperi-

rēpetiri : tunc subsumitur minor sensu nota At in cęlo est ista trina dimensio: ergo in cęlo est materia &c.

Tertium dictum est. Materia est substātia propter hoc, quod ablatis aliis nō aufertur, & ipsa ablata auferuntur alia; ex quo habetur hoc assertum, vbicumq; sunt sensibilia accidentia, ibi etiam adest materia: tunc sic, At in cœlo (vt sensu patet) sensibilia accidentia sunt: ergo in cœlo est materia.

Quartum dictum. Corpus est substātia, & nihil aliud est quàm tres dimēsiones in materia, & quia demensiones nō sunt substātia, remanet, quod corpus sit substantia per materiam. Ex quo verbo hæc habetur propositio; Omne corpus est compositum ex forma & materia q̄ est purè potentia; sed notissimum est, cęlum esse corpus: ergo est compositū ex materia & forma.

Quintum dictū est. Intelligo per materiam illud, quod existit per se, quod nō est quale, nec quātum, nec aliud entium prædicamentorum, quoniā est in potentia ista omnia, scilicet decē prædicamenta, vt declaratum est in physicis, ipsam scilicet esse subiectum decem prædicamētorū, & quod suum esse est aliud ab esse cuiuslibet istorum. Prædicamēta n. accidentium dicuntur de prædicamento substantiæ, & prædicamentum substātiæ dicitur de hoc quod est materia. Ex quo verbo hęc colligitur assertio. Vbicū que sunt prędicamenta aliqua, ibi est materia; tunc subsumitur propositio sensu manifesta; At in cęlo sunt prędicamenta quantitatis, qualitatis, vbi, & quædam alia : ergo in cœlo est materia; hæc sint quò ad partem affirmantem.

Quò ad partem negantem. Hac pars octo ostenditur auctoritatibus.

Prima auctoritas est Primo cęli cōm. 5. vbi inquit si corpus cęleste est compositum ex materia & forma, accidit esse generabile, & corruptibile. Ista auctoritas est omnium fortissima pro hac parte.

Secunda primo cęli comm. 10. Bene apparet, quod corpus cęleste non est cōpositum ex materia & forma, sed est simplex.

Tertia primo cęli comm. 95. affirmat quod corpus cœleste non est materia aliquā habens formam, quoniā si ita esset, tunc esset graue & leue.

Quarta. Secundo cœli comm. quarto, si cœlum esset compositum ex materia & forma, esset generabile, & corruptibile.

Quinta. Secūdo cęli com. 41. sic ait; si corpora cęlestia essent eadem genere, & plura specie essēt composita ex materia & forma diuersa, & si ita esset, essent generabilia & corruptibilia.

Sexta. octauo Met. comm. 12. quæ talis est. Materia in rei veritate cuius esse est in potentia non inuenitur nisi in substantijs generabilibus, & corruptibilib. substātiæ verò æternæ, quia in eis nō est potentia ad corruptionem, nec est in eis materia, sed materia eorum est aliquid existēs actu, scilicet corpus; ideo dignius habēt hoc nomē, subiectum, quàm hoc nomen, materia, ex quo habetur cęlum esse ens actu sine materia.

Septima. Desumitur ex eodem commento vbi ita scribit, istæ substātiæ cęlestes non habent materiam, quia scilicet non sunt compositæ ex materia & forma; sed ex corpore & forma animata intelligibili.

Octaua. Nono Met. com. 17. docet, quòd in corporibus scilicet æternis, non est potentia ad corruptionem, ergo nec ad fatigationem.

Ex quibus cōstantissime apparet Com. tenuisse cœlū esse corpus simplex, haud materiam habens compositū partem; vnde Paulus Soncinas 12 mett. q. 7. perperam asserit Com. tenuisse cęlum esse ex materia & forma compositum, nulloq; modo esse simplex corpus, sine materia; nam licet sustinuerit cęlum ex forma & materia, compositum esse, tamen etiam voluit nō esse compositum; sed esse simplex corpus, suæque citatæ auctoritates magis apertę sunt quæ cœlum esse simplex corpus affirmant, quam illæ, quæ astruunt oppositum, & ipse vt verus D.

Thomæ

Thomæ sectator incũbebat magis affirmare Com. sustinuisse cęlũ esse simplex corpus; cum ipse D. Tho. 1. p. q. 66. art. 2. constantissime affirmet Comm. hanc sustinuisse partem.

Cælum ex forma & materia compositi parte esse compositum demonstratur ad mentem Aristot. Cap. 43.

QVoad tertium principale, demonstrandum est duabus præcipuè auctoritatibus Arist. Cęlum esse compositum ex & forma materia parte compositi, quarum prima desumitur ex primo de cœlo tex. 92. & 93. vbi duo facit. Nã primo tex. 92. probat, plures cęlos esse, posse: Secũdo in tex. 93 quandam adductam rationem soluit, itaq; hunc in modum arguit Arist. secũdum Comm. omne sensibile, ex materia & forma compositum est; at cęlum est sensibile: ergo cęlum est compositum ex materia & forma: tunc alia subsumitur propositio; sed omne ex materia & forma compositum, est in plura, eiusdem speciei indiuidua multiplicabile; ergo cęlum multiplicabile est. Arist. in tex. 93. dando responsum totum primum concedit syllogismum, affirmans omnes illas propositiones veritate gaudere, verum illam glosat subsumptam, scilicet omne ex materia & forma compositum est in plura multiplicabile, astruens esse intelligendam, quandò illud compositum ex tota sua materia minimè constat; modo aũt cœlum ex tota sua constat materia. Ecce Arist. affirmare verum esse, cęlum ex materia & forma compositum esse; Vbi autem est materiæ, & formę compositio, ibi materia est pars compositi; formamque substantialem respicit, sicut propria potentia receptiua proprium actum substantialem.

Ex hac litera compertissimum est, vanam esse Ianduni responsionem asserentis, in cęlo esse solam materiam ad vbi, non autem ad formam substantialem; quandoquidem responsio hęc, immediatè contra Arist. textum militat. Deinde si Arist. in cęlo solum materiam ad vbi poneret, cum materia ad vbi sit (secundum ipsum Iandunum, Commentatorem sequentem) substãtialis forma simplex; tunc in cęlo duæ erunt substantiales formæ; vna quæ est materia, alia autem est forma, & sic cœlum ex duabus formis substantialibus, absque materia compositũ esset, vna, quæ formæ rationem haberet, alia, materię rationem, quod est ridiculũ. Deinde in illa ratione prima, tanquã vera ab Arist. concessa, æquiuocatio est; nã maior illius primi syllogismi, scilicet oẽ sensibile est ex materia, & forma compositum, aut intelligitur de materia, quę purè est potentia, & est potentia substãtialis formæ receptiua, aut de materia, q̃ secundum ipsum est forma simplex. Si primo modo in illa propositione & cõclusione æquiuocatio est: quoniam conclusio secũdũ te, de materia secũdo mõ intelligitur. Si autem in maiori sermo est de materia secundo modo, omnino falsa est, omnes secundum philosophos, & etiam secundum te, quoniam ista sensibilia inferiora, ex materia secundo modo, haud composita sunt, sed ex materia primo modo.

Secundo ad hanc rationem respõdet Auerr. contestans, dum Arist. cęlum ex materia & forma compositum esse, cœli nomine totum compositum ex corpore cęlesti, & sua intelligentia intelligit, & tunc cęleste corpus rationem habet materiæ, intelligentia autem formæ.

Verum illa responsio nulla est, qm̃ celeste corpus sumẽdo illud semota intelligẽtia, adhuc sẽsibile est, idcirco si assumptæ propositiones, ab ipsoquemet Arist. concessę, veræ sunt, & pręcipue prima, scilicet omne sensibile ex materia, & forma compositum est: tunc ratio concludit de cœlo, semota intelligentia; ita minorem subsumendo: sed cœlum, semota intelligentia, est sensibile: ergo semota intelligentia, cœlum ex materia & forma compositum est.

Tertiò fortè Iandunus respondere pos-

posset, Arist. cęli nomine minimè intelligere corpus cęleste, quod motu circulari mouetur, sed mundum, vt exponit D. Tho. tertia particula lectionis 19. primi de cęlo, modo autem mundus est quidē ex materia & forma compositus, non autem cœleste corpus.

Sed contra hanc responsionem trifariam instatur. Primò secundum ipsummet Comment. prædictum textum interpretantem, cęli nomine illa in cōclusione, primi syllogismi verum esse de omnibus mundi partibus, & præcipuè de cęlesti corpore, vnde Cōmentator. Cō. 92. ita scribit; Quia cęlum est sensibile, & vna partium mundi necessario componitur ex materia & forma. Ecce Comētatorem loqui, de cęlo, vt contra alias mundi partes, distinguitur, hoc autem est cœleste corpus circulariter motum.

Secundo ita instatur; si adducta ratio probat mundum esse verè ex materia parte compositi compositum, probat etiam de cęlesti corpore, quoniam illius medium demonstrationis est esse sensibile, ita arguendo: omne sensibile est cōpositum ex materia compositi parte; at cœleste corpus est sensibile, ergo &c.

Tertiò dicitur ad D. Tho. verum esse Arist. nomine cœli, totum mundum primario intelligere, at in mundi nomine, cœleste corpus intelligitur tanquam primaria mundi pars, quam partem vult esse ex materia & forma compositam quē admodum & aliæ omnes mundi partes.

Secunda auctoritas desumitur ex septimo met. tex 8. quæ est ista. *Dico autē materiam quæ secundum se nullatenus est neque quid, neque quantitas, neque aliud aliquid dicitur quibus ens est determinatum; est enim quoddam, de quo prædicatur horum quodlibet, cui esse est alterum, & cathegoriarū vnicuique, alia namque de substantia prædicantur, hæc uerò de materia.* hæc Aristot. Quibus ex verbis etiam secundum Auerroim expositionem, colligitur omnia accidentia sensibilia, quæ sunt in prædicamento præcipuè ex illo verbo *alia namque*, scilicet, accidentia sensibilia, prædicamentalia *de substātia prędicantur, hæc verò de materia* supponere ipsam materiam primam, ex consequenti vbicumque est quantitas, ibi est materia etiam secundum Com. at nulli dubium est in cœlo esse sensibilia accidētia, & præcipuè quantitatē: igitur in cęlo est materia compositi pars secundum apertam Arist. mentem.

Ad hanc auctoritatem Iandunus loco citato respondere solet, in Arist. doctrina duplex materia datur, altera quæ est in potentia ad substantialem formā, & illa non est aliquid in actu, quia neq; quid, neque quale est, &c. sed est in pura potentia receptiua, & de ista loquitur Arist. 7. meth. & ista nequaquam in cœlo est: altera est materia in potentia ad vbi, & istam vocat Arist. materiam vnde, & quo, estque in potentia ad terminos localis motus, vt ly vnde, terminū à quo denotat, et ly, quo terminū ad quē, & ista materia in cęlo est. At clarissimum est, hanc de materia distinctionem, nostram nullo pacto destruere sentētiam; imò magis cōfirmare, quoniā ipse Iandunus admittit, Arist. sermonem habere in 7. meth. tex. citato de prima materia; quoniam nostra ratio in prima propositione, quæ est Arist. auctoritas, etiam secundum Ianduni expositionē, concedētis Arist. loqui illo in textu de materia prima, & ita nos loquimur & intelligimus. hæc de tertio principali.

Dilutio quinque argumentorum contra supradictam veritatem. Cap. 44.

QVoad quartum contra hanc veritatē, (vt videre est apud Caprçol. Secūdo sent. dist. duodecima, q. 1. & apud Caiet. 1. p. q 66 ar. 2.) arguūt Durandus, Scotus, Aureolus, Godofredus, Anton. Andreas, & Iandunus multis argumentis quæ omnia ad quinque reducuntur quo-

quorum primum tale est,(quod in via Arist. (certissimū existimant) Pura potentia, quę est compositi pars, est secundum se ad esse & non esse, ex consequenti, omnis pura potentia est contradictionis potentia; sed per Arist. 9. met. tex. 17. in cęlo non est cōtradictionis potentia; ergo in cælo non est pura potentia, quæ est compositi pars.

Huic argumento sex damus reponsa. Primum vt assertum fuit in conclusionis explanatione, duplex est pura potentia, altera purè receptiua tantum; altera receptiua & passiua. Si prima ꝓpositio de potentia purè receptiua solum intelligatur, ipsa propositio negatur, vt in expositione terminorum cōtrouersiæ fuit assertum; talis enim potentia purè receptiua est ad esse determinata, & ita non est in potentia ad non esse; Et si contra hanc doctrinam talis fiat instantia, omnis potentia secūdum se ad actū, & actus negationem indifferés est; imò quod magis vrget, prius natura actus negationem habet, eo quoniam secūdum Arist. sexto Metth. ca. 2. secundum se negationem habet: ergo omnis potentia, etiam purè receptiua est in potentia ad esse, & non esse, ac per hoc est in potentia contradictionis. Respondemus, si antecedens negatiuè hoc pacto fiat; potentia non ex se habet actum; conceditur tā quam verum; hocque modo intelligendus est Arist. sed postmodum negatur cōsecutio, quia sensus illius consequētis est, potentia ex se habet nō actum, quod falsum est. Idem enim dictu est, potentia habet ex se actum & non actum; & potētia est ex se ad esse & nō esse; quæ ambæ propositiones istæ significant contradictionis potentiam, & absolutè vniuersaliter falsæ sunt; & ideo licet ista negatiua potentia non ex se habet actum; sit vera, non tamen licet inferre affirmatiuam de negato ꝑdicato, scilicet ergo potentia habet ex se non actum. Si autem antecedens stet affirmatiuè: videlicet omnis potentia est ad actum & non actum indifferens; hoc est, omnis potentia habet ex se actum & non actum, hoc antecedens negatur, quoniam datur quædam potētia passiua, vt est materia rerum ingenerabilium, & sempiternorum, quæ sibi talem vendicat actum, vt non possit habere oppositum; neque vllum aliū.

Secundum responsum. Datur duplex pura potentia, quæ de se compositi pars est, altera, quæ est potentia ad esse, quod iam habet, seu potentia ad esse coniuncta, altera potentia ad esse quod nō dum habet, seù potentia ab esse remota. Si prima propositio in primo sensu intelligatur, ipsa absolutè, & intrepidè negatur; quoniā talis potentia (vt assertum fuit) ad esse determinata est, si autem ista ꝓpositio in secundo sensu intelligatur, totum conceditur argumentum quoniam in cęlo, vt ex declaratis patet, talem nequaquam ponimus potentiam.

Tertium responsum. Passiua potentia in duplici discrimine est; altera est priuationi coniuncta; altera priuationi minimè cōiuncta. Si prima propositio de potentia priuationi cōiuncta intelligatur, omnes cōceduntur propositiones, totumque admittitur argumentum, vt potè nihil cōtra nos concludés. Si autem prima propositio intelligatur de potētia haud priuationi substantiali coniuncta, (qualem in cœlo ponimus) illam inficiamur.

Quartum responsum; Datur duplex non esse, & priuatio; altera est priuatio simpliciter, seù non esse simpliciter, qđ est non esse substantiale, & priuatio substantialis, seu formæ substantialis; altera est priuatio secundum quid, seu non esse secundum quid, quod est non esse accidentale, seù formæ accidentalis priuatio. Tūc dicitur ad primam propositionem, ipsam esse veram de esse, & non esse; seù de priuatione simpliciter, vel secundum quid, hoc pacto. Vbicunque est potentia, ibi est priuatio substantialis formæ vel accidentalis, & ad illam verificandam altera pars disiunctiuè sufficit. Nam in generabilibus est potētia cōtradictionis. seù potentia ad esse, & non esse simpliciter, seù formę substantialis. In sempiternis autem compositis est po-

tentia

tentia ad esse & non esse, seu potentia contradictionis secundum quid, seu respectu formæ accidentalis.

Quintum responsum. Illa prima propositio omnis potentia est contradictio eis potentia, vel omnis potentia est ad esse, & non esse: duobus modis intelligi potest; altero modo, vt subiectum sibi védicet prædicatum, vt sensus sit: Vbicunque est potentia, ibi est contradictionis potentia ad esse, & non esse; & tunc nó est vera nisi de contradictionis potentia ad esse & non esse, vel simpliciter, vel secundum quid, vt in quarto responso explicatum fuit, altero vt prædicatum sibi vendicet subiectum, vt sensus sit; Vbicũque est contradictio ad esse, & non esse substantiale, ibi est potétia, quæ compositi pars est, & sic vera est, necnó omnes aliæ sibi similes verę sunt, sed post modum, non valet: ergo vbi est potétia, quę est compositi pars, ibi est contradictionis potentia: quoniam tunc subiectum sibi vendicaret prædicatum.

Sextum responsum. Quando Arist. 9. met. contestatur, omnem potentiam esse contradictionis potentiam, necnon, quãdo affirmat, oém potentiã esse ad esse, & non esse, huiuscemodi propositiones verę sunt formaliter, de potentia vt potentia, quæ apud Aristotelẽ, (vt explicauimus in cóclusionis expositione) nó est nisi potentia, quæ ab actu remota est; potentia autem sub actu, non propriè ab Arist. potentia appellatur.

Secundum argumentum. Materia est per quam res potest esse, & non esse, & materia primo physicorũ est principiũ vnum subiecto, & duo secundum rationem, propter priuationem coniunctam: ergo omne materiam habens corruptibile est.

Huic argumento satis fit quarto, & quinto responso ad primum, hoc modo. Materia est per quam res potest esse & non esse, vel simpliciter, vel secundum quid, & materia coniunctam habet priuationem, vel simpliciter, vel secũdum quid. Secũdo affirmamus istis in propositionibus prædicatum sibi subiectum vendicare, non autẽ subiectum sibi vendicare prædicatum. Omnes huiuscemodi responsiones fuerunt collectæ ex Illustrissimi Caietani doctrina loco citato.

Tertium argumentum. Omne compositum ex materia & forma corruptibile est; sed cęlum non est corruptibile: ergo &c.

Respõdetur, & primò inficiamur maiorem absolutè, & vniuersaliter. Secundò dicimus, maiorem esse intelligendã de corruptione vel substantiali, vel accidentali; cęlum autem est corruptibile accidentaliter; hoc est secundum diuersa vbi. Tertiò affirmamus, prędicatum sibi vendicare subiectum, & nó è conuerso. Quartò astruimus duplicem dari materiam, alterã actui coeuam, alteram nó suo coeuã actui; prima propositio vera est de materia non actui coeua: materia autem cœli suo actui coeua est.

Quartum argumentum est Comm. primo cęli Comen. 10. quem sequuntur Aureolus apud Caprçolum loco citato Quinto argumento contra primam cóclusionem, & Iandunus 8 Met q. 7. hũc in modum, arguentes. Omnes formæ q̃ in materia sunt, contrariæ sunt; ex cósequenti mutuo se expellunt: ergo omne compositum ex materia & forma corruptibile est. Probatur assumptum. Si aliqua datur materia, quæ contrarias formas minimè suscipere possit, neque suscipiat, tunc illa materia non erit generationis, & corruptionis subiectum: igitur illa materia nequaquam propriam habebit operationem, ac per hoc ociosa erit; vltima consequentia ita probatur. Propria operatio, propriusque finis materię est generatio, sicut abscissio est finis & propria operatio cultelli; vnde sicut cultellus ociosus esset nisi esset abscissio, ita materia esset ociosa, nisi generationis subiectum esset.

Respondemus, inficiando assumptũ; & ad probationem, vltimam negamus consequentiam, & ad probationem, negamus generationẽ esse finem, propriãque materiæ operationem: quandoquidem

dem propria materię operatio, suo in genere est formæ subijci, & esse formæ subiectum est eius primarius finis; vt docet Caprçol. 2. sen. d. 12 q. 1. ad quintũ Aureoli contra primam conclusionem.

Quintum. Motus circularis formam sequitur, sicut motus sursum leuis formam sequitur sed per nos, cœlum ex materia & forma compositum est: ergo motus circularis cęli formam cęli sequitur: ergo cęlum haud intelligentia indiget, ad hoc, vt moueatur; conclusio falsa: ergo altera præmissarum; non maior, quia videtur esse Arist. ergo minor, quę est nostra positio.

Respondemus, & inficiamur absolutè maiorem, qm̃ non eodem modo circularis motus, cęli sequitur formã, sicut motus sursum, sequitur leuis formam, eo quia motus sursum, est motus purè naturalis, motus autem cęli est motus animalis, vnde Arist. 8. physicorum, docuit, motum primum esse in vniuerso, sicut motus cordis in animali; & ideo sicut cordis forma ad cordis motum concurrit, medio modo inter purè passiuũ, & purè actiuum, ita cęli forma est principium, medio modo se habens inter purè passiuum, & actiuum Et sicut anima ad cordis formam haud superflua est, ita intelligentia, respectu formæ cęli, minimè superflua est; & sicut cordis forma in coniunctione ad animam & naturale principium motus cordis, ita cęli forma in coniunctione ad animam, seù intelligentiam est motus circularis, naturale principium.

Natura materiæ, necnon octo fundamenta explicantur secundum Aristotelis doctrinam. Cap. 45.

NVnc quærendum est, an sit vna corporum corruptibilium, & incorruptibilium prima materia, & circa hanc difficultatem quattuor peragenda sunt. Primò, aperiendus est quęstionis sensus, nouem præponendo fundamenta: Secundò, Arist. sententia explicanda est, Tertiò, supposito horum inferiorum materiam à materia cęli distingui, declarãdum est per quid distinguatur; Quartò obiectis Egidij, aliorumq; aduersariorum satisfaciendum est

Quoad primùm. Pro explicatione naturę materiæ, sensusque quęstionis octo iacienda sunt fundamenta.

Primum fundamentum declarans materiæ naturam, ex qua declaratione tota huius difficultatis explicatio colligẽda est. Materia vt docet Arist. septimo met. tex. 8. quem sequitur D. Thom. 1. p. q. 66. ar. 2. & Caietanus eo loci est pura potentia, & non est aliquod ens actu & ideo est potentia solum substantialis ad formam. Et hæc est ipsius materię natura; vnde ait Arist. *Dico autem materiã quæ secundum se nec quid, nec quantitas, nec aliud aliquid dicitur, quibus est ens determinatum*, & D. Tho. ita dicit, materia secundum id quod est [illegible] formam in potentia est; ex quibus patet, primæ diffinitionem materiæ hanc esse. Materia est potentia substantialis ad formam.

Secundum fundamentum. Necesse est, vt substantialis potentia materię per se primo aliquam vnam respiciat formam, quæ sit vna, aut secundum genus, aut secundum speciem; per quam formã ipsa potentia substantialis materiæ diffinienda sit. & ratio est, quia potentiæ distinguuntur, & diffiniuntur per actus: vt docet Arist. secundò de anima textu 33. & 9. met. tex. 11. actus autem, non qcunque, sed adæquatus, & quem per se primo respicit potentia est ille, qui diffinit, distinguitque potentiam vt apertè docet D. Tho. 1. p. q. 77. ar. 3. ex consequẽti necessarium est, omnem potentiam aliquem actum adæquatum respicere, seu formam aliquam adęquatam ipsam potentiam diffinientem; quæ forma sit vna, vel secundum genus, vel secundum speciem, singularia enim extra diffinitiuam autem relinquuntur.

Ter-

Tertium fundamentum. Duplex est discrimen, inter illam potentiam substãtialem, quę per se primò formam vnam secundũ genus respicit; & illã, quę formam vnam secundũ speciẽ respicit. Primum discrimen. Potentia, quę formã vnã secundum genus respicit, respicit ẽt plures formas secundum speciem distinctas; & ratio est, quia genus (vt oẽs philosophi affirmãt) habet sub se saltẽ duas species; potentia aũt quę formam vnam secundum speciem respicit, non per se plures respicit formas, nisi fortè per accidens, quia scilicet, illa species in vno minimè saluari potest, & ideo secundum numerum multiplicatur. Secundum discrimen ex primo deductum est. Potentia quæ formam vnam secundum genus respicit, habet necessario semper annexa priuationem, & ratio est, quoniam potẽtia, quę plures respicit formas, cũ vnam tantum habeat formam, adhuc est in potentia, ad aliam formam, idcirco priuatur illa, quã non habet, ex consequenti, annexam habet priuationẽ illius formæ non habitę, quam tamen est apta nata habere. Potentia verò ad vnam formam per se ₰m speciem, nullam habet annexã priuationem: & ratio est, quia priuatio dicit formæ negationem aptę natę haberi, modo autem potentia, quę solum vnã formã respicit, habendo illã, non est apta nata aliam habere, & ideo nullam habet priuationem annexam.

Quartum fundamentum. Quia potentię vnitatẽ distinctionem, & diffinitionem ab actibus habent, qualis erit actus, quem per se primò potentia respicit, talis erit potentia. Si actus adęquatus erit vnus secundum genus, potentia erit vna secũdum genus: si autem actus erit vnus secundum speciem, potentia erit vna secundum speciem, & si actus adęquatus, seu per se primò respiciens potentiam erit vnus secundum analogiam, potentia etiam secundum analogiam vna erit. Et hęc doctrina colligit ab Arist. & D. Th. locis citatis.

Ex quibus duo deducuntur corellaria. Primum est, Materia horum inferiorum est secundum genus vna; quia vnã secũdũ genus formã respicit, vt sunt oẽs horum inferiorum substantiales formę, & ideo plures formas specificas respicit: qua de re cum est sub vna forma secundum speciem, est sub alterius formę priuatione, & ita semper annexã habet priuationẽ: quapropter omnia ista inferiora ad inuicem generabilia sunt. Secundũ corellarium. Materia cęlestis corporis est vna solum secundum speciem, nõ autem secũdum genus; quoniam per se primò vnam tantum secũdum speciem respicit formã: quia si cœlestis corporis materia per se primò formam vnam secundum genus respiceret, tunc habẽdo vnam, in potentia ad aliam esset ex consequenti, illius haberet priuationem: & ideo cœlestia corpora, ab intrinseco generabilia, & corruptibilia ad inuicem essent, sicut & inferiora corpora; & ideo Solis materia, est solum in potentia ad formam Solis; & Lunę materia, ad formam lunę; alioquin, si materia Solis ad alterius cęlestis corporis formam, putà Lunæ, in potentia esset, tunc Sol, & Luna ad inuicem transmutabilia essent.

Quintum fundamentum. Ista controuersia, triplicem potest habere sensum. Primus, an materiã corporum inferiorum sit vna secundũ speciem. Secũdus, an sit vna secundum genus. Tertius, an sit vna secundum analogiam, & huic difficultati secundum omnes sensus respondendum est.

Sextum fundamẽtum. Genus bifariã sumi potest altero modo logicè, altero modo physicè genus logicũ, est quod de pluribus speciebus, abstrahẽdo ab ipsis rerum naturis vniuocè prędicatur: hocque genus solum intentiones, non autẽ res considerat; hocque modo corpus, & substantię vniuocè de substantia corruptibili, & incorruptibili, de corpore corruptibili, & incorruptibili prædicatur. Nã substantia & corpus, à rerum naturis abstrahendo, solumque nominum intentiones considerando, de substãtia, & corpore, corruptibilibus & incorruptibilibus prędicantur secundũ idem nomẽ

& secundum eandē rationē. Genus aūt physicū, vt docet Arist. 5. met. tex. 10. & D. Th. eo loci, & Caiet. 1. p. q. 66. ar. 2. in titulo; est quod de pluribus eandem materiam habentibus per diuersas formas distinctum prædicatur. Et quia semper differentiæ, & formæ specificæ materiā diuidentes ita se habent, vt vna sit altera perfectior, hinc sequitur constituta p differentias formasque specificas ita se habere, vt vnum semper sit altero perfectius; ex consequenti esse generis physici dicitur secundum prius & posterius, secundum prioritatem, & posterioritatem perfectionis, & hac de causa genus logicum physicè sumptum de suis inferioribus analogicè prædicatur; & ab Aristot. æquiuocū appellatur, vt patet 10. met. text. vltimo, qui respiciens esse reale seu physicum, & respuens rationis & conceptus generici vnitatem cōtestatus est, nihil esse cōe vniuocum corruptibili & incorruptibili. Et septimo met. textu 31. decantauit *iuxta genera æquiuocationes latere*. Ex quibus compertum est, genus physicè sumptum de suis inferioribus æquiuocè, seu analogicè prędicari. Et hanc doctrinam egregiè declarat Caiet. de nominum analogia, ca. primo, qua de re sola speciēs specialissima logica, cum prædicatur vniuocè, etiam physicè sumpta, erit genus physicum; quoniam necesse est, vtrumque genus vniuocè prædicari. Hac in controuersia nō sumimus genus logicum, sed physicum, & physicè loquimur.

Septimum fundamentum. Iuxta Aristo. doctrinam 7. met. tex. 10. & D. Tho. eo loci; genus physicum in duplici est differentia, alterum est genus remotū, & proximum alterum. Genus remotum de vltimis speciebus cum vnitatis additione, & in recto prædicatur, vt homo, & leo sunt vnum corpus, vel vna substantia; & ratio est quia homo & leo sub vna substantiæ differentia, videlicet sub corporea & sub vna corporis differentia scilicet sensitiua, cōtinentur. Genus autem proximum cum additione vnitatis, & in recto de suis minimè prædicatur speciebus, quoniam diuersas per differentias, suis in speciebus descendit, & ideo hæc est falsa homo & leo sunt vnum animal; prædicatur tamen in obliquo, & ideo hæc est vera homo & leo sunt vnū in animali. Et sicut duplex datur genus, quod prædicatur, scilicet remotum, & proximū, ita duplex materia datur, scilicet remota, generi remoto correspondens, & proxima generi proximo correspondens: Hac in cōtrouersia de vtroque genere, & materia agendum est.

Octauum fundamentum. Ratio specifica vnitatis materiæ primę constitutiua ista est, scilicet formam cum priuatione, vel sine priuatione recipere, & quoniam horum omnium inferiorum materia formam cum priuatione semper recipit, ideo est vna, vnitate specifica logicè, & vna vnitate generica physicè, licet diuersas distinctasq; genere formas recipiat: quoniam has omnes formas recipit sub ista ratione formali, scilicet, cum alterius priuatione. hæc de primo.

Sententia Arist. de materia cœli & corruptibilium explicatur. Cap. 46.

QVò ad secundum principale, trībus conclusionibus, ex Arist. doctrina collectis, præsenti respondetur difficultati, quarū prima hæc est. Materia cœlestium corporum, & inferiorum est vna vnitate analogiæ; quæ ita demonstratur ad mentem Arist. Vnū analogia sunt, quorum nomen est commune, & ratio est eadem secundum proportionis similitudinem, vt patet ex analogię proportionalitatis diffinitione tradita ab Arist. 4. met. in princ. & quinto met. cap. de vno tex. 12. & 7. meth. tex. 15. & in primo Ethic. cap. 7. vt egregiè tradit Caietanus de nominum analogia capi. 3. sed sicut se habet forma cœli suam ad potentiam, seu materiam, ita se habet suam ad materiam horum forma inferiorum: igitur cęlestium corporum

rum & inferiorum materia, est vna secundum analogiam, minor propositio huius demonstrationis compertissima est; sicut enim corporum cęlestium materia ab ipsorum forma actuatur, ita horum inferiorum materia ab eorũ actuatur forma; hanc cõclusionem docet etiã D.Tho.1.p.q.66.ar.2.

Secunda conclusio. Materia corporum cœlestium & inferiorum est vna vnitate generis logici, quæ ita probatur. Per Arist.5.met tex.10.sicut se habet logicum genus sua ad inferiora, ita se habet materia, à qua huiusce modi genus desumitur; sed corpus logicè sumptum est genus respectu corporum cœlestium, & inferiorum, vt abundè declaratum est fundamẽto 6.ex Arist. doctrina; ergo cœlestium & inferiorum materia, generis logici vnitate est vna. Hanc conclusionem pariter sequitur D.Tho. 1.p.q.66.ar.2.

Tertia conclusio. Materia cœli & horum inferiorum diuersi est physici generis, seu diuersæ speciei specialissimæ logicè.

Hęc conclusio est directè ipsi quæsito reponsiua, quæ duabus Arist. auctoritatibus, vnicaque ratione demonstratur.

Prima auctoritas est 8.met tex.12.vbi de omnium corporum etiam incorruptibilium materia, sermonem habẽs, ita scribit. *In naturalibus autem substantiis, & perpetuis est alia ratio.*

Secunda auctoritas desumitur ex 12. met.tex.10 vbi ita cõtestat. *Omnia verò, materiam habent, quæcunque transmutantur, sed aliam sempiternorum.*

Ratio hęc est. Quod secundum essentiam suã in pura est potentia ad aliquas formas, est secundum se in potentia ad omnes illas formas quibus est commune; hæc propositio colligitur ex doctrina Arist. primo physicorum text. 66. 69. & 81. sed materia prima vnitate generis physici vna per aduersarios, ad omnes formas tam corruptibiles, quam incorruptibiles communis est; igitur prima materia secundum physici generis vnitatem, ad omnes formas corruptibiles & incorruptibiles in potentia est; tunc vltra; sed communis materia & ad aliquas formas in potentia, dum vnam illarum habet remanet in potentia ad alias omnes, quibus communis est sub illa existens, & sub aliarum priuatione; igitur materia prima vna physici generis vnitate, formam habens corruptibilem, erit in potentia secundum sui naturam ad formam incorruptibilẽ; & quoniam omnis potentia naturalis ad actũ reducitur, hęc eadem materia formam incorruptibilem recipiet, & sic aliquod vnum & idem erit corruptibile, & incorruptibile; corruptibile quidem, dum formam habet corruptibilem, incorruptibile autem, dum incorruptibilẽ recipit formam; conclusio falsa, ergo altera pręmissarum non maior quoniam nota est tum ex terminis tum ex Arist. primo physicorum; ergo falsa est secunda propositio, quæ est positio aduersariorũ. Aliæ autem subsumptæ propositiones apertæ sunt. hęc quò ad secundam principale hanc conclusionem docet etiam Doctor sanctus loco citato.

Explicatur per quid materia superiorum distinguatur ab inferiorum materia. Cap. 47.

QVò ad tertium in quo explicandum venit, per quid istę duę materię, reipsa, ab inuicem semoueantur.

Dicimus itaque, secundum Aris. secũdo de anima, quem sequitur D. Th. 1.p. q.54.ar.3.& q.77.ar.3.& Caiet.ibi, istas duas materias reipsa ab inuicem suos per actus semoueri.

Pro huius elucidatione quatuor consideranda sunt ex doctrina Thomistarũ, & præcipuè Caiet. prima p.qu.66. art.2.

Primum considerandum est. Potentię sunt entitates medię inter entitates simpliciter absolutas, & entitates simpliciter respectiuas, qua de re, ipsę potentię secũdum suam essentiam, naturaliter actus respiciunt, ad actusque ordinantur, or-

dine non relatiuo de prędicamentalis relationis genere; sed ordine transcendenti; & tali pacto potentiæ respiciunt, ordinâturque ad actus, vt non possint ipsæ potentię intelligi, etiam per primam intellectus operationem, absquè actib. Et ratio est, vt docet D. Tho. locis citatis potentia inquantum potentia, ad actum ordinatur. Et quoniam potentia est entitas (vt iam assertum fuit) media inter rem totaliter absolutam, & totaliter respectiuam, & ideo potentia est res absoluta à termino, seu à corellatiuo, & hac de causa non est entitas totaliter relatiua; & est entitas non absoluta ab actu, & propter hanc rationem, non est entitas totaliter absoluta.

Secundò considerandum est, ex istis necessario sequi, actum poni in diffinitione potētię, vt additum, eo modo, quo vnum relatiuum in sui diffinitione correlatiui ponitur; quo circa actus in potētiæ diffinitione ponitur, non tanquam differentia ipsi potentiæ intrinseca, cum sit extrinsecus; neq; tanquàm causa omnino extrinseca; qm̄ causa omnino extrinseca nō necessario in sui effectus diffinitione ponitur, sed tāquam quoddam additum in diffinitione potētię necessario inclusum.

Tertiò considerandum est. Actus nō est differentia potentiæ, cum differentia sit in eo intrinsecè, cuius est differentia; actus autem à potentia extrinsecus est; est tamen actus, à quo differentia potentiæ intrinseca desumitur; & ideo differētia est ipsi potentiæ intrinseca, ab extrinseco tamē, scilicet, ab actu desumpta, qđ quidem fit hoc modo. Nam agens, quod potentias producit, producit potentias, actibus intētis proportionatas, idcirco tales producit potentias, quia actuum quidditates, tales exiguunt potentias, ex consequenti, potentiæ minimè ab ordine transcendenti, ad actus essentialiter abstrahunt.

Ex quibus omnibus colliguntur duo. Primum. Potentiæ per actus tanquàm per principium, & causam finalem distinguūtur, licet in genere causæ efficiētis actus sit potentiæ effectus, ipsaque posterior. Secundum. Potentiæ distinguūtur per actus à priori, non tanquam per differentias, neque tanquā per causas omnino extrinsecas, sed tanquàm per causas in ipsarum diffinitionibus necessario inclusas.

Quartò considerandum est, vt docet Caiet. prima parte, quæstio. sexagesimasexta, art. secundo. Principium distinctiuum potentiarum esse, commensuratio nem essentialem, seu substantialem potentiarum suos ad actus sibi adæquatos, quæ quidem commēsuratio, nihil aliud est realiter, & formaliter, nisi ipsa cuiuscunque potentiæ essentia.

Quapropter sicut potentia est propter actum, ita potentiarū distinctio est est propter suorum actuum distinctionem, vnde sicut actus adæquati seipsis diuersi sunt, ita proprię potentiæ istos ad actus adæquatos sunt per se intrinsecè diuersæ: in ordine tamen ad extrinsecum actum. Idcirco sicut differentiæ potentiarum constitutiuę sunt ipsis potentiis intrinsecę, ab extrinseco tamen desumptæ, vt dictum est; ita potentię sūt propriis essentiis distinctæ, in ordine tamen ab extrinseco.

Ex quibus omnibus, tria colligimus. Primò descendendo à potentijs absolutè ad puras potentias, quæ sunt duæ materiæ primæ, scilicet cœlestium, & inferiorum, colligimus istas duas potentias primas suos per actus substantiales adæquatos distingui à priori, in genere causæ finalis, tanquam per causas, non intrinsecas, neque omnino extrinsecas, sed necessario in earum diffinitionibus inclusas. Secundò colligimus, istas duas primas materias suas per commensurationes substantiales, suos ad actus adæquatos non absolutè cōsideratas, sed in transcendenti ordine, ad ipsosmet actus adæquatos intrinsecè semoueri.

Tertiò colligimus, istas materias seipsis, seù proprijs essentijs, nō absolutè, verum in ordine ad aliquod extrinsecū, scilicet in ordine ad ipsosmet actus, sibi

sibi adæquatos intrinsecè semoueri. hæc de tertio.

Quædam diluuntur argumenta contra supradictam veritatem. Cap. 48.

QVò ad quartũ, scilicet quò ad Ægidij, aliorumque aduersariorum argumenta, sustinentium cœlestium corporum, & inferiorum materiã esse vnam, vnitate physici generis.

Primum argumentum, est tale (& est Ægidij in tractatu de cæli materia, & secundo sententiarum dist. 12. cum sequẽtibus quatuor, ad quæ omnia penè argumẽta Durandi, & Aureoli reducũtur.) Actus est qui separat, & distinguit: iuxta Arist. 7. met. tex. 49. sed istæ materiæ primæ nullum secundum se actum habẽt; ergo &c.

Respondetur. Licet materiæ non habeant in se actus, respiciunt tñ ab intrinseco actus, per quos distinguuntur, vt declaratum est; & ideo ad argumentum, secunda negatur propositio absolutè; cum istæ duæ materiæ actus respiciant. Memoriæ tñ mandandum est, non quẽlibet actũ distinguere materiã, at solummodo adæquatum actũ, quẽ per se primò materia respicit, & qui in materiæ, seu puræ potentiæ diffinitione ponitur. Hancq; responsionẽ dant Capreolus 2. sent. d. 12. q. prima ad argumenta contra secundam conclusionem, & Caietanus 1. p. q. 66. arti. 2. quam omnes alij Thomistæ sequuntur. Secundò respõderi potest, iuxta D. Th. 1. p. q. 3. ar. 8. ad tertium asserentes, quæ sunt simplicia seipsis diuersa sunt, non autem aliquo differunt; modò perspicuum est, istas duas primas materias esse simplicia entia; ideoq; seipsis diuersæ sunt, auctoritas autem Aristo de illis, quæ propriè differunt, intelligitur, istæ autem materiæ non propriè differunt, verum propriè diuersæ sunt.

Secundum argumentum. Si sunt duæ primæ materiæ alterius rationis, ergo inter puram potentiam, & purum actum nequaquam maxima erit distãtia positiua; sed hoc impossibile videtur; consequutio probatur, quoniam duæ puræ primæ potentiæ, diuersarumque rationum, necesse est, vnam minus esse pfectam, & aliam magis perfectam; eo qa diuersæ sunt rationis, diuersæque perfectionis, ex cõsequenti necesse est, vnam magis quam aliam, à puro actu distare; ex consequenti illa quæ minus distat, nõ maximè distat; & cum pura sit potentia, consequutio valet, puram potentiam, ab actu puro, non maximè distare.

Respondetur concedendo consequutionem, & negando cõsequentis impossibilitatem; nam astruimus, vnam puram potentiam ab actu puro magis distare, quam aliam puram potentiam; nõ quia vna aliquid actualitatis magis includat, quam alia, eo quia ambæ minimè essent puræ potentiæ; sed quia vna ad actum adæquatum perfectiorem, quã alia ordinatur; & quæ imperfectiorem respicit actum, est minus perfecta, magisque ab actu puro distat, quocirca illa sola, quæ infimum respicit actum, à puro actu maximè distat, & est propè nihil. Hancque respõsionem dat Capreolus loco allegato ad secundum Ægidij contra secundam conclusionem quã sequuntur Caietanus, & alij Thomistæ.

Tertium argumentum. Materia prima est medium inter ens & nihil, adeo vt sua substãtialitas sit pũctalis, vt gradus in ea minimè reperiri possint; ergo non dantur duæ primæ materiæ; consequentia perspicua est; assumptum ita ostenditur. Si vna materia esset perfectior altera, putà cæli materia esset perfectior horum materia inferiorum, hoc esset, aut quia plus de entitate, quam alia haberet, aut quia plus quam alia deficeret. Non primo modo, quia tunc cæli materia haud esset materia, quia non esset quid medium, inter ens & nihil, sed esset mediũ inter ens, & horum materiã inferiorũ. Nec secundo, qa tunc

nō esset perfectior. Si autem materia horum inferiorū à cęli materia distaret, quà cęli materia defficit, tunc horū inferiorū materia esset infrà cęli materiā, & sic materia cęli non esset media, inter ens & nihil, vt nunc etiam deductum est.

Respondetur secūdum Capreoli sententiam loco citato; Illam propositionē assumptā, scilicet, materia prima est medium quid inter ens, & nihil, duob. modis intelligi posse, vno modo vt sumatur prima materia pro quodam analogo oī materiæ primæ cōi, & tunc illa ꝓpositio vera est, & totū cōceditur argm, & probat nostram primam cōclusionē; alio modo potest sumi illa propositio, vt sumatur materia prima ī speciali, putà pro cœli materia, & tunc negatur illa propositio: quandoquidem, materia cęli non est media inter ens & nihil, sed est media inter ens & horum materia inferiorum, non per alicuius actualitatis inclusionem, sed quia nobiliorem respicit actum.

Quartum argumentum. Negatio omnium formarum vnitatem materiæ ſm se constituit; sed omni forma remota, tā inferiori, quā cęlesti, omnis materia cū formarum omnium abnegatione reperitur: igitur omnis materia secundum se est vna negatiuè, & eo modo, quo dicimus, horum materiam inferiorum vnā esse.

Caietanus loco citato dat tale responsum: Prima propositio duob. modis intelligi potest, vnomodo absolutè, & hoc pacto falsa est, quoniam negatio vt sic, nihil constituit, cum ipsa nihil sit. Alio modo sic, omniū formarū negatio in subiecto aptonato, & ita vera est; at subiectū aptum natum non est physicè vnū sed multiplex, vel saltem duplex.

Quintum argumentum. Nullus theologorum vel phylosophorum duas posuit materias per essentias differentes, alteriusq; rationis, ergo &c.

Respondemus & inficiamur assumptum. Etenim nos supra ꝓbauimus, ad mentem Arist. duplicem materiam dari. Et primo cęli expressè cōtestatur Aristo. cœlum ex tota sua materia constare, adeo, vt nulla alia materia sit formę cęli capax. Ecce ergo ad Arist. mentem, materiam cęli alterius esse rationis: quia cęli materia alterius formæ minimè capax est, nisi illius, quam actu habet, materia autem inferiorū nō solum formæ, quam actu habet, verum ēt aliarum formarum rerum corruptibilium capax est.

Deinde arguūt Durandus, & Aureolus, apud Capręolum loco allegato, quorum argumenta patēt ex dictis, & ideo relinquuntur; & solū adducimus quintum Aureoli, quod est tale. Vbicunque Arist. materiam diffinit, affirmat, materiam esse puram potentiam, vnde septimo met. tex. 8. docet, materiam non esse quid, nec quale, nec quantum &c. Et infra asserit, materiam esse, per quam res potest esse & non esse. Et infra astruit, materiam non esse nisi potentiam: igit Arist. cęli materiam ignorauit, vel si nō, oportet vt materię cęlis diffinitio, quam dedit de materia, conueniat.

Respondemus, ad primam auctoritatem. Materiam secundum se puram esse potentiam, at sub forma minimè est pura potentia; sed est potentia sub actu; ad secundā propositionem responsum fuit ex dictis, in responsione ad primū præcedentis quæstionis Cap. 44. Vltimo asserimus, diffinitionem essentialem materię, cęli materiæ conuenire, quæ quidem diffinitio illa est. Materia est proprium, proximum, immediatumq; subiectum formę substantialis, & est subiectum mediatum, & remotum omnium formarum accidētalium corporearum, istaque diffinitio cęli materiæ competit.

Deinde arguit bifariam Scotus. primo ſm Arist. 2. met. non dantur duo primi fines, neque duo prima agentia, quia in causis efficiētibus, & finalibus, in infinitum minimè procedendum est, sed ad vnum primum agens, ad vnumq; primū finē, deueniendū est: ergo pari modo nō dantur duæ primæ materiæ.

Respondet Caietanus loco citato, & inficiatur consequentiam, quoniam nō

est

est eadē ratio de caussis intrinsecis, & extrinsecis, qñquidē intrinsecę causę rerū substātiam intrāt. Idcirco varias esse oportet, iuxta rerum varietates. Causæ autem extrinsecę rerum substantias minimè intrant, ideo iuxta rerum varietates nequaquam variantur.

Deinde sic arguit. Solis materiam dato, non esse in potētia ad aliam formam est tamē secundum se in potentia ad Solis formam, eiusque priuationem: ergo materia solis est in potentia cōtradictionis, cœlumque secundum se corruptibile est.

Respondet Caietanus. Negando materiam solis esse secundum se in potentia ad suæ formæ priuationem; cum potentia ad alicuius formæ priuationem, non sit respectu habitæ formæ, sed respectu formæ habendæ.

Vltimo loco quidam sic argumentantur. Arist. primo physicorum longa digressione ostendit materiā, formam, & priuationem esse omnium rerum naturalium principia; at corpora cęlestia sūt res naturales: ergo &c.

Respondemus, & consequentiam inficiamur, quoniam vniuocè non sunt eadem materia forma, & priuatio omniū rerum naturalium: sed solummodo analogicè; in qua analogia, formę cælestiū & inferiorum cōueniunt; vt in superioribus abundè explicatum est.

Materiam omnium corporum cælestium non eiusdem esse rationis, sicut materia omnium inferiorū eiusdem est rationis explicatur ad mentem Arist. Cap. 49.

HOc loci perdifficilis quæstio pertractanda est. Nùm omniū corporū cœlestium materia eiusdem sit rationis, sicut materia oīum inferiorū eiusdē rationis est. Circa quam difficultatem, quatuor agenda sunt. Primò, titulus q̄stionis explicandus, & aperiēdus est. Secundò, adducenda est quędam falsa opinio. Tertiò, vera opinio ponēda ē. Quartò, contrarijs respondendum est fundamentis.

Quoad primum. Sciendum est, nos admittere materiam omnium corporū cęlestiū esse eiusdem analogę rationis, & ideo de hac non sciscitamur; quapropter nunc de vnitate, vel diuersitate specifica, seù (quod idem est) de vnitate, vel diuersitate physica sermonē īstituimus; quo circa sensus quæsiti est, an materia vnius corporis cęlestis putà, Solis sit alia alietate specifica, vel alietate generis physici à lunæ materia, vel eiusdem sit speciei specialissimę, seù eiusdem generis physici: hæc de primo.

Quoad secundum, Capręolus 2. sen. d. 12. quæst. prima ad primum argumentū Durandi contra secundam conclusionē (quem sequuntur Paulus Soncinas 12. met. quæst. 10. & Iauellus 8. meth. q. 15.) sustinet, materiam omnium corporū cęlestium eiusdem esse rationis physicę, seu eiusdem generis physici. Et hanc opinionem sustinentes, tali suadent argumēto. Quemadmodum communis materiæ ratio quatenus potētia, ex eo desumitur, quia à forma actuari potest; pari passu distincta materiæ ratio ex eo desumetur, qm̄ à forma diuersimodè actuatur, & vnitas rōnis materiæ ex eo desumetur, quia eodem modo à forma actuatur. Stāte ista propositione ex terminis nota; alia subsumitur propositio: At omnium cęlestium corporum materia ab omnib. cęlestium corporum formis, eodē actuatur modo: ergo &c. Hanc secundam propositionem ita suadent, omnes corporū cęlestium formæ hoc actuant modo, videlicet, totam replendo suæ materiæ capacitatem, haud relinquendo priuationem, & potentialitatem in materia ad aliam formam. Et cōfirmatur, sicut, quia omnium materia inferiorum ab omnib. formis inferioribus eodem modo actuatur, videlicet non totam replendo ipsius materiæ capacitatem, & in ipsamet materia priuationem ad alias formas relinquendo: idcirco omnium materia inferiorum eiusdem est speciei specialissimę,

seu eiusdem physici generis; pari modo, omnium corporum cœlestium materia, quia eodem actuatur modo, (vt nunc fuit assertum) est eadem generis physici identitate. hæc quò ad secundum.

Quò ad tertium Caiet. 1.p.q.66.ar.2. oppositam sustinet partem, demonstrãs cęlestium corporum materiam diuersarum esse specierum, adeo vt tot sint primæ materiæ, seu genere physico materierum, quot sunt cœlestia corpora; & quoniam hęc opinio est magis veritati, & Arist. consona: idcirco ipsam sequimur, & tribus ipsam demonstramus rationibus: quarum prima est desumpta ex D.Tho. loco citato, qua demonstrat materiam corporum cęlestium non esse eiusdem rationis cum materia generabiliũ. & corruptibiliũ, & est hæc. Materia secũdũ se est in pura potentia ad formã; ergo materia secundum se est in potentia ad omnes formas, quibus est communis: igitur materia illarum vnam habendo, remanet in potentia sub priuatione ad omnes alias formas; hæc omnia docet Arist. primo physicorum tex.66.69. 80.& 81. Tunc vltra, sed per aduersarios vna est corporum cœlestium materia omnibus cõis: igitur ista materia cœlestibus corporibus cõis, vnam habẽdo formam, putà Solis formam, erit in potentia, & sub priuatione ad alias formas cœlestes, & ita corpora cœlestia intrinsecè corruptibilia erunt, quod est contra veritatem & Arist.

Ex his apparet, positionem Capręoli, & aliorum in doctrina Arist. & D.Th. nõ posse aliquo pacto sustineri, adeo vt ista duo implicent in doctrina Arist. & D.Tho. videlicet, vna & eadem est omnium corporum cęlestium materia, & quod dum est sub forma Solis, non sit sub priuatione, & in potentia ad lunæ formam.

Ad hanc rationem, Capręolus loco citato, dat duo responsa, & primò primã cõsequentiam inficiatur, qm̃ ait Capręolus. Materia cęli ad aliã formam nec sub priuatione ad aliã formã nequaq̃ in potẽtia est. Et ratio est (inquit) quia ad nullam formã est in potentia, nisi quæ per agens naturale introduci potest; cum ergo nulla forma per naturale agens in cęli materia introduci possit, hinc sequitur, materiã cęli nõ esse in potentia ad aliã formã, nec sub priuatione ad aliã. At ista consequentia est D.Th. loco citato, & hoc de mente Arist. vbi sic ait, in corpore. Materia enim secũdũ id quod est, est in potẽtia ad formã, oportet ergo q̃d materia secundũ se considerata sit in potentia ad formã oĩum illorũ, quorũ est cõis: quapropter cũ p ipsum Capręolũ, eiusque sectatores, vna materia sit oĩbus formis cęlestiũ corporũ cõis, necesse est, qñ est sub vna forma, remaneat sub priuatione, & in potentia ad aliã. Et hãc doctrinã desumpsit D.Tho. ex primo physicorũ tex supra allegatis. Idcirco illud Capręoli assertũ, videlicet. Materia cœli dato quod sit vna oĩum corporũ cęlestiũ materia, ad aliã formã nequaquam est in potentia, est contra veritatem, D.Th. & Arist. Hinc patet, suam rationẽ falsam esse, qm̃ materia (inquit) dr̃ esse ad aliq̃ formam in potentia, quia per naturale agens potest induci, & non esse in potentia, quia non potest induci; hæc inquam falsa sunt, qm̃ materia intrinsecè dicit in potentia ad aliquam formã de mente D.Th. & Arist: quia est illi formæ cõis, & illam minimè actu habet.

Secunda Capręoli responsio vbi supra ista est. Cõsequentia prima vera est, quando illa materia est apta nata priuationi subijci; modo autẽ cęlestiũ corporũ materia priuationi minimè subijci ẽ apta nata; Verũ hæc responsio textũ destruit, quia si illa cõsequẽtia prima intelligeretur ita, qñ.s. illa materia priuationi nata est subijci, non autem absolutè, & vniuersaliter; tunc D. Thom. nihil illa sua ratione concluderet de diuersitate materiæ corporum cœlestium, & inferiorum; qm̃ diceret aduersarius, licet materia cęlestiũ, & inferiorũ corporũ sit vna oĩbusq; cõis, tñ non est sub priuatione, dũ est sub cęlestis corporis forma, ex consequenti, non est secundum se in potentia ad omnes formas cęlestium corporum

porum, & ita illa tota ratio quæ in illa prima consequentia fundatur, ruit.

Secunda ratio. Illæ materiæ diuersarum sunt rationum specificatum, quarum vna non est in potentia ad alterius formam; sed vnius cœli, putà Solis materia, non est in potentia ad alterius formam; quia tunc cœlum corruptibile esset; ergo &c. Maior propositio conspicua est, ex Aristot. & D. Thomæ doctrina; eo quia illæ formæ, quæ vnam & eandem habent materiam, ad inuicem transmutabilia sunt; illaq; materia ad omnes illas formas in potentia est. Huic rationi respondet Paulus Soncinas, maiorem negando, quoniam formalis inter materias distinctio ex potentialitatis negatione, minimè sumitur, sed ex diuerso modo materiam actuandi. Verum ista responsio pugnat cum D. Thom. loco citato asserente, aliquam materiam formarum ad omnes illas formas in potentia esse; posseque successiuè illas omnes suscipere, & dum vnam habet, esse ad alias in potentia ex consequenti, illa materia est vna respectu aliquarum formarum; & quando vnam habet formam, est ad aliam in potentia; idcirco illæ materiæ sunt diuersæ, quarum vna ad alterius formam nequaquam in potentia est; verissima itaque est maior propositio negata.

Tertia ratio incidens cum præcedentibus talis est. Si materia Solis cum lunę materia eiusdem rationis est, Solisque materia haud formam lunæ habet; ergo Solis materia ad formam lunæ in potentia est; consequens est falsum, quia tunc Sol corruptibilis esset: igitur & antecedens falsum est: Huic rationi respondet Iauellus loco citato, negando sequelam, quoniam licet Solis materia cum materia lunæ eiusdem rationis sit, veruntamen ex modo actuandi, forma Solis cum totam materiæ capacitatem actuet, sua in materia nec priuationem, nec ad lunæ formam, potentialitatem, nec ad aliquam aliam formam relinquit. At hæc responsio militat contra D. Thomam quoniam, vt pluries assertum fuit, ad ipsius mentem. Si materia, communis est ad formam Solis, & ad lunæ formam, quando est sub Solis forma, est sub priuatione formæ lunæ, & in potentia ad lunæ formam, & ad alias corporum cœlestium formas, quia materia communis pluribus formis (teste D. Thom.) dum est sub vna forma, est sub priuatione, ad aliasque in potentia. Quare illa consequutio in Diu. Thom. doctrina, minimè negari potest quapropter falsum est, illud aduersariorum fundamentum, videlicet. Datur vna materia, pluribus communis, quæ vnam formam habet, & tamen in se priuationem, ad aliam formam, nequaquam habet: hæc quò ad tertium.

Quò ad quartum. Ad argumentum respondetur, distinguendo propositiones, hoc pacto. Idem modus, materiam actuandi bifariam sumitur, vno modo, idem identitate analoga, alio modo, idem identitate specifica, seu generica Physicè. Si maior propositio intelligatur, de identitate modi analogæ, inficiamur ipsam, quandoquidem vnitas materiæ specifica, non sumitur ab eodem actuandi modo materiam, secundum analogam identitatem, si autem maior intelligatur de eodem modo, secundnm identitatem specificam, maior conceditur, sed tunc negatur minor; quoniam licet Solis forma, materiam actuet, totam replendo capacitatem; itidem & lunæ forma, & ita de alijs cœlestium corporum formis; attamen ista non est specifica identitas, seu generica Physici generis, sed analoga, quoniam si esset idem modus specificè vt probatum est, Solis materia esset sub priuatione, & in potentia ad lunæ formam, & ad alias omnes corporum cœlestium formas, & sic cęlestia corpora, essent intrin-

quorum primum tale est, (quod in via Arist. (certissimũ existimant) Pura potentia, quę est compositi pars, est secundum se ad esse & non esse, ex consequenti, omnis pura potentia est contradictionis potentia; sed per Arist. 9. met. tex. 17. in cęlo non est cõtradictionis potentia; ergo in cælo non est pura potentia, quæ est compositi pars.

Huic argumento sex damus reponsa. Primum vt assertum fuit in conclusionis explanatione, duplex est pura potentia, altera purè receptiua tantum; altera receptiua & passiua. Si prima ꝓpositio de potentia purè receptiua solum intelligatur, ipsa propositio negatur, vt in expositione terminorum cõtrouersiæ fuit assertum; talis enim potentia purè receptiua est ad esse determinata, & ita non est in potentia ad non esse; Et si contra hanc doctrinam talis fiat instantia, omnis potentia secũdum se ad actũ, & actus negationem indifferẽs est; imò qnod magis vrget, prius natura actus negationem habet, eo quoniam secũdum Arist. sexto Metth. ca. 2. secundum se negationem habet: ergo omnis potentia, etiam purè receptiua est in potentia ad esse, & non esse, ac per hoc est in potentia contradictionis. Respondemus, si antecedens negatiuè hoc pacto fiat; potentia non ex se habet actum; conceditur tã quam verum; hocque modo intelligendus est Arist. sed postmodum negatur cõsecutio, quia sensus illius consequẽtis est, potentia ex se habet nõ actum, quod falsum est. Idem enim dictu est, potentia habet ex se actum & non actum; & potẽtia est ex se ad esse & nõ esse; quæ ambæ propositiones istæ significant contradictionis potentiam, & absolutè vniuersaliter falsæ sunt; & ideo licet ista negatiua potentia non ex se habet actum; sit vera, non tamen licet inferre affirmatiuam de negato ꝓdicato, scilicet ergo potentia habet ex se non actum. Si autem antecedens stet affirmatiuè: videlicet omnis potentia est ad actum & non actum indifferens; hoc est, omnis potentia habet ex se actum & non actum, hoc antecedens negatur, quoniam datur quædam potẽtia passiua, vt est materia rerum ingenerabilium, & sempiternorum, quæ sibi talem vendicat actum, vt non possit habere oppositum; neque vllum aliũ.

Secundum responsum. Datur duplex pura potentia, quæ de se compositi pars est, altera, quæ est potentia ad esse, quod iam habet, seu potentia ad esse coniuncta, altera potentia ad esse quod nõ dum habet, seù potentia ab esse remota. Si prima propositio in primo sensu intelligatur, ipsa absolutè, & intrepidè negatur; quoniã talis potentia (vt assertum fuit) ad esse determinata est, si autem ista ꝓpositio in secundo sensu intelligatur, totum conceditur argumentum quoniam in cęlo, vt ex declaratis patet, talem nequaquam ponimus potentiam.

Tertium responsum. Passiua potentia in duplici discrimine est; altera est priuationi coniuncta; altera priuationi minimè cõiuncta. Si prima propositio de potentia priuationi cõiuncta intelligatur, omnes cõceduntur propositiones, totumque admittitur argumentum, vt potè nihil cõtra nos concludẽs. Si autem prima propositio intelligatur de potẽtia haud priuationi substantiali coniuncta, (qualem in cœlo ponimus) illam inficiamur.

Quartum responsum; Datur duplex non esse, & priuatio; altera est priuatio simpliciter, seù non esse simpliciter, q̃d est non esse substantiale, & priuatio substantialis, seu formæ substantialis; altera est priuatio secundum quid, seu non esse secundum quid, quod est non esse accidentale, seù formæ accidentalis priuatio. Tũc dicitur ad primam propositionem, ipsam esse veram de esse, & non esse; seù de priuatione simpliciter, vel secundum quid, hoc pacto. Vbicunque est potentia, ibi est priuatio substantialis formæ vel accidentalis, & ad illam verificandam altera pars disiunctiuè sufficit. Nam in generabilibus est potẽtia cõtradictionis. seù potentia ad esse, & non esse simpliciter, seù formę substantialis. In sempiternis autem compositis est potentia

tentia ad esse & non esse, seu potentia contradictionis secundum quid, seu respectu formæ accidentalis.

Quintum responsum. Illa prima propositio omnis potentia est contradictionis potentia, vel omnis potentia est ad esse,& non esse: duobus modis intelligi potest; altero modo, vt subiectum sibi vendicet prædicatum, vt sensus sit: Vbicunque est potentia, ibi est contradictionis potentia ad esse,& non esse; & tunc nō est vera nisi de contradictionis potentia ad esse & non esse, vel simpliciter, vel secundum quid, vt in quarto responso explicatum fuit, altero vt prædicatum sibi vendicet subiectum, vt sensus sit; Vbicunque est contradictio ad esse,& non esse substantiale, ibi est potētia, quæ compositi pars est,& sic vera est, necnō omnes aliæ sibi similes verę sunt, sed post modum, non valet: ergo vbi est potētia, quę est compositi pars, ibi est contradictionis potentia: quoniam tunc subiectum sibi vendicaret prædicatum.

Sextum responsum. Quando Arist. 9. mett. contestatur, omnem potentiam esse contradictionis potentiam, necnon, quādo affirmat, oēm potentiā esse ad esse,& non esse, huiuscemodi propositiones verę sunt formaliter, de potentia vt potentia, quæ apud Aristotelē, (vt explicauimus in cōclusionis expositione) nō est nisi potentia, quæ ab actu remota est; potentia autem sub actu, non propriè ab Arist. potentia appellatur.

Secundum argumentum. Materia est per quam res potest esse,& non esse,& materia primo physicorū est principiū vnum subiecto,& duo secundum rationem, propter priuationem coniunctam: ergo omne materiam habens corruptibile est.

Huic argumento satis fit quarto, & quinto responso ad primum, hoc modo. Materia est per quam res potest esse & non esse, vel simpliciter, vel secundum quid, & materia coniunctam habet priuationem, vel simpliciter, vel secūdum quid. Secūdo affirmamus istis in propositionibus prædicatum sibi subiectum vendicare, non autē subiectum sibi vendicare prædicatum. Omnes huiuscemodi responsiones fuerunt collectæ ex Illustrissimi Caietani doctrina loco citato.

Tertium argumentum. Omne compositum ex materia & forma corruptibile est; sed cęlum non est corruptibile: ergo &c.

Respōdetur,& primò inficiamur maiorem absolutè,& vniuersaliter. Secundò dicimus, maiorem esse intelligendā de corruptione vel substantiali, vel accidentali; cęlum autem est corruptibile accidentaliter; hoc est secundum diuersa vbi. Tertiò affirmamus, prędicatum sibi vendicare subiectum, & nō è conuerso. Quartò astruimus duplicem dari materiam, alterā actui coeuam, alteram nō suo coeuā actui; prima propositio vera est de materia non actui coeua: materia autem cœli suo actui coeūa est.

Quartum argumentum est Comm. primo cęli Comen. 10. quem sequuntur Aureolus apud Capręolum loco citato Quinto argumento contra primam cōclusionem,& Iandunus 8 Met q. 7. hūc in modum, arguentes. Omnes formæ q̄ in materia sunt, contrariæ sunt; ex cōsequenti mutuo se expellunt: ergo omne compositum ex materia & forma corruptibile est. Probatur assumptum. Si aliqua datur materia, quæ contrarias formas minimè suscipere possit, neque suscipiat, tunc illa materia non erit generationis,& corruptionis subiectum: igitur illa materia nequaquam propriam habebit operationem, ac per hoc ociosa erit; vltima consequentia ita probatur. Propria operatio, propriusque finis materię est generatio, sicut abscissio est finis & propria operatio cultelli; vnde sicut cultellus ociosus esset nisi esset abscissio, ita materia esset ociosa, nisi generationis subiectum esset.

Respondemus, inficiando assumptū; & ad probationem, vltimam negamus consequentiam,& ad probationem, negamus generationē esse finem, propriāque materiæ operationem: quandoquidem

Tertium fundamentum. Duplex eſt diſcrimen, inter illam potentiam ſubſtã tialem, quę per ſe primò formam vnam ſecundũ genus reſpicit; & illã, quę formam vnam ſecundũ ſpeciẽ reſpicit. Primum diſcrimen. Potentia, quę formã vnã ſecundum genus reſpicit, reſpicit ẽt plures formas ſecundum ſpeciem diſtinctas; & ratio eſt, quia genus (vt oẽs philoſophi affirmãt) habet ſub ſe ſaltẽ duas ſpecies; potentia aũt quę formam vnam ſecundum ſpeciem reſpicit, non per ſe plures reſpicit formas, niſi fortè per accidens, quia ſcilicet, illa ſpecies in vno minimè ſaluari poteſt, & ideo ſecundum numerum multiplicatur. Secundum diſcrimen ex primo deductum eſt. Potentia quæ formam vnam ſecundum genus reſpicit, habet neceſſario ſemperannexa priuationem, & ratio eſt, quoniam potẽtia, quę plures reſpicit formas, cũ vnam tantum habeat formam, adhuc eſt in potentia, ad aliam formam, idcirco priuatur illa, quã non habet, ex conſequenti, annexam habet priuationẽ illius formæ non habitę, quam tamen eſt apta nata habere. Potentia verò ad vnam formam per ſe ſ̃m ſpeciem, nullam habet annexã priuationem: & ratio eſt, quia priuatio dicit formæ negationem aptę natę haberi, modo autem potentia, quę ſolum vnã formã reſpicit, habendo illã, non eſt apta nata aliam habere, & ideo nullam habet priuationem annexam.

Quartum fundamentum. Quia potentię vnitatẽ diſtinctionem, & diffinitionem ab actibus habent, qualis erit actus, quem per ſe primò potentia reſpicit, talis erit potentia. Si actus adęquatus erit vnus ſecundum genus, potentia erit vna ſecũdum genus: ſi autem actus erit vnus ſecundum ſpeciem, potentia erit vna ſecundum ſpeciem, & ſi actus adęquatus, ſeu per ſe primò reſpiciens potentiam erit vnus ſecundum analogiam, potentia etiam ſecundum analogiam vna erit. Et hęc doctrina colligit̃ ab Ariſt. & D. Th. locis citatis.

Ex quibus duo deducuntur corellaria. Primum eſt, Materia horum inferiorum eſt ſecundum genus vna; quia vnã ſecũdũ genus formã reſpicit, vt ſunt oẽs horum inferiorum ſubſtantiales formę, & ideo plures formas ſpecificas reſpicit: qua de re cum eſt ſub vna forma ſecundum ſpeciem, eſt ſub alterius formę priuatione, & ita ſemper annexã habet priuationẽ: quapropter omnia iſta inferiora ad inuicem generabilia ſunt. Secundũ corellarium. Materia cęleſtis corporis eſt vna ſolum ſecundum ſpeciem, nõ autem ſecũdum genus; quoniam per ſe primò vnam tantum ſecũdum ſpeciem reſpicit formã: quia ſi cœleſtis corporis materia per ſe primò formam vnam ſecundum genus reſpiceret, tunc habẽdo vnam, in potentia ad aliam eſſet ex conſequenti, illius haberet priuationem: & ideo cœleſtia corpora, ab intrinſeco generabilia, & corruptibilia ad inuicem eſſent, ſicut & inferiora corpora; & ideo Solis materia, eſt ſolum in potentia ad formam Solis; & Lunę materia, ad formam lunę; alioquin, ſi materia Solis ad alterius cęleſtis corporis formam, putà Lunæ, in potentia eſſet, tunc Sol, & Luna ad inuicem tranſmutabilia eſſent.

Quintum fundamentum. Iſta controuerſia, triplicem poteſt habere ſenſum. Primus, an materiã corporum inferiorum ſit vna ſecundũ ſpeciem. Secũdus, an ſit vna ſecundum genus. Tertius, an ſit vna ſecundum analogiam, & huic difficultati ſecundum omnes ſenſus reſpondendum eſt.

Sextum fundamẽtum. Genus bifariã ſumi poteſt altero modo logicè, altero modo phyſicè genus logicũ, eſt quod de pluribus ſpeciebus, abſtrahẽdo ab ipſis rerum naturis vniuocè prędicatur: hocque genus ſolum intentiones, non autẽ res conſiderat; hocque modo corpus, & ſubſtantię vniuocè de ſubſtantia corruptibili, & incorruptibili, de corpore corruptibili, & incorruptibili prædicatur. Nã ſubſtantia & corpus, à rerum naturis abſtrahendo, ſolumq́ue nominum intentiones conſiderando, de ſubſtãtia, & corpore, corruptibilibus & incorruptibilibus prędicantur ſecundũ idem nomẽ

& secundum eandẽ rationẽ. Genus aũt physicũ, vt docet Arist. 5. met. tex. 10. & D. Th. eo loci, & Caiet. 1. p. q. 66. ar. 2. in titulo; est quod de pluribus eandem materiam habentibus per diuersas formas distinctum prædicatur. Et quia semper differentiæ, & formæ specificæ materiã diuidentes ita se habent, vt vna sit altera perfectior, hinc sequitur constituta p differentias formasque specificas ita se habere, vt vnum semper sit altero perfectius; ex consequenti esse generis physici dicitur secundum prius & posterius, secundum prioritatem, & posterioritatem perfectionis, & hac de causa genus logicum physicè sumptum de suis inferioribus analogicè prædicatur; & ab Aristot. æquiuocũ appellatur, vt patet 10. met. text. vltimo, qui respiciens esse reale seu physicum, & respuens rationis & conceptus generici vnitatem cõtestatus est, nihil esse cõe vniuocum corruptibili & incorruptibili. Et septimo met. textu 31. decantauit *iuxta genera æquiuocationes latere*. Ex quibus compertum est, genus physicè sumptum de suis inferioribus æquiuocè, seu analogicè prędicari. Et hanc doctrinam egregiè declarat Caiet. de nominum analogia, ca. primo, qua de re sola species specialissima logica, cum prædicatur vniuocè, etiam physicè sumpta, erit genus physicum; quoniam necesse est, vtrumque genus vniuocè prædicari. Hac in controuersia nõ sumimus genus logicum, sed physicum, & physicè loquimur.

Septimum fundamentum. Iuxta Aristo. doctrinam 7. met. tex. 10. & D. Tho. eo loci; genus physicum in duplici est differentia, alterum est genus remotũ, & proximum alterum. Genus remotum de vltimis speciebus cum vnitatis additione, & in recto prædicatur, vt homo, & leo sunt vnum corpus, vel vna substantia; & ratio est quia homo & leo sub vna substantiæ differentia, videlicet sub corporea & sub vna corporis differentia scilicet sensitiua, cõtinentur. Genus autem proximum cum additione vnitatis, & in recto de suis minimè prædicatur speciebus, quoniam diuersas per differentias, suis in speciebus descendit, & ideo hæc est falsa homo & leo sunt vnum animal; prædicatur tamen in obliquo, & ideo hæc est vera homo & leo sunt vnũ in animali. Et sicut duplex datur genus, quod prædicatur, scilicet remotum, & proximũ, ita duplex materia datur, scilicet remota, generi remoto correspondens, & proxima generi proximo correspondens: Hac in cõtrouersia de vtroque genere, & materia agendum est.

Octauum fundamentum. Ratio specifica vnitatis materiæ primę constitutiua ista est, scilicet formam cum priuatione, vel sine priuatione recipere, & quoniam horum omnium inferiorum materia formam cum priuatione semper recipit, ideo est vna, vnitate specifica logicè, & vna vnitate generica physicè, licet diuersas distinctasq; genere formas recipiat: quoniam has omnes formas recipit sub ista ratione formali, scilicet, cum alterius priuatione. hæc de primo.

Sententia Arist. de materia cœli & corruptibilium explicatur. Cap. 46.

QVò ad secundum principale, tribus conclusionibus, ex Arist. doctrina collectis, præsenti respondetur difficultati, quarũ prima hæc est. Materia cœlestium corporum, & inferiorum est vna vnitate analogiæ; quæ ita demonstratur ad mentem Arist. Vnũ analogia sunt, quorum nomen est commune, & ratio est eadem secundum proportionis similitudinem, vt patet ex analogię proportionalitatis diffinitione tradita ab Arist. 4. met in princ. & quinto met. cap. de vno tex. 12. & 7. meth. tex. 15. & in primo Ethic. cap. 7. vt egregiè tradit Caietanus de nominum analogia capi. 3. sed sicut se habet forma cœli suam ad potentiam, seu materiam, ita se habet suam ad materiam horum forma inferiorum: igitur cęlestium corporum

rum & inferiorum materia, est vna secundum analogiam, minor propositio huius demonstrationis compertissima est; sicut enim corporum cęlestium materia ab ipsorum forma actuatur, ita horum inferiorum materia ab eorũ actuatur forma; hanc cõclusionem docet etiã D.Tho.1.p.q.66.ar.2.

Secunda conclusio. Materia corporum cœlestium & inferiorum est vna vnitate generis logici, quæ ita probatur. Per Arist.5.met tex.10.sicut se habet logicum genus sua ad inferiora, ita se habet materia, à qua huiuscemodi genus desumitur; sed corpus logicè sumptum est genus respectu corporum cœlestium, & inferiorum, vt abundè declaratum est fundamẽto 6.ex Arist. doctrina; ergo cœlestium & inferiorum materia, generis logici vnitate est vna. Hanc conclusionem pariter sequitur D.Tho. 1.p.q.66.ar.2.

Tertia conclusio. Materia cœli & horum inferiorum diuersi est physici generis, seu diuersæ speciei specialissimæ logicè.

Hęc conclusio est directè ipsi quæsito reponsiua, quæ duabus Arist. auctoritatibus, vnicaque ratione demonstratur.

Prima auctoritas est 8.met tex.12.vbi de omnium corporum etiam incorruptibilium materia, sermonem habẽs, ita scribit. *In naturalibus autem substantiis, & perpetuis est alia ratio.*

Secunda auctoritas desumitur ex 12. met.tex.10. vbi ita cõtestat. *Omnia verò, materiam habent, quæcunque transmutantur, se[d] aliam sempiternorum.*

Ratio hęc est. Quod secundum essentiam suã, in pura est potentia ad aliquas formas, est secundum se in potentia ad omnes illas formas quibus est commune; hæc propositio colligitur ex doctrina Arist. primo physicorum text. 66. 69. & 81. sed materia prima vnitate generis physici vna per aduersarios, ad omnes formas tam corruptibiles, quam incorruptibiles communis est; igitur prima materia secundum physici generis vnitatem, ad omnes formas corruptibiles & incorruptibiles in potentia est; tunc vltra; sed communis materia & ad aliquas formas in potentia, dum vnam illarum habet remanet in potentia ad alias omnes, quibus communis est sub illa existens, & sub aliarum priuatione; igitur materia prima vna physici generis vnitate, formam habens corruptibilem, erit in potentia secundum sui naturam ad formam incorruptibilẽ; & quoniam omnis potentia naturalis ad actũ reducitur, hęc eadem materia formam incorruptibilem recipiet, & sic aliquod vnum & idem erit corruptibile, & incorruptibile; corruptibile quidem, dum formam habet corruptibilem, in corruptibile autem, dum incorruptibilẽ recipit formam; conclusio falsa, ergo altera pręmissarum non maior quoniam nota est tum ex terminis tum ex Arist. primo physicorum; ergo falsa est secunda propositio, quæ est positio aduersariorũ. Aliæ autem subsumptæ propositiones apertæ sunt. hęc quò ad secundam principale hanc conclusionem docet etiam Doctor sanctus loco citato.

Explicatur per quid materia superiorum distinguatur ab inferiorum materia. Cap. 47.

QVò ad tertium in quo explicandum venit, per quid istę duę materię, re ipsa, ab inuicem semoueantur.

Dicimus itaque, secundum Arif. secũdo de anima, quem sequitur D. Th. 1.p. q.54.ar.3.& q.77.ar.3.& Caiet.ibi, illas duas materias reipsa ab inuicem suos p actus semoueri.

Pro huius elucidatione quatuor consideranda sunt ex doctrina Thomistarũ, & præcipuè Caiet. prima p.qu.66. art.2.

Primum considerandum est. Potentię sunt entitates medię inter entitates simpliciter absolutas, & entitates simpliciter respectiuas, qua de re, ipsę potentię secũdum suam essentiam, naturaliter actus respiciunt, ad actusque ordinantur, ordine

sibi adæquatos intrinsecè semoueri. hæc de tertio.

Quædam diluuntur argumenta contra supradictam veritatem. Cap. 48.

QVò ad quartū, scilicet quò ad Ægidij, aliorumque aduersariorum argumenta, sustinentium cœlestium corporum, & inferiorum materiā esse vnam, vnitate physici generis.

Primum argumentum, est tale (& est Ægidij in tractatu de cęli materia, & secundo sententiarum dist. 12. cum sequētibus quatuor, ad quæ omnia penè argumēta Durandi, & Aureoli reducūtur.) Actus est qui separat, & distinguit: iuxta Arist. 7. met. tex. 49. sed istæ materiæ primæ nullum secundum se actum habētꝫ ergo &c.

Respondetur. Licet materiæ non habeant in se actus, respiciunt tñ ab intrinseco actus, per quos distinguuntur, vt declaratum est; & ideo ad argumentum, secunda negatur propositio absolutè, cum istæ duæ materię actus respiciant. Memoriæ tñ mandandum est, non quēlibet actū distinguere materiā, at solummodo adæquatum actū, quē per se primò materia respicit, & qui in materiæ, seu puræ potentiæ diffinitione ponitur. Hancqꝫ responsionē dant Capręolus 2. sent. d. 12. q. prima ad argumenta contra secundam conclusionem, & Caietanus 1. p. q. 66. arti. 2. quam omnes alij Thomistę sequuntur. Secundò respōderi potest, iuxta D. Th. 1. p. q. 3. ar. 8. ad tertium asserentes, quæ sunt simplicia seipsis diuersa sunt, non autem aliquo differunt; modò perspicuum est, istas duas primas materias esse simplicia entia; ideoqꝫ se ipsis diuersæ sunt, auctoritas autem Aristo de illis, quæ propriè differunt, intelligitur, istę autem materiæ non propriè differunt, verum propriè diuersæ sunt.

Secundum argumentum. Si sunt duę primæ materiæ alterius rationis, ergo inter puram potentiam, & purum actum nequaquam maxima erit distātia positiua; sed hoc impossibile videtur; consequutio probatur, quoniam duę puræ primæ potentiæ, diuersarumque rationum, necesse est, vnam minus esse pfectam, & aliam magis perfectam; eo qa diuersæ sunt rationis, diuersæque perfectionis, ex cōsequenti necesse est, vnam magis quam aliam, à puro actu distare; ex consequenti illa quę minus distat, nō maximè distat; & cum pura sit potentia, consequutio valet, puram potentiam, ab actu puro, non maximè distare.

Respondetur concedendo consequutionem, & negando cōsequentis impossibilitatem; nam astruimus, vnam puram potentiam ab actu puro magis distare, quam aliam puram potentiam; nō quia vna aliquid actualitatis magis includat, quam alia, eo quia ambæ minimè essent purę potentiæ; sed quia vna ad actum adæquatum perfectiorem, quā alia ordinatur; & quæ imperfectiorem respicit actum, est minus perfecta, magisque ab actu puro distat, quocirca illa sola, quæ infimum respicit actum, à puro actu maximè distat, & est propè nihil. Hancque respōsionem dat Capręolus loco allegato ad secundum Ægidij contra secundam conclusionem quā sequuntur Caietanus, & alij Thomistæ.

Tertium argumentum. Materia prima est medium inter ens & nihil, adeo vt sua substātialitas sit pūctalis, vt gradus in ea minimè reperiri possint: ergo non dantur duæ primæ materiæ; consequentia perspicua est; assumptum ita ostenditur. Si vna materia esset perfectior altera, putà cęli materia esset perfectior horum materia inferiorum, hoc esset, aut quia plus de entitate, quam alia haberet, aut quia plus quam alia deficeret. Non primo modo, quia tunc cæli materia haud esset materia, quia non esset quid medium, inter ens & nihil, sed esset mediū inter ens, & horum materiā inferiorū. Nec secundo, qa tunc

nõ esset perfectior. Si autem materia hōrum inferiorū à cęli materia distaret, quà cęli materia defficit, tunc horū inferiorū materia esset infrà cęli materiã, & sic materia cęli non esset media, inter ens & nihil, vt nunc etiam deductum est.

Respondetur secūdum Capręoli sententiam loco citato; Illam propositionē assumptã, scilicet, materia prima est medium quid inter ens, & nihil, duob. modis intelligi posse, vno modo vt sumatur prima materia pro quodam analogo oĩ materiæ primæ cōi, & tunc illa ꝓpositio vera est, & totū cōceditur argm, & probat nostram primam cōclusionē; alio modo potest sumi illa propositio, vt sumatur materia prima ĩ speciali, putà pro cœli materia, & tunc negatur illa propositio: quandoquidem, materia cęli non est media inter ens & nihil, sed est media inter ens & horum materia inferiorum, non per alicuius actualitatis inclusionem, sed quia nobiliorem respicit actum.

Quartum argumentum. Negatio omnium formarum vnitatem materiæ ẜm se constituit; sed omni forma remota, tā inferiori, quā cęlesti, omnis materia cū formarum omnium abnegatione reperitur: igitur omnis materia secundum se est vna negatiuè, & eo modo, quo dicimus, horum materiam inferiorum vnā esse.

Caietanus loco citato dat tale responsum: Prima propositio duob. modis intelligi potest, vno modo absolutè, & hoc pacto falsa est, quoniam negatio vt sic, nihil constituit, cum ipsa nihil sit. Alio modo sic, omniū formarū negatio in subiecto aptonato, & ita vera est; at subiectū aptum natum non est physicè vnū sed multiplex, vel saltem duplex.

Quintum argumentum. Nullus theologorum vel phylosophorum duas posuit materias per essentias differentes, alteriusq; rationis, ergo &c.

Respondemus & inficiamur assumptum. Etenim nos supra ꝓbauimus, ad mentem Arist. duplicem materiam dari. Et primo cęli expresse cōtestatur Aristo. cœlum ex tota sua materia constare, adeo, vt nulla alia materia sit formę cęli capax. Ecce ergo ad Arist. mentem, materiam cęli alterius esse rationis: quia cęli materia alterius formæ minimè capax est, nisi illius, quam actu habet, materia autem inferiorū nō solum formæ, quam actu habet, verum ét aliarum formarum rerum corruptibilium capax est.

Deinde arguūt Durandus, & Aureolus, apud Capręolum loco allegato, quorum argumenta patēt ex dictis, & ideo relinquuntur; & solū adducimus quintum Aureoli, quod est tale. Vbicunque Arist. materiam diffinit, affirmat, materiam esse puram potentiam, vnde septimo met. tex. 8. docet, materiam non esse quid, nec quale, nec quantum &c. Et infra asserit, materiam esse, per quam res potest esse & non esse. Et infra astruit, materiam non esse nisi potentiam: igitur Arist. cęli materiam ignorauit, vel si nō, oportet vt materię cęlis diffinitio, quam dedit de materia, conueniat.

Respondemus, ad primam auctoritatem. Materiam secundum se puram esse potentiam, at sub forma minimè est pura potentia; sed est potentia sub actu; ad secundā propositionem responsum fuit ex dictis, in responsione ad primū præcedentis quæstionis Cap. 44. Vltimo asserimus, diffinitionem essentialem materię, cęli materiæ conuenire, quæ quidem diffinitio ista est. Materia est proprium, proximum, immediatumq; subiectum formę substantialis, & est subiectum mediatum, & remotum omnium formarum accidētalium corporearum, istaque diffinitio cęli materiæ competit.

Deinde arguit bifariam Scotus. primo ẜm Arist. 2. met. non dantur duo primi fines, neque duo prima agentia, quia in causis efficiētibus, & finalibus, in infinitum minimè procedendum est, sed ad vnum primum agens, ad vnumq; primū finē, deueniendū est: ergo pari modo nō dantur duæ primæ materiæ.

Respondet Caietanus loco citato, & inficiatur consequentiam, quoniam nō

est eadē ratio de caussis intrinsecis, & extrinsecis, qñquidē intrinsecę causę rerū substātiam intrāt. Idcirco varias esse oportet, iuxta rerum varietates. Causæ autem extrinsecę rerum substantias minimè intrant, ideo iuxta rerum varietates nequaquam variantur.

Deinde sic arguit. Solis materiam dato, non esse in potētia ad aliam formam est tamē secundum se in potentia ad Solis formam, eiusque priuationem: ergo materia solis est in potentia cōtradictionis, cœlumque secundum se corruptibile est.

Respondet Caietanus. Negando materiam solis esse secundum se in potentia ad suæ formæ priuationem; cum potentia ad alicuius formæ priuationem, non sit respectu habitæ formæ, sed respectu formæ habendæ.

Vltimo loco quidam sic argumentantur. Arist. primo physicorum longa digressione ostendit materiā, formam, & priuationem esse omnium rerum naturalium principia; at corpora cęlestia sūt res naturales: ergo &c.

Respondemus, & consequentiam inficiamur, quoniam vniuocè non sunt eadem materia forma, & priuatio omniū rerum naturalium: sed solummodo analogicè; in qua analogia, formę cælestiū & inferiorum cōueniunt; vt in superioribus abundè explicatum est.

Materiam omnium corporum cœlestium non eiusdem esse rationis, sicut materia omnium inferiorū eiusdem est rationis explicatur ad mentem Arist. Cap. 49.

HOc loci perdifficilis quæstio pertractanda est. Nūm omniū corporū cœlestium materia eiusdem sit rationis, sicut materia oīum inferiorū eiusdē rationis est. Circa quam difficultatem, quatuor agenda sunt; Primò, titulus q̄stionis explicandus, & aperiēdus est. Secundò, adducenda est quędam falsa opinio. Tertiò, vera opinio ponēda ē. Quartò, contrarijs respondendum est fundamentis.

Quoad primum. Sciendum est, nos admittere materiam omnium corporū cęlestiū esse eiusdem analogę rationis, & ideo de hac non sciscitamur; quapropter nunc de vnitate, vel diuersitate specifica, seù (quod idem est) de vnitate, vel diuersitate physica sermonē īstituimus; quo circa sensus quæsiti est, an materia vnius corporis cęlestis purà, Solis sit alia alietate specifica, vel alietate generis physici à lunæ materia, vel eiusdem sit speciei specialissimę, seù eiusdem generis physici: hæc de primo.

Quoad secundum. Capręolus 2. sen. d. 12. qua st. prima ad primum argumentū Durandi contra secundam conclusionē (quem sequuntur Paulus Soncinas 12. met. quæst. 10. & Iauellus 8. meth. q. 15.) sustinet, materiam omnium corporū cęlestium eiusdem esse rationis physicę, seu eiusdem generis physici. Et hanc opinionem sustinentes, tali suadent argumēto. Quemadmodum communis materiæ ratio quatenus potētia, ex eo desumitur, quia à forma actuari potest; pari passu distincta materiæ ratio ex eo desumetur, qm̄ à forma diuersimodè actuatur, & vnitas rōnis materiæ ex eo desumetur, quia eodem modo à forma actuatur. Stāte ista propositione ex terminis nota; alia subsumitur propositio: At omnium cęlestium corporum materia ab omnib. cęlestium corporum formis, eodē actuatur modo: ergo &c. Hanc secundam propositionem ita suadent, omnes corporū cęlestium formæ hoc actuant modo, videlicet, totam replendo suæ materiæ capacitatem, haud relinquendo priuationem, & potentialitatem in materia ad aliam formam. Et cōfirmatur, sicut, quia omnium materia inferiorum ab omnib. formis inferioribus eodem modo actuatur, videlicet non totam replendo ipsius materiæ capacitatem, & in ipsamet materia priuationem ad alias formas relinquendo: idcirco omnium materia inferiorum eiusdem est speciei specialissimę,

seu eiusdem physici generis; pari modo, omnium corporum cœlestium materia, quia eodem actuatur modo, (vt nunc fuit assertum) est eadem generis physici identitate. hæc quò ad secundum.

Quò ad tertium Caiet. 1.p.q.66.ar.2. oppositam sustinet partem, demonstrãs cęlestium corporum materiam diuersarum esse specierum, adeo vt tot sint primæ materiæ, seu genere physico materierum, quot sunt cœlestia corpora; & quoniam hęc opinio est magis veritati, & Arist. consona: idcirco ipsam sequimur, & tribus ipsam demonstramus rationibus: quarum prima est desumpta ex D.Tho.loco citato, qua demonstrat materiam corporum cęlestium non esse eiusdem rationis cum materia generabiliũ. & corruptibiliũ, & est hæc. Materia secũdũ se est in pura potentia ad formã; ergo materia secundum se est in potentia ad omnes formas, quibus est communis: igitur materia illarum vnam habendo, remanet in potentia sub priuatione ad omnes alias formas; hæc omnia docet Arist. primo physicorum tex. 66. 69. 80. & 81. Tunc vltra, sed per aduersarios vna est corporum cœlestium materia, omnibus cõis: igitur ista materia cœlestibus corporibus cõis, vnam habẽdo formam, putà Solis formam, erit in potentia, & sub priuatione ad alias formas cœlestes, & ita corpora cœlestia intrinsecè corruptibilia erunt, quod est contra veritatem & Arist.

Ex his apparet, positionem Caprẹoli, & aliorum in doctrina Arist. & D.Th. nõ posse aliquo pacto sustineri, adeo vt ista duo implicent in doctrina Arist. & D.Tho. videlicet, vna & eadem est omnium corporum cęlestium materia, & quod dum est sub forma Solis, non sit sub priuatione, & in potentia ad lunæ formam.

Ad hanc rationem, Caprẹolus loco citato, dat duo responsa, & primò primã cõsequentiam inficiatur, qm̃ ait Caprẹolus. Materia cęli ad aliã formam nec sub priuatione ad aliã formã nequaq̃ in potẽtia est. Et ratio est (inquit) quia ad nullam formã est in potentia, nisi quæ per agens naturale introduci potest; cum ergo nulla forma per naturale agens in cęli materia introduci possit, hinc sequitur, materiã cęli nõ esse in potentia ad aliã formã, nec sub priuatione ad aliã. At ista consequentia est D.Th. loco citato, & hoc de mente Arist. vbi sic ait, in corpore. Materia enim secũdũ id quod est, est in potẽtia ad formã, oportet ergo qđ materia secundũ se considerata sit in potentia ad formã oĩum illorũ, quorũ est cõis: quapropter cũ p ipsum Caprẹolũ, eiusque sectatores, vna materia sit oĩbus formis cęlestiũ corporũ cõis, necesse est, qñ est sub vna forma, remaneat sub priuatione, & in potentia ad aliã. Et hãc doctrinã desumpsit D.Tho. ex primo physicorũ tex supra allegatis. Idcirco illud Caprẹoli assertũ, videlicet. Materia cœli dato quod sit vna oĩum corporũ cęlestiũ materia, ad aliã formã nequaquam est in potentia, est contra veritatem, D.Th. & Arist. Hinc patet, suam rationẽ falsam esse, qm̃ materia (inquit) dr̃ esse ad aliã formam in potentia, quia per naturale agens potest induci, & non esse in potentia, quia non potest induci; hæc inquam falsa sunt, qm̃ materia intrinsecè dicitur in potentia ad aliquam formã de mente D.Th. & Arist. quia est illi formæ cõis, & illam minimè actu habet.

Secunda Caprẹoli responsio vbi supra ista est. Cõsequentia prima vera est, quando illa materia est apta nata priuationi subijci; modo autẽ cęlestiũ corporũ materia priuationi minimè subijci ẽ apta nata; Verũ hæc responsio textũ destruit, quia si illa cõsequẽtia prima intelligeretur ita, qñ. s. illa materia priuationi nata est subijci, non autem absolutè, & vniuersaliter; tunc D. Thom. nihil illa sua ratione concluderet de diuersitate materiæ corporum cœlestium, & inferiorum; qm̃ diceret aduersarius, licet materia cęlestiũ, & inferiorũ corporũ sit vna oĩbusq; cõis, tñ non est sub priuatione, dũ est sub cęlestis corporis forma, ex consequenti, non est secundum se in potentia ad omnes formas cęlestium corporum


porum, & ita illa tota ratio quæ in illa prima consequentia fundatur, ruit.

Secunda ratio. Illæ materiæ diuersarum sunt rationum specificarum, quarum vna non est in potentia ad alterius formam; sed vnius cœli, putà Solis materia, non est in potentia ad alterius formam; quia tunc cœlum corruptibile esset; ergo &c. Maior propositio conspicua est, ex Aristot. & D. Thomæ doctrina; eo quia illæ formæ, quæ vnam & eandem habent materiam, ad inuicem transmutabilia sunt; illaq; materia ad omnes illas formas in potentia est. Huic rationi respondet Paulus Soncinas, maiorem negando, quoniam formalis inter materias distinctio ex potentialitatis negatione, minimè sumitur, sed ex diuerso modo materiam actuandi. Verum ista responsio pugnat cum D. Thom. loco citato asserente, aliquam materiam formarum ad omnes illas formas in potentia esse; posseque successiuè illas omnes suscipere, & dum vnam habet, esse ad alias in potentia ex consequenti, illa materia est vna respectu aliquarum formarum; & quando vnam habet formam, est ad aliam in potentia; idcirco illæ materiæ sunt diuersæ, quarum vna ad alterius formam nequaquam in potentia est; verissima itaque est maior propositio negata.

Tertia ratio incidens cum præcedentibus talis est. Si materia Solis cum lunę materia eiusdem rationis est, Solisque materia haud formam lunæ habet; ergo Solis materia ad formam lunæ in potentia est; consequens est falsum, quia tunc Sol corruptibilis esset: igitur & antecedens falsum est: Huic rationi respondet Iauellus loco citato, negando sequelam, quoniam licet Solis materia cum materia lunæ eiusdem rationis sit, veruntamen ex modo actuandi, forma Solis cum totam materiæ capacitatem actuet, sua in materia nec priuationem, nec ad lunæ formam, potentialitatem, nec ad aliquam aliam formam relinquit. At hæc responsio militat contra D. Thomam quoniam, vt pluries assertum fuit, ad ipsius mentem. Si materia, communis est ad formam Solis, & ad lunæ formam, quando est sub Solis forma, est sub priuatione formæ lunæ, & in potentia ad lunæ formam, & ad alias corporum cœlestium formas, quia materia communis pluribus formis (teste D. Thom.) dum est sub vna forma, est sub priuatione, ad aliasque in potentia. Quare illa consequutio in Diu. Thom. doctrina, minimè negari potest qua propter falsum est, illud aduersariorum fundamentum, videlicet. Datur vna materia, pluribus communis, quæ vnam formam habet, & tamen in se priuationem, ad aliam formam, nequaquam habet: hæc quò ad tertium.

Quò ad quartum. Ad argumentum respondetur, distinguendo propositiones, hoc pacto. Idem modus, materiam actuandi bifariam sumitur, vno modo, idem identitate analoga, alio modo, idem identitate specifica, seu generica Physicè. Si maior propositio intelligatur, de identitate modi analoga, inficiamur ipsam, quandoquidem vnitas materiæ specifica, non sumitur ab eodem actuandi modo materiam, secundum analogam identitatem, si autem maior intelligatur de eodem modo, secundnm identitatem specificam, maior conceditur, sed tunc negatur minor; quoniam licet Solis forma, materiam actuet, totam replendo capacitatem; itidem & lunæ forma, & ita de alijs cœlestium corporum formis; attamen ista non est specifica identitas, seu generica Physici generis, sed analoga, quoniam si esset idem modus specificè vt probatum est, Solis materia esset sub priuatione, & in potentia ad lunæ formam, & ad alias omnes corporum cœlestium formas, & sic cęlestia corpora, essent intrin-

trinsece, ex suaque natura corruptibilia. Et per hoc, patet responsio ad confirmationem; quoniam materia horum inferiorum eodem modo, identitate specifica, à formis inferiorum corporum, actuatur; non sic autem (vt dictum fuit) materia cœlestium corporum actuatur. Huiusque radix diuersitatis, assignatur à Caietano loco citato, quoniam horum materia inferiorum respicit tanquam suum adęquatum actum, vnam formam genericam secundum rem: materia autem cęlestium corporũ, formam vnam specificam respicit. Qua de re, horum materia inferiorum, eodẽ specifico modo, omnes inferiorum corporum formas respicit, qui modus est, formam non totam materiæ capacitatem actuare; sed in ipsa materia potentiam, priuationemque alias ad formas, relinquere. Materia autem vnius cęlestis corporis, puta, solis repletur secundum totam suam capacitatem, à sua forma, non relinquendo in materia aliquã potentiam, vel priuationem ad aliam formam substantialem. Pari modo, lunæ materia, respicit tanquam actum adęquatum formam vnam, & sic de aliis. Idcircò, singulæ corporum cęlestiũ materiæ, distinctis modis specificis suas respiciunt formas, & ideo, cęlestium corporum materiæ in communi, non respiciunt vnam formam cęlestem in communi, nisi vno quodam analogo modo. Et huius radicis fundamẽtum est, quia si cęli specifica materia, respicit tanquã actum adæquatũ, omnes cęlestium corporum formas; tunc vnam habendo, esset in potentia, & sub priuatione ad aliam, vt D. Thom. concludebat, vt conspicuum est in horum materia inferiorum; nam quia ista materia, omnes inferiores formas, tanquam actum adæquatum, respicit; hinc sequitur, dum materia est sub vna forma, est etiam in potentia, & sub priuatione ad alias omnes; vt sępe & sæpius, hac in controuersia, inculcatum fuit.



DE

DE COELI ANIMATIONE ad mentem Aristotelis.

AN COELVM SIT ANIMATVM Anima informante.

Cœlum est animatum anima informante ad mentem Aristotel. *Cap. 50.*



IRCA hanc difficultatem, tria agēda sunt. Primò, nodus difficultatis aperiendus est. Secundò, difficultati respondendum est, ad aures Arist. Tertiò, respondendum est difficultati, secundũ naturalis Philosophię principia.

Quò ad primum. Sciendum est, animatum appellari, quod animā habet; duobus aũt modis, contingit, animā habere, siue esse animatum. Altero modo, aliquid habet animam dantem esse per modum formæ, & huiusmodi aĩa, appellatur forma informans. Altero modo, aliquid habet aĩam, seu est aĩatum aĩa assistente, & mouente tantum; quæritur itaquè, an cœlum sit animatum, anima informante, seu dante esse formaliter: an anima assistente, & mouente tantum.

Quò ad Secũdum. Duo agenda sunt. Primò, respondendum est difficultati duabus conclusionibus. Secundò, quædam dubia remouenda sunt.

Respondetur itaque difficultati, duabus cõclusionibus, quarum prima est, Cœlum est animatum anima informante, ad mentem Aristot. quæ con clus. demonstratur tribus rationibus.

Prima ratio fundatur super tribus fundamentis Aristot. Primum fundamentum; *In motorib. & motis, necesse est deuenire ad aliquod unum primum motum, quod, vel moueatur ab immobili, vel moueat seipsum.* Et de his duobus accipitur secundum, videlicet primum mobile mouet seipsum, ea ratione, quoniam, quod est per se, semper est priùs eo, qđ est per aliud. Hoc fundamentum demonstratur ab Aristot. octauo Physic. tex. 40. vt nos in tertio libro, cap. 39. explanabimus, adducendo, rationem formalem, ab ipso tex. collectam.

Secundũ fundamentum. *Mouens seipsum de necessitate diuiditur in duas partes, quarum vna est mouens, & alia est mota.* Hoc fundamentum docet Arist. 8. Physi. tex. 41. 42. 43. & 44.

Tertium fundamentum. Omne mouens seipsum, ex duabus partibus compositum, quarum vna est mouens, & alia est mota, est animatum anima informante. Hoc fundamentum patet primò ex diffinitione animæ. Anima est actus corporis Physici &c. Anima enim est mouens, & corpus motum, & certissimum est, animam esse formam informantem, vt patet secũdo de Cœlo, & Mundo, libro secundo, text. 9. vbi Aristo. ita contestatur. *Quæcunque intellectum principium motus, in ipsis animata entia.* Et quod Arist. eo loci, loquatur de Anima informante, patet ex duobus tex. præcedentibus, videlicet 7. & 8. vbi declarat, quid sit huiusmodi ens animatum, & expressè docet, nomine entis animati, intelligere animatum, anima informante. Nam ibi loquit, de animalibus perfectis & imperfectis, & inquit, *animalia perfecta sunt, quæ non solum sentiunt, sed etiam mouentur motu locali, & de animalibus imperfectis, vt sunt plantę.* Modo notissimum est, animalia perfecta, quę sentiunt, &

motu

motu locali mouentur, esse animalia, animata anima informante. Itidem animalia imperfecta, vt sunt plantę esse animata, pari modo, anima informante.

Ex his tribus fundamentis, ita prima ratio conficitur. Omne mouens seipsum, & in duas partes diuisum, est animatum anima informante, per secundum & tertium fundamentum, at Cœlum est mouens seipsum, & est diuisum in duas partes, quarum vna est mouens, & alia mota, per primum fundamentum, ergo Cœlum est animatum anima informante.

Secunda ratio. Illud quod habet omnes positionum differentias, secundum se, nedum quò ad nos, (scilicet sursum & deorsum, antè & retro, dextrum & sinistrum) est animatum anima informante, at Cœlum omnes huiusmodi differentias habet, non solum quò ad nos, verum etiam secundum se, ergo Cœlum est animatum anima informante. Prima propositio est Aristote. text. 7. supra citato. Cuius verba ista sunt. *Determinandum est, quidem ergo de his in his, quæ circa animalium motus, propter propria natura illorum esse, manifesta enim in animalibus existentia videntur. His quidem, omnes partes tales.* Quæ verba, ita interpretatur D. Th. De huiusmodi principijs, quæ dicuntur differētiæ positionum, determinatum est, in libro de processu animalium propter hoc, quod sunt propria naturæ istorum scilicet animatorum. In animalibus, enim manifestè videntur huiusmodi existere secundum determinatas partes, ità quidé, quod aliquibus animalibus, scilicet perfectis, quæ non solum sentiunt, sed etiam mouentur motu locali, insunt omnes tales partes, dextrum & sinistrum, ante & retro, dextrum & sinistrum. Hæc D. Tho. Modò constat, (vt nunc assertum est in tertio fundamēto) ista animalia esse animata anima informante. Secunda propositio est etiā ipsius Aristotelis, eodem libro text. 15. Nam ibi loquens, de Cœlo animato, vt postea dicemus, ita scribit. *Manifestum, quoniam habet sursum & deorsū, dextrum & sinistrum.* Et proculdubio loquitur, de huiusmodi positionum differentijs, secundum se, nedum quò ad nos, vt patet in antecedentibus textibus à text. 7. vsque ad 13. cum loquatur de huiusmodi positionibus, quatenus animalibus animatis per formas informantes conueniunt.

Tertia ratio. Desumitur ab auctoritate Aristot. secundo de Cœlo text. 25. vbi habet ista formalia verba. (*Nobis autem, quoniā determinatum est prius, quod in habentibus principium motus, tales virtutes existunt. Est autem Cœlum animatum, & habet motus principium.* Hæc Aristo.

Et si aliquis respondeat, Arist. loqui de animatione facta ab anima assistente, & mouente, non autem ab anima informante, refellitur ista responsio hūc in modum. Animatio sumenda est, vt fuit ab ipso, in context. antecedentibus prędeclarata; modo autem constat per omnia fundamenta, & per omnes rationes nunc assignatas, Aristot. declarasse animationem per animæ informationem, non autem per assistentiam animæ, seu per virtualem contactum.

Hoc etiam ratione confirmatur. supponendo animationem, per animæ informationem esse animationem veram, & propriam, vt patet, tum ex tertio fundamento, tùm ex diffinitione animæ, Anima est actus corporis Physici &c. Animationem autem per animæ assistentiam, seu per virtutis contactum, esse impropriam animationem. Et ex hoc, colligitur aliud, scilicet esse animatum, analogicè prædicari de animato per animæ informationem, & de animato per aīę assistētiam. Ex quib. aliud colligitur, animatū prius prædicari de animato per informationem, per posterius autem de animato per assistentiam; cum semper nomen analogum prius prædicetur de analogato perfecto, posterius autem de analogato imperfecto, vt

vt egregiè docet Caiet.de nominũ Analogia,cap.secũdo. Tunc subsumitur quędam alia propositio à Caiet.eodem capite explicata,sed analogũ,absolutè prolatum stat, & supponit pro analogato priori. Cum itaquè Aristo.hanc propositionem,absolutè protulerit. (Cœlum est animatum) necesse est, vt intelligat de primo animato,quod est per animæ informationem,non autem de animato per aiæ assistentiam. Hanc eandem veritatem sequitur Commen. de substãtia orbis cap.primo. 2.de Cęlo.Com.61. 2 de Anima Comm.15. & 32. 8.Meth. Commen.12. 12. Meth.Com.36. Hanc doctrinam apertissimè docet D. Tho. 2.cont.gent.ca.70 ex quo etiam desumpsimus penè totas supradictas rationes, & secundo Cœli lec. 3. & 12. Meth. tex.25.

Secunda conclusio. Anima Cęli est intellectiua ad mentẽ Arist. Hec concl. ita demonstratur à D.Tho.2. con.gent. cap.70. Aristo.in 12 Meth.tex.36.ostendit mouens oĩno immotũ mouere, non desiderio concupiscentiæ, quod est sensus desiderium, verùm desiderio intellectuali, ita concludens. *Mouet autem sicut appetibile, & intelligibile. Hæc enim sola mouent, non mota*; ergo necessum est, Cœlum ab ipso motum moueri, vt intelligens,& desiderans motorẽ omninò immotũ;ergo huiusmodi anima intellectiua est.

Confirmatur primò. Nam Aristot. 2. de Anima,tex.29.ita scribit: *Quibusdã inest intellectiuum, & intellectus, vt hominibus, & si aliquid huiusmodi est actiuum,aut honorabilius.* Hæc Arist. Honorabilius autem ipsis hominibus, sunt substantię separatę,& corpora Cęlestia. Si itaq; corpora Cęlestia sunt animata, vt demonstratũ fuit, esse animata,eius anima erit intellectiua.

Confirmatur 2.Nam eodem lib. text. 32.subiungit Aristo.*Quibus,de numero corruptibilium, inest intellectus, insunt omnes aliæ potentiæ.* Arist.hoc dixit (vt ait D.Tho. tùm contrà gent. capit. citato, tùm in 2. de Anima lect. sexta, particula secunda, supra prædictum tex. vt daret intelligere,esse aliqua incorruptibilia,intellectum habentia,& non habere alias aię potentias;& huiusmodi sunt substantiæ separatæ, & corpora Cęlestia.Constat autem,Arist. in lib. de anima,& pręsertim in 2.de Anima informãte,sermonem habere. Hæc de primo.

Argumentum vnum contrà præfatam veritatem diluitur.

Cap. 51.

QVò ad secundum. Contrà hanc veritatem est vnum magnũ argũ,& valdè difficile,quod tale est. D.Tho.1.p.q.70.ar.3.docet, Arist. in 8.Physic.Animã primi mobilis, ipsi vniri,vt motorem. Hocque sufficere ad saluandum primum mouens,ex duabus partibus compositum,mouere seipsum,& verba D. Tho. sunt ista de Cęli anima loquendo. Ad hoc autem, quod moueat,non oportet, quod vniatur ei, vt forma,sed per contactum virtutis, sicut motor vnitur mobili. Vndè Aristo. in 8.Physi.postquam ostendit,quod primum mouens seipsum, componitur ex duabus partibus, quarum vna est mouens,& alia mota, assignans quomodo hæ duæ partes vniantur, dicit quod per contactum,vel duorum ad inuicem, si vtrumquè sit corpus, vel vnius ad alterum,& non èconuerso,si vnum sit corpus,& aliud non corpus. Verba autem Aristo. super quibus fundat se D.Tho. sunt ista. *Contacta autem utraquè ab inuicem,aut ab altero tantum.* Ex qua D. Thom. doctrina, & Aristote. verbis, duo colliguntur contra præsentem doctrinam; Alterum est, fundamentum tertium falsum esse. Nam tertium fundamentum astruit, omne mouens seipsum, ex duabus partibus compositum, quarum vna est mouens, & alia mota, esse animatum anima informante, quod quidem sun-

fundamentum desumptum fuit à Diu. Tho. secundo cont. gent. cap. 70. Doctrina autem Aristot. nunc citata iuxtà D. Tho. interpretationem primum mobile est mouens seipsum, & est in duas partes diuisum, secundum Aristot. in 8. Physic. vt patet ex primo fundamento, & tamen non est animatum anima informante, sed tantum anima assistente, contactuque virtuali, mouente; ergo nostrum primum fundamentum falsum est, vel falsa est doctrina Aristot. & D. Thom. nunc citata. Alterum est. Ipsam nostram primam conclusionem esse falsam, quoniam primum mobile seipsum mouet, & est duas in partes diuisum, in partem mouentem, & partem motam, & tamē eius motor nō est sibi coniunctus, vt forma, seu vt anima informans, ac per hoc, non habet informantis animæ rationem, sed est sibi coniunctus solummodo per virtualem contactum, quod idem dictu est, est ei coniunctus, vt motor tantum, ac per hoc se habet, non vt anima informans, sed vt anima assistens. Ad hanc dubitationem, quinque afferuntur responsiones à Thomistis, quæ plenè nō satisfaciunt; ideò adducemus nos sextam, quæ forte melius satisfaciet.

Prima responsio est Caie. 1 p. quæst. 70. art. tertio, & est. D. Thom. in prima p. melius dixit, quoniam, & posterius scripsit. Hæc responsio ità excluditur. Si D. Th. solummodo in cont. gent. docuisset, Cœlum esse animatum anima informante. Fortè hæc responsio dubitationem euacuaret; verum quoniam dixit etiam Cęlum esse animatum in 1. libro de Cœlo & Mundo nunc citato, quam expositionem (vt creditur) scripsit post primam partem suæ summæ, cum ipsos fuerit interpretatus in senectute. Idcircò hæc responsio falsa apparet. Subinde, licet hæc responsio tollat D. Tho. contradictionem, non tamē tollit contradictionem ipsius Arist. quę est. Aristot. in libro de Cęlo sustinuit, Cœlum esse animatum anima informante, vt compertum est, tùm ex proposita conclus. tum ex eius fundamentis. In octauo Physi. docuit, ipsum motorem vniri mobili, vt motorem per virtutis contactum; ex quo sequitur, motorem esse vnitum mobili, non vt animam informantem, verum vt animam assistētem per virtutis cōtactum, suum mobile tangens, & mouens, & in hunc deffectum, incedunt omnes aliæ responsiones, à Thomistis traditæ.

Secunda responsio est Caietan. loco citato. In rei veritate, Cœlum ad mentem Aristo. non est animatum anima informante, vt demonstrat D. Thom. in prima p. loco citato. Quod autem asseruit in contra gent. affirmans, Cœlum esse animatum, intelligitur, non repugnanter. Hæc responsio ità refellitur. Primò demonstratio D. Thom. est ostensiua, assumens propositiones Aristot. positiuas, non autem non repugnāter veras, vt ex fundamentis notum est; ex cōsequenti, ipsa Concl. erit positiua, non autem non repugnans tantum. Secundo D. Thom. arguit contrà Comm. deffendentē, substantiam spiritualem, scilicet humanam animam, non esse corporis formam actu. Si ergo D. Tho. vult Comment. opinionem destruere, necesse est, vt probet substantiam spiritualem, esse de facto, corporis formam, & ideò non sufficit probare, esse corporis formam, non repugnanter, quoniam, & Commentator fortè hoc non negauit.

Tertia responsio est Caieta. loco cita to. In cont. gent. docuit D. Tho. Cęlum esse animatum anima informante ad mentem Arist. In prima parte autem loquitur secundum propriam opinionem. Minimequè asserit, hanc suam opinionem esse Aristot. opinionem, sed tantum ex eius dictis, sibi deseruit. Hæc respōsio &c. pari modo, non satisfacit, primò licet D. Thom. contradictionem tollat, non tamen saluat Aristot. contradictionem, quoniam Aristo. ex vna parte, videtur asserere, Cœlum esse animatum anima informante, vt collectum

fuit

fuit tãtum in cõclusionibus, in funda-mentis;ex alia parte, videtur docere op positum,vt egregie demõstrauit D.Th. 1.p.loco citato.Deinde,opinio D.Tho. videtur destruere doctrinam Aristo.ab ipsomet,in cont.gent.capit.citato,addu ctã,& explanatã,quæ est. Omne mouens seipsum, & ex duabus partibus cõpositũ, quarũ vna &c. vt manifestũ est in tertio fundamento; esse aĩatum aĩa informante, & primum mobile esse hoc modo animatum, vt conspicuũ est in secunda propositione primæ rationis pro prima cõclusione, & hoc ad mentem Aristo.8 Phys.tex.40. vt declaratũ fuit in primo fundamento,ergo D. Th.doctrina Aris.doctrinã ĩ primo fundamento allatam destruit,& D Th. ex dictis Arist.sibi deseruit, Aristo.doctrinam destruentibus, & tamen Caietan. responsio non tollit huiusmodi repugnantias.

Quarta respõsio est Ferr. 2.con.gen. cap.70.& ista est.D.Thom.quia videbat Comment.ex verbis Aristot. superficie tenus intellectis arguere,intellectum esse,substantiam separatam, aĩamquè intellectiuã,nequaquam esse hominis formam,apud Arist.idcircò,& ipse D. Th. contrà ipsum vult ostendere,si ad verba tantũ Arist.respicere voluerimus,magis asserẽdũ erit,ipsum posuisse intellectualem substantiam,esse corporis formam, q̃ illud, vniuersaliter negare,cũ expresse posuerit,Cœlũ esse aĩatum,& non nisi aĩa intellectiua, ipsiquè conditiones rei aĩatę(quæ sunt mouere seipsum, differentiasquè positionis habere secundũ naturam) attribuerit. Hæc responsio ex litera D.Thom. exploditur. Nam litera D.Tho.ostendit Comment. non tantũ Aris.verba respexisse, verum etiã ipsius demonstrationem. Nã litera D.Tho. in principio capitis hæc est. Et quia Auer. maximè nititur, suam opinionem confirmare per verba, & demonstrationẽ Arist.ostendendũ restat &c.Eccè Comment.non tantũ Arist.verba inspexisse, verũ,& eius demonstrationẽ. Et re vera D.Tho.in illo capite citato, non tantũ (arguendo cõtrà Comment.) respicit verba verũ etiam, asumit sincerum, & intimũ sensum verborũ, & propositionũ Aristo. vt patet intuenti omnes text. omnesquè propositiones Arist. suis in locis,quapropter responsio satis friuola videtur.

Quinta responsio aliquorum Thomistarũ hæc est.D.Tho.post primã partem suæ Theologiæ libros de Cœlo interpretatus est,vt diximus in reprobatione primæ Caie.responsionis, idcircò,in melius sententiã mutauit,in lib.de Cęlo quam in prima par.habuit. Hæc responsio exploditur tãquam insufficiens,quoniã licet. D.Th.à contradictione saluet nõ tamẽ contradictionem Arist.saluat, vt assertum fuit,in expugnatione primę responsionis Caiet.

Sexta responsio, quę est nostra, talis est. Verũ est Aris. non deuenisse ad primũ mobile in 8.Phys. text.40 & 43.nisi ad primũ mobile seipsum mouens,duas in partes diuisum,quarũ vna,est mouẽs altera mota, quæ ita se habent, quod vel mutuò se tangunt,si ambæ magnitudinem habent;vel ita, vt altera tantũ pars ab altera contingatur, & non ècõuerso, quod erit,si pars mouens magnitudinẽ minimè habeat,quoniã quod est incorporeũ, potest quidem sua virtute corpus tangere, mouendo ipsum, non autem contingit à corpore tangi. Duo enim corpora,se inuicem tangunt;& hæc est D.Th. doctrina ab ipso explanata, tùm prima parte loco citato, tùm in expositione tex.43. 8.Physi.super illam particulam. Contacta, autem vtraquè ab inuicem, aut ab altero,alterum.Subindè Aristo.in 8.Physi.quasi in fine,determinauit partem mouentem,sine magnitudine esse. Ex qua determinatione, colligitur partem mouentem primi mobilis,tangere virtualiter partẽ motã, non autẽ ab ea tangi. Et Aris.in 8.Phys. solum ad hunc peruenit terminum,& nõ vltrà processit,vt excellentissimè D. Thom.in prima parte ponderauit. Cõtactus autem virtutis potest esse à forma, seu ab anima informante, vt docet D.Tho.

D.Thom.prima p.q.75.ar.1.ad 3.nec nō ab anima assistente,& mouente tātum, vt compertum est, Aristot. autem in lib. de Anima, locis citatis in 3. fundamento docet, primum mobile quod est magnitudo, à parte mouente tangi contactu virtuali à forma seu ab anima informāte producto. Deindè in lib. de processu animalium, in lib. de Cœlo, & in lib. de Anima locis citatis, Aristo. docuit omne mouens seipsum, duas in partes diuisum, quarum vna est mouens, contactu virtuali, producto ab anima informante, seu dante esse, & altera est mota, esse verè, & propriè animatum anima informante. Hocque principium nūc manifestatum est ex ratione, seu diffinitione diffiniti, quod est animatum propriè. Ex omnibus istis, saluamus, & D. Thom. & Aristot. à contradictione. Saluamus quidem D. Tho. à contradictione, hac ratione, affirmantem in 1. p. Cœlum non esse animatum anima informante, ibi locutus est secundum propriam opinionem. In secundo contr. gent. sermonem habuit de Cœli animatione ad mentem Aristot. vt in vtroquè loco conspicuum est; A contradictione autem Arist. saluamus; quandoquidem verum est, Aristo in 8. Physic. text. 43. deuenisse ad primum mobile mouens seipsum, duasquè in partes diuisum, quarum altera est mouens, & altera mota, & partem mouentem, tangere partem motam contactu, vel quantitatiuo, vel virtuali. Deinde, quasi in fine, libri 8. determinauit, mouenté partem esse sine magnitudine, ac per hoc tangere partem motam tantum virtuali contactu, non determinās an iste contactus virtualis, esset ab anima informante, vel tantum assistente, mouenteque solummodo contactu virtuali, quoniā ibi, nō erat locus. Et hoc est, quod D. Thom. 1. parte, explicat, non tamen excludit, partem mouentem mouere partem motam virtuali contactu, ab anima informante, producto, at indistinctè locutus est. In libris autem de processu animalium, de anima, & de Cœlo, locis adductis, in tertio fundamēto determinauit, hanc partē primi mobilis seipsum mouentis, tangere partem motam, virtuali contactu, ab anima informante, emanato, & ità nulla est contradictio inter asserta ab Aristo. cum nulla sit contradictio, determinare aliquid indistinctè, & incompletè, in aliqua facultate (cum ibi non sit opportunitas, & locus aliter determinandi.) In alia autem facultate, eam determinare distinctè, & completè, cum non sit opus, omnia in vna facultate in vnoquè loco, determinare, præsertim, quando multa præsupponuntur determinanda, non in illo loco, sed in alijs.

Nouem alia argumenta contrà præfatam veritatem diluuntur. *Cap. 52.*

EST aliud argumentum contrà præfatam veritatem, ex propositionib. Arist. desumptum, & est tale. Docet Aristot. 8. Physic. tex. 51. moto corpore, mouetur, & quod est, in corpore, at si primum mouens, quod Aristo. dixit esse partem, seipsum mouentis, est forma eius informans, est in corpore, cum sit eius forma, ergo primum mouēs, quod est pars mouēns seipsum, mouetur, vel per se, vel per accidens. Conclusio est contrà Aristot. 8. Physic. text. 52. asserentē; *primum mouens, quod est pars mouentis seipsum, non moueri per se, nequè per accidens;* ergo altera præmissarum est contra Aristo. non maior, cum sit Arist. tex. citato, ergo minor, quæ est positio nostra, non potest itaquè sustineri, ad mentem Aristo. Cœlum esse animatum anima informante.

Ad hoc Argumentum Ferr. 2. contr. gent. cap. 70. dat tria responsa. Duo prima in responsione ad septimum argumentum in ordine argumētorū, in principio difficultatis, à se ipso motę. Tertiū autem responsum in responsione ad octauum argumentum.

Primum

Primum responsum. Concedit Ferrar. totum argumentum, & ideo negat falsitatem consequentis de mente Aristo. & sustinet omnes motores orbib. suis applicatos. Si sunt formæ informãtes moueri per accidens pp argumẽtum adductum, qm̃ sunt in orbib. tanq̃ eorũ formæ, & per Arist. vt asserit prima propositio argumẽti,s. quod est in aliquo corpore mouetᵘ ad motũ ipsius corporis, vel per se, vel per accidens. Quando autem Aristotel. affirmat, primum mouens, quod est pars mouentis, non moueri per se, nec per accidens, non intelligit de mouente applicato per modum formæ, sed de mouente per modum finis, cuiusmodi est motor omnino separatus Deus opti. Max. Et hanc suam expositionem, ꝓbat per Aristot. duodecimo Met. text. 48. & per expositionem D. Thom. tùm supra illum tex. tùm de spiritualibus Creaturis articulo quinto, quo in loco docet D. Th. omne quod est corpus, vel qđ est in corpore esse mobile vel p se, vel per accidens; Soli autem motori omninò à corpore separato (qui est finis primus omnium motuum Cœlestium) conuenire non moueri per se, nec per accidens. Hæc responsio, huncin modum refellitur. Nam vt patet ex serie text. Aristo. in octauo Physic vt ponderauit D. Thom. p. cont. gent. cap. 13. in toto libro octauo, & in tota Philos. naturali, & ex D. Tho. interpretatione super illis text. non deuenit Aristotel. nisi ad primum motorem, qui est pars alicuius mouentis se ipsum, vt etiam fatetur ipsemet Ferra. in sequenti responsione; quapropter necesse est vt fateamur; dum Arist. dixit in tex. 52. primũ mouẽs nõ moueri per se, nec per accidẽs locutum fuisse, nõ de motore oĩno separato mouente per modum finis vltimi, omnia corpora cœlestia, sed de motore applicato primo mobili, tanquam pars mouens, & tanquam anima ipsius informans, vt in præcedenti capite ostensum fuit ad mentem Aristote. Et ad id quod dicit de D. Tho. respondemus ipsum nullum verbum protulisse in octauo Physic. & præsertim in expositione tex. 48. contrà sententiam nostram. Et ad id, quod dicit de spiritualibus Creaturis, respondemus D. Tho. non loqui de motore orbi applicato, quando asseruit primum motorem esse finem omnis motus Cœlestis, sed de motore omnino separato, inuestigato in duodecimo Met. non autem in octauo Physic. Ad id autem quod dicit omne corpus, vel quod est in corpore moueri, vel per se, vel per accidens, locutus est de eo quod est in corpore moto de loco ad locum, vt in hac responsione nos explicabicamus ad mentem D. Th.

Secundũ respon sum Ferr. est. Quoniam Arist. in 8. Physic. nondum inuestigauerat, substantiam intellectualem omnino separatam per modum finis, & appetibilis mouentem, & hoc erat inuestigandum 12. Meth. ideò de ipsa substantia, quæ est pars seipsum mouentis loquitur sicut de prima substantia omnino separata, quæ est simpliciter prima, & ipsi substantiæ, quæ est pars, seipsum mouentis attribuit proprietates, & conditiones primæ substantiæ simpliciter, & absolutè; cum tamen secundum veritatem ei non conueniant. Cum ergo hæc sit vna primi motoris absolutè conditio, vt non moueatur per se, nec per accidens, attribuit eam Aristot. motori, qui est pars seipsum mouentis, cum tamen secundum rei veritatem minimè ei competat. Hęc responsio ita exploditur; quoniam est manifestè contrà sensum, & verba Aristotel. quoniam Aristote. vult (vt patet in text. 52 8. Physi.) primum motorem partem mouentis non moueri per se, nec per accidens hac ratione; quia mouet motu sempiterno. Tũc subsumitur alia propositio, cõtr. Fer. sed primus motor pars se ipsũ mouẽtis mouet motu sempiternò scdm Aristo. ergo scdm Aris. in 8 Physi. primus motor pars, seipsum mouẽtis nõ mouetᵘ per se, nec per accidẽs, scdm rei

veritatem, ad mentem Aristot. ergo falsum est dictum Ferrar. asserentis, non moueri per se, nec per accidens, non esse conditionem primi motoris, qui est pars seipsum mouentis.

Tertia Ferr. responsio ista est. Motorem alicuius corporis moueri per accidens contingit bifariam; vno modo, vt ille motor simpliciter moueatur, illo motu locali, quo mouet corpus, nulla tamen fiat in ipso variatio in ordine ad corpus, sed semper eodé modo se habeat ad illud, & semp in eadé maneat dispositione inter se; alio modo contingit motorem alicuius corporis per accidens moueri, vt motu corporis à se moti, si moueatur per accidens, vt etiam varietur eius dispositio, ad corpus, ità. quod aliter, & aliter se habeat ad corpus sicut accidit in animalibus; ex motu enim corporis, anima aliter, & aliter se habet ad corpus; ex eo quod corpus ex motu locali; aliquo modo alteratur Phylos. ergo vult vt motor qui motum causat perpetuum, non moueatur per accidens secundo modo; nó auté repugnat eius intentioni, quod moueatur per accidens primo modo; licet velit, de primo motore simpliciter, quod nullo modo, moueatur. Ex qua responsione vult Ferr. illam propositionem text. 52. 8. Physic. scilicet, primum mouens, quod est pars seipsum mouentis, non moueri per se, nec per accidens, esse intelligendam de motore, quod ita mouetur per accidens, vt varietur eius dispositio ad corpus, non autem de moueri per accidens, nulla facta variatione in ipso motore, in ordine ad corpus. Hæc responsio è diametro repugnat doctrinę D. Thom. prima parte quæstion. 50. artic. tertio ad tertium, & primo sent. d. 37. q. quarta articulo primo ad quartum, & secundo sent. d. 8. quæst. primâ articulo quarto ad quartum; vbi Diu. Thom. vult, motores orbium cęlestium in ipsis orbibus existentes non moueri per se, nec per accidens, & tamé motor orbis cœlestis nullam in se habet variationem in ordine ad corpus, verum semper eodem modo, se habet ad illud, & ipsi motores semper in eadem manent inter se dispositione.

Quarta itaquè responsio desumpta ex doctrina D. Thom. locis proximè citatis hæc est. Illa propositio 8. Physi. tex. 51. Moto corpore mouetur & quod est in corpore; vera est secundum Diu. Thom. sententiam locis citatis, quando corpus motum secundum se totum mutat locum, non autem vera est quando corpus motum secundum se totum non mutat locum, dato; dispositionem motoris existentem in ipso motore, non secundum se totum variari in ordine ad corpus: vt patet de anima nostra existente in corpore, & tamen non mouetur per se, nec per accidens ad motionem corporis, non secũdum se totum, sed secundum partem; vt quando manus corporis moti mouetur, anima non mouetur per se, nec per accidens; modo autem conspicuũ est omnia corpora cęlestia, dum mouentur motu locali circulari, non mutant, secundum se tota locum; quo circà secundum doctrinam D. Thom. omnes motores corporum cęlestium constituto ipsos esse formas, seu animas informantes non mouentur per se, nec per accidõs; & hanc responsioné sequutus est Ferr. in 8. Physic. quæstion. 12. in respon. ad primum argumentũ, veruntamen contra hanc nostram responsionem videtur esse Aristot. octauo Physic. text. quinquagesimosecundo, iuxtà D. Thom. interpretationem affirmans, intelligentias orbium (excepta primi orbis intelligentia) moueri per accidens. Respondemus ex text. Aristot. & ex D. Thom. interpretatione, nec non ex doctrina eiusdem D. Th. de spiritualibus Creaturis articu. sexto, in responsione ad nonum: duobus modis contingit aliquid moueri per accidens, vno modo denominatione intrinseca, alio modo denominatione extrinseca. Per accidens moueri

ri deminatione intrinseca est, esse subiectum motus ad motionem alterius, quo pacto animæ animalium corruptibilium mouentur per accidens denominatione intrinseca, ad motionem suorum corporum, quia sunt subiecta ipsorum motuum, licet non per se, sed per corpus. Moueri autem per accidens denominatione extrinseca, est quia ipsa anima nullo pacto est subiectum motus, verùm suum mobile ab alio mouetur, & non tantum ab ipsa anima propriè mouetur, ipsa tamen anima nullo pacto est subiectum motus, etiam per accidens. Suum autem mobile est subiectum motus per se, inquantum mouetur à propria intelligentia, seu anima, & per accidens, inquantum mouetur ab alio motore: Facta ista distinctione, respondemus. Intelligentia primi orbis non mouetur per accidens intrinsecè, nec extrinsecè. Intrinsecè quidem non mouetur per accidens ratione assignata in responsione, nec etiam per accidens extrinsecè, quia suum mobile à nullo alio motore mouetur; cum primum mobile tantum motu proprio, producto à sua intelligentia moueatur ab oriente in occidens. Intelligentiæ, seu animæ aliorum orbium non mouentur p accidens denominatione intrinseca; & hoc pacto intelleximus in responsione ad mentem Aristo. & D. Thom. mouentur tamen per accidens denominatione extrinseca, quia sui orbes mouentur, non solum à suo motore, seu à propria intelligẽtia, vel anima; verum etiam ab anima, seu intelligentia primi orbis: idcircò omnes orbes iferiores, à primo orbe motu proprio, mouẽtur à propria intelligẽtia ab occidente ad oriens, & mouentur etiã motu non proprio, sed motu primi orbis ab oriente ad occidens, & iste motus appellatur motus per accidens, seu per aliud, & subiectiuè est tantum in ipso orbe, ac per hoc huiusmodi orbis dicitur per accidens moueri denominatione intrinseca, sua autem intelligentia dicitur moueri per accidens tantum denominatione extrinseca, sicut lapis dum videtur dicitur videri extrinseca denominatione, quia visio non recipitur in lapide, sed in visu.

Tertium argumentum. Si Cœlum est animatum anima informante, ergo Cœlum est corpus organicum, hoc autem est falsum, cum hoc eius simplicitati repugnet. Sequela probatur ex diffinitione animæ. Nam anima est actus corporis Physici organici.

Respondetur. Corpus organicum bifariam sumi posse, vno modo, pro corpore habente diuersa organa, complexione, situ, & figura distincta, alio modo pro corpore ad animam, & operationes animæ disposito, vt nihil aliud sit corpus organicum, quam corpus vitam in potentia habens, vt Philosophus videtur in secundo de Anima explanare, siuè habeat diuersa organa, & membra officialia, siuè non habeat. Si primo modo volumus in Animæ diffinitione organicum corpus accipere, vt multi interpretes accipiunt, eo quoniam sustineant, Cœlos non esse animatos, tunc sequelam inficiamur, & ad eius probationem, affirmamus illam animæ diffinitionem, aut tantum rerum animabus corruptibilium conuenire, Aristotelisquè tantummodo assignauisse diffinitionem animę conuenientem animabus rerum corruptibilium, vel illam animæ diffinitionem conuenire omni animæ non vniuocè, sed analogicè, & ità non oportet, Cœlum esse corpus organicum, eo modo, quo inferiora corpora; verùm suo modo proportionaliter, quia secundo modo, organicum est. Si autem secundo modo, organicum in animæ diffinitione accipiatur, tunc conceditur corpus Cœleste esse organicum, nec hoc eius

vniformitati, & simplicitati repugnat. Potest secundo responderi, Cœlum habere organorum diuersitatem, non quidem secundum complexionem & varietatem distinctorum membrorum, vt in animalibus contingit, verum secundum rarum & densum, eo modo quo rarum, & densum in Cœlo inuenitur, scilicet, secundum maiorem, aut minorem partium congregationem, non autem secundum contrarietatis differentiam vt docet D. Tho secundo Cœli lect. decima, in fine, & secundum hanc diuersitatem in Cœlo diuersæ sunt virtutes, respectu horum inferiorum, inquantum per illas partes anima Cœli in hæc inferiora agit diuersa.

Quartum argumentum. Si Cœlum esset animatum anima informante, sequeretur Cœlum, aut saltem inferiores spheras tres habere motores, scilicet Deum, intelligentiam, & animam: sed hoc est contra Commentatorem 12. Met. Commẽ. quadragesimoprimo, affirmantem Cœlum tantum duos habere motores.

Respõdetur, negãdo falsitatẽ cõsequẽtis, quidquid dicat Commentator, quoniam nullum est inconueniens apud Aristo. inferiores spheras, tres motores habere, vnum scdm rationem, quid est simpliciter, primus motor, & duos appropriatos quorum vnus mouet, vt anima, alter vero vt proprius finis.

Quintum Argumentũ. Sequeretur, Cœlum posse naturaliter ex se quiescere, hoc autem est contrà Philo. sequela suadetur, quoniam anima per appetitum mouet.

Respondetur. Bifariam, primò de Cœli motu duobus modis possumus loqui, vt colligitur ex D. Thom. libro tertio, contr. gent. capit. 23. vno modo ex parte motoris, alio modo ex parte substantiæ Cœli. Primo modo Cœli motus voluntarius est, secundo autem modo naturalis est. Idcircò ex motoris parte absolutè loquendo Cœlum quiescere posset, non autem ex parte ipsius substantiæ Cœli, & ità intellexit Philosoph. Secundo, respondetur. vt colligitur ex Arist. vndecimo, Met. text. trigesimooctauo, & ex D. Thom. ibidem, licet necessitas motus Cœli nequaquam absoluta necessitas sit, cum Cœlum seipsum moueat, & omne tale in seipso moueri, & non moueri habeat, est tamen necessitas ex suppositione, quæ est finis necessitas, quatenus absquè talis motus perpetuitate, ordo ad finem non esset conueniens, inquantum per motum ad Deum assimillatio intenditur, quocircà minimè inconueniens est, asserere secundum Aristotel. mentem, Cœlum, inquantum animatum est, posse absolutè ex se quiescere, licet ex suppositione, & ex finis necessariò moueatur.

Sextum. Si Cœlum esset animatum anima informante, tunc omnes Aristotel. demonstrationes ad probandum primum motorem omninò immobilem cessarent; quoniam aduersarius responderet, non oportere motorem omninò separatum dari; quoniam Cœlum cum sit animatum mouet seipsum, & diuiditur in partem mouentem, & partem motam, vt cætera animalia; & ideò non oportet dari alium motorem omninò separatum.

Respondetur, negando sequelam; qm̃ licet ponatur Cœlum, in partem mouentem, & partem motam diuidi; veruntamen præter motorem, qui est pars mouentis seipsum necesse est alium motorem omnino separatum dari, qui per modum appetibilis moueat & ad mentem Aristotel. vt nos deducemus in tertio libro huius facultatis capit. quinto ex. 12. Met. text. 36. & sequentibus.

Septimum. Si intelligentia quę mouet Cœlum, anima Cœli esset, tunc in Cœlo situm determinatum minimè haberet, verum esset tota in toto Cœlo, tanquàm in subiecto adæquato, vt conspicuum est de intellectiua anima, quæ

totum

totum corpus, pro subiecto adæquato habet; hoc autem est contrà Aristotel. octauo Physic. text. 84. asserentem, intelligentiam, quæ Cœlum mouet, in eius circumferentia sedem habere.

Respon. proculdubio, Intelligentia, quæ est Cœli anima, situm determinatum in Cœlo secundum suæ substantię determinationem, ad vnam Cęli partem minimè habet. Quod autem asserit Aristotel. ipsum esse in circumferentia, intelligitur secundum Diu. Thom interpretationem eo loci, per motus influentiam, & non per suæ substantię determinationem.

Octauum. D.Tho.in quæst.de spiritualibus Creaturis articulo sexto docet, intelligentiam corpori cœlesti vnitam, vniri ipsi mobili tanquam motorem, non autem tanquam formam dantem esse; & verba D. Thom. in corpore ista sunt. Aliæ (scilicet substantię) vniuntur corporibus cęlestibus per modum quo motor vnitur mobili: & hoc videtur sufficere ad saluandam intentionem Platonis, & Aristot. De Platone quidem manifestum est: Plato enim sicut supradictum est, etiam corpus humanum, non dixit aliter animatum, nisi inquantum anima vnitur corpori vt motor. Ex dictis verò Aristotel. manifestum est, quod non posuit in corporibus cœlestibus de virtutibus animæ nisi intellectiuam. Intellectus verò secundum ipsum nullius corporis actus est. Hæc Diu. Thom.

Respondetur, vt alij Thomistę respõdent ad consimiles auctoritates. Diu. Thom. melius scripsisse in libris de Cœlo, quos in senectutæ interpretatus est, quam in alijs locis, & præcipuè, in quæstione allegata, in quibus sustinuit sententiam oppositam. Hæc quò ad secundum principale.

Recitantur rationes pro vtraquè parte circa animationem Cœli. Cap. 53.

QVò ad tertium principale, in quo disputandum est, an secundum principia Philosophię naturalis Cœlum sit animatum anima informante, an anima assistente solum; & quoniam institutum nostrum, est vtramquè sequi opinionẽ; idcircò ità procedemus. Primò adducemus rationes suadentes Cęlum esse aĩatum aĩa informante: Secundò adducemus rationes suadẽtes, Cœlum esse animatum tãtum anima assistente, seu mouente tm̃. Tertiò rõnes vtriusq; partis diluemus.

Quò ad primum. Rationes suadentes Cęlum esse animatũ anima informante sunt sex, quarum prima hæc est. Nobilioris corporis nobilior est forma; sed corpus Cœleste est corporum nobilissimum, & anima est formarum nobilissima: si ergo reliqua corpora inferiora, sunt animata anima informante; multò magis Cęleste corpus erit animatũ anima informante.

Secunda. Aut in corpore humano, est alia forma substantialis præter animam rationalẽ, quæ dat esse corpori, aut non: si non, sed ipsa anima dat esse substantiale corpori: cum anima sit nobilissima formarum, sequitur quod forma, per quã corpus humanum est corpus, sit nobilior, quàm forma per quam corpus cœleste est corpus. Si autem sit alia forma substantialis dans esse corpori, præter animam rationalem, manifestum est quod per illam formam corpus humanum sit rationalis animæ susceptiuum: quod autem est perfectę bonitatis susceptiuum est melius eo, quod non est susceptiuum, vt dicitur, secundo de Cęlo, & Mundo. Si ergo corpus Cęleste non est animæ rationalis susceptiuũ, adhuc sequitur, qđ forma per q̃ corpus humanũ est, nobilior est q̃ forma, per quã Cęleste corpus est corpus; quod videtur inconueniens.

Tertia perfectio vniuersi requirit, vt nulli corpori denegetur id, ad quod naturaliter inclinatur, omne autem corpus naturalē habet inclinationem, ad id, quo indiget ad suā operationem operatio autem propria corporis Cœlestis est motus circularis, ad quam indiget spirituali substantia. Non enim hic motus aliquam formam corporalem consequi potest, sicut motus grauium, & leuiū, quia oporteret, quod motus cessaret, cum perveniretur ad aliquod vbi determinatum, sicut accidit in grauibus, & leuibus: hoc autem est falsum, relinquitur ergo quod corpora cęlestia habeant substantias spirituales sibi vnitas: ergo sunt formæ corporum.

Quarta ratio. In quolibet genere, quod est per se, priùs est eo, quod est per aliud, sed Cęlum est primum in genere mobilium, ergo est per se motū tanquam mouens seipsum; omne autem mouens seipsum diuiditur in duas partes, quarum vna est mouens per appetitum, vt anima; alia est mota vt corpus, ergo corpus cęleste est animatum anima informante.

Quinta. Nihil agit vltrà suam speciem effectus enim non potest esse sua causa potior, sed substantia viuens est melior non viuente, cum ergo corpora Cœlestia vitam causent in animalibus maximè ex putrefactione generatis, videtur quod corpora Cœlestia viuant, & sint animata anima informante.

Sexta perfectior est actio quam quis agit per coniunctum instrumentum, quam per separatum instrumentum; sed substantia separata habet actionem longè nobiliorem operatione animæ nostræ, ergo si anima nostra producit suas actiones corporales per corpus, tanquam instrumentum sibi vnitum per informationem, multò magis substantia separata debet producere suum motum localem corporalem, per corpus sibi coniunctum per informationem. Hæc quò ad primum.

Quò ad secundum in quo ponendæ sunt rationes, corpus cœleste non esse animatum anima informante suadentes, sed tantum anima assistente, seu mouente; quæ sunt duæ, quarum prima hæc est. Si Cęlum est aiatū aīa intellectiua tantum, non autem sensitiua, & vegetatiua, vt nunc supponimus; aut ipsa anima intellectiua orbi propter operationem intellectiuam vnitur, aut propter motum; non primum, quia cum intellectio sit operatio cui non communicat corpus, intellectus non indiget corpore, nisi inquantum ei, per sensus ministrantur phantasmata: operationes autem sensitiuę cęlestibus corporibus minimè conueniunt: in quibus sensuum organa minimè reperiuntur. Non etiam secundum, tùm quia ad hoc vt moueat, nō oportet, vt orbi tanquam forma dans esse, vniatur, sed sufficit vnio per virtutis contactum, vt probatur 8. Physic. text. 43. tùm quia suum mouere nihil aliud est, quam suum intelligere, & velle, vt docet Commen. 12. Met. Commenta. 36. affirmans corpora Cęlestia esse animata, & de Animæ virtutibus non habere nisi intellectum, & virtutem desideratiuam, quæ mouet in loco.

Secunda. Si Cœlum est animatum anima intellectiua informante, aut talis vnio est propter bonum materiæ, aut propter bonū formæ, sed neutrū istorū affirmari potest: non quidē primum, cū forma non sit propter materiam, sed è conuerso materia est propter formā, vt affirmatur secundo Phys. tex. Com. 25. Non propter secundū quandoquidē, si ista vnio propter formæ bonum esset, hoc maximè foret pp eius operationes intelligere, & velle verū nec id dici pōt, quoniā anima separata perfectius intelligit, & vult quam coniuncta; nec etiā propter motum, vt in prima ratione assertum est. Hæc quò ad secundum.

Respondetur præfatis rationibus vtriusque partis. Cap. 54.

QVò ad tertium. Cum prouinciā sum pserimus, vtrāq; partē sustinere respodendū est, vtriusq; Partis rationibus eo ordine, quo fuerūt propositæ: Ad primam itaquè rationē suadentem informationē substantiæ separatæ. respon. ex doctrina D. Tho de spiritualib. Creaturis ar. 6. & ex D. Th. 1. p. q. 3. ar. 1. & ex Caiet. eo loci, si Cælum non est aīatū aīa informante, vt in istis rōnib. sustinemus, asserendū est, Cęlū posse trifariā cōsiderari; vno mō in gn̄e entiū, alio modo in gn̄e corporū. Si corpus cęleste cōsideretur in gn̄e corporū, corpus cœleste est nobilissimum corporū; quoniā eius forma est nobilissima formarū in genere formarū pręcisè: quoniam forma corporis cęlestis perficit totam materiæ cęlestis potentialitatem, vt non remaneat in ea potentialitas aliqua ad aliam formam substantialem, qua nobilitate carent omnes formæ generabilium, & corruptibiliū, & etiam anima intellectiua ista nobilitate caret. Si autem consideretur corpus cęleste in genere entium, & in genere viuentium, corpus Cęleste est ignobilius quocunquè ente viuente, & etiam est ignobilius formica, vt colligit ex D. Th. 1. p. & Caie. loco citato: Tunc ad argm̄ formaliter respondendo, dicitur ad singulas propositiones. Nobilioris corporis nobilior est forma, sic intelligitur, nobilioris corporis nobilior est forma, intelligitur ista propositio pręcisè in genere corporum, & pręcisè in gn̄e formarum: tunc negatur minor propositio subsumenda, scilicet, quod anima intellectiua sit nobilissima formarū pręcisè, cum nō perficiat totā potentialitatem materiæ horum inferiorū, licet sit nobilissima formarū in genere entiū, & in genere viuentium. Potest secundo responderi; admittendo maiorē propositionē, scilicet nobilioris corporis nobilior est forma, negando autem corpus cęleste esse nobilissimum corporū absolutè, & indistinctè; quoniam corpus cęleste, licet sit nobilissimū in ordine corporum, attamen non est nobilissimum corporū in genere entiū viuentium, cum formica hoc modo sit ens simpliciter nobilius, quam Cœlum.

Ad secundam: dicitur in corpore humano non esse aliam formā substantialem præter animā intellectiuā, quæ dat corpori esse substantiale: & cum arguitur, ergo cum anima sit nobilissima formarū, sequitur formam per quam corpus humanum est corpus, esse nobiliorem, quam forma per quam corpus cęleste est corpus: hoc autem est inconueniens. Resp eadē respōs quò ad primū: Aiam ōnalē esse nobilissimā formarum in gn̄e entiū, & in gn̄e viuentiū; & corpus humanū eē longè nobilius corpore Celesti in genere entiū, & viuētiū. Formam autē cęli esse nobiliorem anima humana, non simpliciter, sed tantum in genere formarum pręcisè, corpusquè cęleste, in genere corporum pręcisè esse longè nobilius corpore humano, modo explanato in respons. ad primum.

Ad tertiā. Admittitur totū argm̄ excepta vltima cōsequētia: Cōcedimus qdē corpora cęlestia hēre substātias spirituales sibi vnitas, at negamus eē vnitas p informationē, verū vnitæ sūt p assistētiā.

Ad quartā Similiter negamus vltimā cōsequentiā: Concedimus quidē, omne mouens seipsum diuidi in duas partes, quarū vna est mouens per appetitum, vt anima, & alia est mota vt corpus, nō tamen sequitur, ergo corpus Cęleste est animatū aīa informante; sufficit enim esse animatum anima assistente.

Ad Quintā dicimus; corpus Cęleste, inquantū mouetur à substantia spirituali, est eius instr̄m, & ità mouetur in virtute substātię spiritualis ad vitā causandā in istis inferiorib. sicut serra agit in virtute artis ad conficiendā artē. Et formaliter r̄ndendo ad argm̄ dicimus primò ad illā ꝓpositionē primā. Nihil agit vltrà suā speciē, esse ita intelligēdā: Nihil agit vltrà propriam speciem virtute propria, aliquid tamen potest agere

virtute aliena superiori, vt instrumentum agit virtute agentis principalis, & ità corpora cœlestia inanimata causant vitam in animalibus, non virtute propria, sed virtute substantiæ spiritualis, quæ est longè nobilior omnibus animalibus.

Ad sextam Respondetur negãdo hãc cõsequentiam; ergo sicut anima humana habet instrumentum coniunctum per informationem, ita, & intelligentia debet habere corpus cœleste sibi vnitum per informationem; quoniam satis est, ipsam intelligentiam habere corpus, sibi vnitum per assistentiã Hæc quoad solutiones rationum cœlum esse animatum suadentium anima informante.

Superest respondere ad rationes persuadentes cœlum non esse animatum anima informante, sed anima assistente, & mouente.

Ad primam itaque rationem, quæ est D.Th. prima p. q. 70. art. 3. Respõdet idẽ D.Th. in quæst. 10. de Anima ar. 8. ad tertium, & in secundo de cœlo lect. 3. intelligentiam cœlesti corpori vniri, vt formam dantem esse, seu informanẽ, propter motum, & actionem, non quidem simpliciter, quoniam & absquè tali vnione posset agere, & mouere; vt probat argumentum: Verùm, propter actionis nobilitatem; etenim spiritualis substantia, quæ determinata est ad cœli motũ, quẽ sine aliquo labore mouet, nobilius operatur, & agit per cœli motum, si ipsa intelligentia cœlo secundum esse vniatur, quam si sit ab eo separata, cũ perfectior actio sit, qua quis per instrumentum agit coniunctum, ea qua per instrumentum separatum agit. Ad primam probationem dicitur, licet non sit necesse ad hoc, vt intelligentia simpliciter orbem moueat, illi vniatur tãquàm forma dãs esse, verum sufficiat vnio per virtutis cõtactum: veruntamen vt nobiliorẽ agat operationem, necesse est, vt ipsi orbi vniatur tamquàm forma dans esse, vt docet D.Th locis citatis. Ad secundam probationem bifariam respõ. Primò, licet mouere intellectualis substantię, per imperij modum sit tm̃ velle, & intelligere, non tamen mouere per modum executionis est tantum intelligere, & velle, verum est mouere per motum, quoniam motus in cœlo ab intelligentia causatus, quatenus est à voluntate ipsius intelligentiæ, (mediante quo, hæc inferiora causat) est executio ipsius intelligentiæ; quapropter falsum est, mouere ipsius intelligentiæ nihil aliud esse quàm suum intelligere, & velle absolutè, & formaliter. Secundò respondetur. Quocunque modo accipiatur mouere, scilicet, aut per modum imperij, aut per executionis modum, non ponitur in ipsa intelligentia potentia motiua, aut actiua ab intellectu & voluntate distincta; & in isto sensu intelligendus est Commemorator. Verùtamen, licet mouere intelligentię per modum executionis sit à voluntate & intellectu, & intelligentia non habeat virtutem motiuam ab intellectu & voluntate realiter distinctam, at ratione tantum: vnitur tamen intelligentia cœlesti corpori vt forma, propter actiuæ virtutis executionem, scilicet vt illa sit perfectior executio; idcircò illius rationis sequela nullam habet vim, scilicet mouere intelligẽtię per modum imperantis, & eius motus est intelligere, & velle; ergo non vnitur corpori, propter motum; quoniam licet intelligere, & velle (quæ actiones sunt immanẽtes) vt sic, corpore non indigeant, cui vniatur intelligentia vt forma: ipsa tamen operatio transiens, siuè actiuæ virtutis executio, (quæ à voluntate prouenit) ad sui maiorem perfectionem, indiget, vt intelligentia sit corporis forma.

Ad secundam de facili respõdemus, intelligentiam vniri corpori propter bonum ipsius intelligentiæ, scilicet propter nobiliorem eius motum, & ad improbationem iam responsum est.

Ex omnibus istis duo colligimus. Alterum. Hæc difficultas: An cœlum sit animatum anima informante, seu dante

te esse, an anima assistente, est problema neutrum in doctrina D. Th. sustinentis vtramque partem, & soluentis rationes vtriusq; partis, vt fecit in quæstione de spiritualibus Creaturis arti. sexto: & etiam in quæstione de anima artic. octauo, in responsione ad tertium argumentum soluit rationem cōsectam à D. Th. parte prima, qua probabat, cœlum non esse animatum anima informante.

Ex qua solutione colligitur, hác quæstio. f. an cœlum sit animatum &c. esse problema neutrum in doctrina Diu. Thom. Et hanc sententiā sustinet Ferr. secundo cōtra gen. capit. septuagesimo.


Alterum est. Si vna opinio sustineret; cœlum esse animatum anima informante, seu dante esse: altera verò opinio sustineret, cœlum esse animatum anima mouente tantum, nulloquè modo, ipsi cœlo coniuncta, sed omninò ab ipso separata, maximum discrimen esset inter istas duas opiniones, at de ista opinione nullus factus fuit sermo; si autem ista altera opinio sustinet, cœlum esse animatum anima assistente, ipsi cœlo coniuncta, nulla, aut modica dissonantia est, inter istas duas opiniones, vt docet Diuus Thom. de spiritualibus creaturis ar. sexto, quoniam vtraquè opinio ponit, intelligentiam esse corpori cœlesti vnitam, nulloquè modo secundum suam substantiam ab ipso corpore cœlesti separatam, ac per hoc fieri vnum tertium in vtraque opinione, compositum ex substantia intelligentiæ, & ex ipso corpore cœlesti: est tamen aliqua differentia, licet parua, quoniam opinio sustinens cœlum esse animatum anima informante, ponit, ipsum cœlum habere suum esse substantiale ab ipsa intelligentia tamquàm ab eius forma substantiali; sicut omne compositum substantiale, & præsertim animatum, habet suum esse substantiale à sua forma substantiali, & animatum compositum suum habet esse substantiale ab ipsa anima. Opinio autem sustinens cœlum esse animatum, tātū anima assistente, non ponit, cœlum habere esse substantiale ab ipsa intellig assistēte, sed habere suū esse substantiale à forma corporeitatis cœlestis: quod esse substantiale corporeum supponitur ab ipsa intelligentia assistente, & mouente.

Libri Primi Finis.

THEOLOGIÆ ARISTOTELIS LIBER SECVNDVS.

Auctore Fratre Hieronymo Caprędono Soncinate Sacræ Theologiæ Magistro Ordinis Prædicatorum.

DE SVBSTANTIIS SEPARATIS Ad mentem Aristotelis.



Substantias separatas sempiternas dari ad mentem Aristotelis demonstratur. Cap. Primum.



POST cõsiderationem Animę humanę separatę, cęlestiumq; corporum ad mentẽ Aristo. cum substantiæ separatę ĩ nostra cognitione, à posteriori procedente, istam sequãtur speculationem; iure optimo nunc agendum est de substantijs separatis, seù de intelligentijs ad ipsius mentem. Et quoniam quæstio an est, omnem aliam præcedit quęstionem, ideò primò omnium ostendendum est, substãtias separatas sempiternas dari ad ipsius aures.

Hocquè ostẽditur ab ipso 12. met. tex. 29. supposito primò vno quod est tale, motus, & tempus sunt sempiterna; quod est ꝓbatũ ab ipso 8. physic. tex. 4. & seqq. & ad hoc ꝓbãdũ, primò supponit vnũ, videlicet oĩs motus, oĩsq; mutatio suum mobile, suũque motiuũ supponit; hocq; suppositũ probatur ex diffinitione motus tradita ab ipso 3. physic. tex. 6. *Motus est actus existentis in potentia secundum quod huiusmodi est.* Ex qua diffinitione conspicuũ est omnem motũ, oẽmq; mutationem suũ mobile supponere: cũ omnis actus sit in eo cuius est actus; cũ itaque motus sit actus mobilis, necesse est, motũ esse in mobile, ac per hoc compertissimum est, motũ suum mobile supponere; Hanc etiam veritatẽ inductione ꝓbat, nõ enim localis motus est, nisi prius sit corpus mobile secũdũ locũ, quod moueri debet, nec est alteratio, nisi alterabile sit, qđ alterari possit, & ita de augmento, & decremẽto; pari mõ non est motus in mobile, nisi sit mouẽs, qđ ipsũ mouet.

Hoc supposito, Arist. trib. suadet rõnibus, motũ esse sempiternum: duabus ꝓbãtibus motum semper fuisse: tertia motum semper futurum esse.

Prima rõ colligitur ex tex. 6. & 7. quæ talis est. Si motus nõ semp fuit, ergo datur primus motus, añ quẽ minimè prior motus fuit at hoc falsũ est: qđ hũc in modũ

pro-

probatur. Vt ex supposito fundamento perspicuum est, motus, mouēs, & mobile, supponit; sistatur ergo, aut mobile, & mouens sunt producta, aut sunt æterna; si producta, igitur per physicam sunt producta mutationem: igitur antequā mobile moueri inciperet, & mouēs mouere, prior fuit mutatio, qua producta sunt, & ita colligitur, ante primum motum, priorem dari mutationē, quod contradictionē inuoluit, quia nihil est prius primo. Et si responsum adducis, mobile & mouens esse perpetua, veruntamen mobile haud semper mouebatur, neque mouebat; verum contra hoc ita instatur. Aut mobile & mouens in hac dispositione, in qua nunc sunt, semper fuerunt, aut in alia; si affirmas primum; igitur sicut nunc mobile mouetur, mouensq; mouet, ita semper mobile mouebatur, mouensque mouebat, cum naturale mouens non impeditum, nisi aliqua indispositio, vel impedimentum in eo sit semper moueat; si secundum asseris, necesse fuit illam remoueri indispositionē, vt motus esse inciperet. At illa indispositio nequaquàm remoueri potest, nisi p mutationem; igitur ante primum motum prior fuit mutatio; qua, indispositio à mobili, & à mouente, remota fuit; & ita sequitur vt prius, ante primum motū, priorem fuisse mutationem; quod cum contradictionem inuoluat, perspicuum est, motum semper fuisse. Et quoniā motus physicus minimè esse potest, nisi mobilia corpora sint, q̄ nō possunt esse, nisi mūdus sit, colligitur, mūdū semp fuisse.

Secunda ratio probans motum semp fuisse, colligitur ex tex. decimo, & vndecimo, quę desumit ex temporis ratione, qua etiam suadet Arist. tempus esse æternum, & talis est. Tempus est æternum: igitur motus æternus est: consequutio aperta, quoniam tempus est motus mensura; qua de re si mensura æterna est, mēsuratum quoque est æternum. Quod autem tempus æternum sit, ita suadet Aristo. Quodlibet nunc in tempore acceptū est principiū, & finis: igitur inquantum principium est, post se tempus habet, & inquantum finis est, tempus ante se habet; cum autem hoc de quodlibet nunc verum sit, colligitur, tempus nunquàm incępisse, quia daretur vnum nūc, quod tantū principium, & non finis esset; sicut in linea finita primum punctum extrinsecum datur, quod est solum principium, minimèque finis. Itidem sequetur, tempus nunquàm desinere, quia daretur vnum nunc, quod solum esset finis in tempore, minimèque principium, sicut datur punctum extrinsecum in linea vltimū, quod est solū finis, nequaquàm autem principium. Cum itaque quodlibet nunc sit principium, & finis, consequitur tempus esse ęternum. Et si astruis minimè verum esse, quodlibet nunc esse in tempore principium, & finis, imò dari primum nunc, quod solum est principium, & vltimum nunc, quod solum finis est. Contra hoc assertum ita instatur; si datur primum nunc, quod solum est principium: igitur ante ipsum nunc tempus minimè erat; hoc autem contradictionem inuoluit, quoniam, non datur ante sine tempore. Nam ante, & post, per tempus diffiniuntur; ante enim est, quod in priori est tempore. Itidem si datur vltimum nunc, quod in tempore solum finis est: ergo post ipsum nunc tempus nequaquàm erit: hoc autem falsum est, quoniam non datur, post, sine tempore; cum post per tempus diffiniatur. Ex his itaque colligitur, tempus nunquam incępisse, et nunquam desinere esse, ac per hoc tempus æternum est: quod erat primo assumptum hac in ratione.

Tertia ratio ostendit, motum semper esse futurū, quæ ratio desumitur ex parte motus, quoniam rō supra ex parte motus accepta, non cōcludebat, nisi motum nūquàm incępisse, ratio vero ex tēporis parte sumpta, cōcludebat, motum nunquàm incępisse, & nunquàm desinere esse; quo circa vult etiam ostendere, ex parte motus, motum nunquàm desinere esse, sed semper esse futurū, Hęcque ratio colligitur ex textu duodecimo, & decimotertio, quæ talis est.

Si

SI motus deficit, igitur post vltimũ motum mutatio nequaquàm amplius erit, cum non possit esse motus postremo posterior, hoc autem inuoluit cõtradictionem; quod ita persuadetur; si motus desinit:ergo postquàm motus desinerit, mobilia mouentiaq; aut corrumpentur, aut permanebunt; si corrumpentur, cũ corruptio sit mutatio;igitur post vltimũ motum adhuc mutatio dabitur, quod etiam implicat contradictionem; quoniam nullus potest esse motus vltimo posterior motu, si permanebunt:igitur vel in hac dispositione, in qua nunc sunt, vel in alia permanebunt, si in hac; igitur qua ratione nunc mouent, etiã semper mouebunt; si in alia igitur ex hac dispositione, ad aliam mutabuntur, & ita sequetur id, quod prius videlicet post vltimum motum mutationem posteriorẽ dari.

Ex istis rationibus, tria conspicua fiunt, primum Motus est ęternus. Secũdum, tempus est æternum. Tertium, mobile est æternum; hac per hoc mundus est æternus.

Ex istis suppositis, probatur ad mentem Arist. proposita conclusio. Substantiæ sunt primæ inter entia(vt supra probatum est.) Destructis autẽ principijs, nihil aliorum remanet. Si igitur nulla substantia est sempiterna, sed oẽs corruptibiles sunt; sequitur nihil esse sempiternum, sed omnia esse corruptibilia, ac p hoc non semper existentia; hoc autẽ contradictionem inuoluit, vt patet ex suppositis; quoniã motus est ęternus, tempus est æternum, & mundus est æternus, datur itaque ad ipsius mentem, substantia sempiterna, & cum motus omnis tàm sempiternus, quàm non sempiternus vt patet ex fundamento, suum mobile, suũque motorem supponat, cumque plures sint motus æterni ad mentem ipsius Aristo. vt infra patebit: colligi etiam plures dari substantias sempiternas, & in sequentibus capitibus ostendetur huiusmodi sempiternas substantias esse à materia separatas.

Examinantur, & diluuntur supradictæ Arist. rationes. Cap. 2.

D. Thomas 8. physicorum lect. 2. examinat supradictas rationes & duo facit; primò ostendit quomodo militent contra fidem catholicam, & quomodo non. secundò eas diluit.

Quò ad primum. Supradictæ rationes minimè fidei nostræ repugnant à futuri parte; nam apud theologum determinatur, cęlos elementaq; in ęternum duratura esse, semperque aliquem motum esse futurum, saltem in hominibus, qui post resurrectionem suis in corporibus aliquos habebũt motus, siuè in cęlo, siuè in inferno: qui motus qualessint theologi institutum est. Ex pręteriti parte, fidei repugnant, quoniam nihil est ęternum nisi solus Deus, in quo nullus motus, nullaque physica mutatio reperitur; quocirca non semper physicus motus fuit, quàde re vt nostra defendatur fides, phylosophi rationes soluendæ sunt.

Quò ad secundum. Ad primam rationem, cum asserit mobile & mouens, aut producta sunt, aut æterna sunt. Respondemus, secundum fidem, mouẽs primũ non esse productum, sed semper extitisse. Omne autem mobile, siuè sit cęlũ, siuè elementum, siuè elementatum, esse productum; quoniã omne quod est præter Deum, productum à Deo est; & cum argumentatur philosophus. Si sunt producta, ergo physicam per mutationem producta sunt: hanc inficiamur consequutionem, quoniam per creationem, quę haud mutatio est, à Deo producta sunt, & ita nequaquam sequitur dari mutationẽ, quæ primo motu sit prior hoc quidem sequeretur, si mobile physicam per mutationem productum esset. Ad aliam argumenti partẽ, in qua philosophus affirmat; si mouens est ęternum, aut in eadem dispositione erat in qua nunc est, aut in alia. Dicimus, primum mouens æternum in eadem extitisse

dispositione, in qua nunc est, & tamen ab æterno minimè mouebat, nec ab ęterno mundum produxit: & cum affirmat, mouens in eadem dispositione manens, si nō est impeditum, mouet semper. Respondemus, hanc propositionem in naturali agēte solūmodo verā esse; necnō uerā esse in agente per intellectū, quod tēpori subijcitur: Verū primū agens, qui est Deus, tempori nequaquā subijcitur, nec tempore mensuratur, sed sola æternitate: quocirca Deus ex sua æterna voluntate potuit mundum de nouo, in temporeq; producere. Nec affirmādum est primum mouens, saltem congruum tempus in quo mundum produceret expectasse: quoniam ipse minimè est tempori subiectum sicut omnia alia creata agentia sunt.

Ad secundam rationem inficiamur quodlibet nunc esse principium, & finē; quandoquidem primum nūc datur, qn̄ tempus incępit; & datur vltimum nūc, quando motus cęlorum in die iudicij secundum fidem cessabit, & ita cōceditur dari vnum nunc quod solum principiū est in tempore, & vltimum nūc quod in tempore solum est finis, sicut eodem modo duo extrinseca puncta in linea finita dantur. Et cum argumentatur philosophus, sequeretur ante primum nunc nō esse tempus, quod tamen contradictionem involuit, qm̄ si est ante, est etiam tēpus, cum ante, per tempus diffiniatur; ante enim est, quod est prius tempore. Respōdemus, hęc dictio, ante, bifariā sumitur, primò realiter & physicè, & ita tempus reale importat; Secū dò sumitur imaginariè solum secundum humanam apprehensionem, & ita reale tempus nō importat, sed solum imaginarium. Respondetur itaque ad argumentum istud argumentum concludere solum hoc, ante primum nunc imaginarium tempus datur, nequaquàm tamen reale, sicut philosophus suadere credebat. Itidem dicēdum est de vltimo nunc. Post ipsum nō erit tempus nisi imaginarium. Et ita cōspicuum est, philosophi rationes contra fidem minimè concludere posse.

Ad tertiam rationem non est necesse dare responsum, quia vt assertū est, fides etiam tenet mundum esse in æternū duraturum; & licet cesset cęlorum motus, & tempus, quod in primi cœli motu subiectiuè est, vt assertum est in lib. 4. physicorum, attamen aliqui physici motus, in hominum corporibus, qui erunt beati, vel miseri semper erunt.

Considerandū verò est vt Diuini determinant Theologi & pręcipuè D. Th. 1 p. q. 46. ar. 2. Deum ab æterno mūdum producere potuisse; quoniam haud necesse est, Deum mundum præcedere duratione, sed natura: sicut nequaquàm necesse est, solem pręcedere tempore suum lumē; quemadmodum, omnis causa est suo effectu prior tempore, aut natura; vt declarat ipse philosophus in post prædicamentis cap. de priori.

Et licet Deus ipsum mundum ab æterno producere potuerit, minimè tamen produxit, & rationem huius explicat S. Tho. loco citato affirmans, Deum noluisse res æternas esse, vt sua in hoc manifestaretur sufficientia, vt omnibus alijs rebus, non existentibus, ipsum in se ipso omnem beatitudinis perfectionisq; sufficientiam habuisse; subinde certo tempore, creaturas produxisse, vt in eis sua bonitas explicaretur, omnibusq; perspicua fieret.

Tria Auerrois argumenta creationem impugnantia, expugnantur. Cap. 3.

SIcut Auer. ex primo supposito explicato in principio primi capitis, videlicet oēm motū, oēmque mutationē suū subiectum mobile supponere, occasionē sumpsit creationē impugnādi; ita & nos D. Thomæ vestigia sectantes in loco allegato, tanquam veri catholici, statuimus ipsa Auerrois argumenta recitare, quæ tria sunt, eaque expugnare.

Primum Auerrois argumentum tale est. Omnis mutatio suum subiectū supponit; at creatio mutatio est cum omne quod creatur de non esse ad esse mutetur:

mutetur; igitur creatio suum supponit subiectum; & si supponit suum subiectum esse, igitur creatio non est ex nihilo rei productio, vt arbitrantur Christiani, asserentes, creare esse aliquid ex nihilo facere.

Secundum. Communis Phylosophorum opinio est ex nihilo nihil fieri, igitur nihil creatur.

Tertium. Vulgus Christianum creationem tenet, quoniam credit ex deffectu producentis prouenire, vt materia, ex qua aliquid producitur, indigeat; & quoniam in Deo nullus est deffectus, nullaquè impotentia: ideo affirmant, Deum in rerum productione minimè materia indigere, sed ex nihilo eas procit; ideoque eas creat; sed ait Auer. non ex producentis deffectu est vt materia indigeat, sed ex motus mutationisquè ratione est, quę secundum Aristo. suum subiectum supponunt, in quo mouens, & producens operari debet; falsa itaque est Christiani, & Iudei opinio astruens mundum esse à Deo creatum, idest, ex nihilo productum.

Ad primum. Minorem inficiamur etenim mutatio de Physica mutatione & de creatione æquiuocè prædicatur; quoniam vt de physica prædicatur mutatione, materiam supponit; vt autem de creatione prędicatur nihil supponit: quo circa, creatio veriùs dicitur simplex rerũ emanatio à primo vniuersali agente, qui est Deus, quam appelletur mutatio. Et in hoc Auerro. deceptus fuit, dum creationem esse verè physicam mutationem credidit; & quando affirmat, id quod creatur de non ad esse mutatur, asserimus hanc esse falsam, verum ita dicendum est, id quod creatur ex nihilo producitur.

Ad secundum. Asserimus nullum antiquorum, hunc producendi modũ, per creationem cognouisse, at solum per mutationem, naturalemquè generationem, quæ materiam præsupponit; ideo decantabāt ex nihilo nihil fit, scilicet physica generatione. Plato autem & Aristo. creationem cognouerunt, vt perspicuum fiet in tertio libro; nam vt dicemus, tunc intelligentiæ, animaquè intellectiua à Deo secundum Arist. producuntur, & ex materia nequaquā producuntur, quia immateriales sunt: igitur ex nihilo producuntur, & ita creantur.

Ad tertium argumentum. Contestamur, Christianos non ponere Deum res ex nihilo producere, quasi sit diminutæ potentiæ, ideoque materia indigere; sed ratio est, quia dum Deus rem producit ipsam totam producit, & ita cum Deus terram produxit, ipsius materiam & formam produxit; agens verò naturale totam rem nequaquam producit, sed formam in aliqua materia priùs existenti producit, sicut ignis in ligni materia, ignis formam introducit, dum lignum comburit, qua de re naturale agēs materiam supponit, agens vero vniuersale, qui est Deus, cum totam rē producat, materiam minimè supponit, sed ex nihilo producit.

Tres termini declarantur, ad habendam compositionem, & simplicitatem substātiarum separatarum, videlicet quid sit suppositum, quid essentia, & quid esse existentiæ.

Cap. 4.

CVm prouinciam sumpserimus, naturam substātiarum sempiternarũ, separatarumquè adamussim explanare, primo omnium indaganda est earum compositio, & simplicitas. Ad cuius indagationem summè necessarium est explicare, quid sit suppositum, quid essētia, & quid esse existentiæ. Et primo exordiēdum est à suppositi cognitione, tanquam à notiori nobis.

Sciendum itaque primo est, nomen suppositi, & nomen entis sinonyma esse in doctrina Aristotelis, nam suppositum

ctum (vt præclare docet Caieta. 3. parte, quæstio 15. articu secundo, ante responsiones ad Scoti argumenta contra secundam quæstionem, de mente D. Thom. 3. p. quæstio. 15. articu. 2. in corp. & ad quartum, &c. est quod habet esse, seù quod est, pari modo, ad mētē Aristotelis ens significat id, quod est, seu id quod habet esse. Quapropter Aristot. primo physic. tex. 13. loco entis, apponit, quod est, & quinto meth. tex. 13. docet ens per se esse id, quod esse appellatur, ex quib. colligit, ens, & suppositum esse synonima in Arist. doctrina, ipsumque suppositum, propriè esse illud, quod est, seù qđ habet esse; & hoc ad discrimen essentiæ, & esse, quæ non dicunt habere esse, seù esse, q̄ sunt, sed propriè appellant, quib. suppositum esse dicitur, vt nunc explicabimus. Hanc doctrinam sequit D. Th. in opusculo de ente, & essentiæ, cap. primo, & quarto, & Caietanus eisdem in locis ante medium, & Ferrariensis, 1. c. Gen. capitu. vigesimoquinto, circà medium.

Secundò animaduertendum est circa ly ens, licet ens significet id, quod habet esse, attamen hoc nomen ens impositum est ipsi supposito ab ipso esse actualis existentiæ ideò hoc nomen ens dicitur aliquando esse existentiæ significare, quod quidem verum est, quantùm ad id, à quo entis nomen est impositum, quod tamen entis nomē ad significandum id, quod habet esse, sicut ipsū suppositum; sicut hoc nomen lapis, à quo nomen fuit impositum, pędum læsionem significat, quantum verò ad id, quod significat, seù ad id, ad quod hoc nomen impositum fuit, lapidis substātiam significat.

Tertiò considerandum est, licet suppositum verè, & propriè sit prima substantia, ideoque tantum in substantiæ prędicamento reperiatur, attamen extenditur etiā ad id, quod habet esse in alio, extendendo, esse suppositum; & ità in nouem accidentium prædicamentis suppositū inuenitur, vt docet Caietanus de ente & essentia cap. quinto, in fine quintæ partis, quemadmodum, & huiuscemodi accidentia proprium esse existentiæ habent, vt docet ipsemet Caietanus de ente & essentia in prima parte quinta dubitatione. Et Caprȩolus primo sent. dist. 8. q. prima ad tertium Gherardi contra primam conclusionem. Et hanc veritatem, possumus nos secundū D. Thom. doctrinam demonstrare. Ab omni forma aliquod esse fluit: igitur ab accidentali forma aliquod esse proculdubio existentiæ emanat, at forma non recipit esse nisi mediante supposito, vt nūc declarabimus, quocirca omnis forma accidentalis proprium habet suppositum, quo suum esse recipit, & habet: hæc de supposito.

Quò ad naturæ, seu essentiæ nomen primo considerandum est, nos naturæ nomine intelligere id, quo suppositum subsistit, tamquam principium formale ipsius suppositi formale cōstitutiuum, nec non essentia, seu natura est principium actiuum actuale ipsius suppositi, in compositis ex materia & forma; in rebus autem immaterialibus creatis, ad aures Caietani est principium formale, actiuum & actuale, secundum autem Caprȩ. est principium formale, & actiuum, non quidem actuale, sed tantū virtuale. Et hæc omnia colliguntur à D. Th. 3. p. q. 15 a. 2. ad primum ita scribēte, esse consequitur naturam, non sicut habētem esse, sed sicut qua aliquid est. Personam autem, siuè Hypostasim consequitur sicut habētē esse. Ex quib. verbis, hęc duo apertè habentur. Primum. Persona, seu suppositum est id, quod habet esse. Secundum. Natura est, qua aliquid est. Quod autē persona, in nobis ex materia & forma compositis, effectiuè, & actualitā natura, seu essentia constituatur, compertū est, ex D Tho. 3. p. q. 2. ar. primo ad secundum; hęc verba cōtestās. Ex anima, et corpore constituitur in vnoquoquè nostrum, duplex vnitas, naturæ, & personæ, naturæ quidem, secundū quod anima unitur corpori formaliter, perficiens ipsum, vt ex duobus fiat vna natura sicut ex actu & potentia, vel mate-

materia, & forma. Vnitas verò personæ constituitur ex [illegible] quantum est vnus aliquis subsistens in carne, & anima. hæc D. Th.

Secundò considerandum est, prędictis in verbis, duo esse ponderanda. Primum sicut ex anima, & corpore duplex vnitas, videlicet naturæ, & personæ cõstituitur, ità existimandum est, duplicē entitatem. s. naturę, & personæ, seù suppositi ex eadem anima, & ex eodem corpore constitui, hac de causa, quoniā ens & vnum conuertuntur, & mutuo se cõsequuntur, idcircò vbi duplex vnitas reperitur, ibi necesse est duplicem reperiri entitatem; cum vnitas addat super entitatem solam indiuisionem, qua de re asserendum est ex anima & corpore duplicem constitui vnitatem. s. naturæ, & personæ, assertum est etiam constitutam esse duplicem entitatem, naturæ, & personæ, seù suppositi. Secundū animaduertendum est, vnitatem, & entitatem personæ causari à natura, vel secundum se totam secundum Caiet sententiam, vel saltem secundum esse existentiæ, quod est suppositi formalitas secundum Cap. vt inferius declarabitur. Et hanc veritatem docet D. Thom. per illa verba scilicet vnitas personæ, constituitur ex eis &c.

Tertiò. Considerandum est, tàm secundum Caietan. mentem, quàm Capr. quonam modo natura causet personam, in omnibus rebus creatis, & primo secundum Caietanum tertia parte, quęstione quarta, articulo secundo, in fine expositionis asserimus, naturam, seu naturæ principia non ita personam, seu suppositum causare, vt dicturi emus, mediā interueniente actionem, verùm docemus, naturam causāre personalitatem, & personam, seu suppositum, per naturalis concomitantiæ modum, non quidem sicut subiectum propriam, naturali sequela, causat passionem, sed sicut incompletum, & imperfectum dicitur naturali sequela, suum complementum, suamq; vltimam perfectionem producere. Natura æquidem vt prior causalitate, incompleta est, quoad vltimum sui complementum, vt autem personatur, seù suppositatur vltimum consequitur complementum. Hinc sequitur, vt actio, qua fit hic homo, qui naturam significat personatam, seu suppositatam, quando cõsideratur, vt inchoata, & vsquè ad terminum suum inclusiuè deducta, qui quidem terminus, est persona, tunc illa actio est perfecta; quando autem consideratur, vt inchoata, & vsquè ad terminum exclusiuè, (qui est persona) deducta, & solummodo ad hanc naturam singularem, abstrahendo à personalitate, deducta, tunc illa actio imperfecta est, quia proprio caret termino, Qua de re astruimus modum, quo personalitas naturam, vel naturæ principia consequitur, esse modum, quo actionis, & rei factæ, terminus naturaliter sequitur (nisi esset impedimentum.) actionis finem, remquè factam, & completam. Et hęc doctrina ad aures Caietani valet, non solum in omnibus ex materia, & forma compositis, verùm etiam in omnibus creatis à materia abstractis, quoniam ad ipsius mentem, (vt infrà explicabitur) persona, seu suppositum realiter, & intrinsecè ab hac singulari natura semouetur. Secundum autem Capræoli mentem alio modo dicendum est, & dicimus duobus modis intelligi posse naturam separatam creatam, suppositum, seu personam causare, virtualiter tantum, non autem actualiter, si suppositum abstractum realiter, & intrinsecè minimè à natura distinguitur, & hunc dicendi modum ad aliud tamen institutum, egregiè declarauit Caietanus primo posteriorū capite secundo, ad aures Aristotelis. Vel asserendum est, naturam abstractam, suum causare suppositum, realiter, & actualiter respectu esse existentiæ, tantum, quod est formale in supposito, vt inferius dilucidabimus ad aures

H Capr.

Capt. Hæc de ratione naturæ, seu essentiæ.

Tertiò loco explicādum est, quid nomen esse existentiæ præseferat. Primò itaquè sciendum est, esse existentiæ in doctrina D. Thom. esse actum naturæ, & personæ, causarique & à natura, & à persona, licet diuersimodè. Esse enim est actus naturæ, vt principij quo, personæ autem, seù suppositi, vt subiecti, seù vt quod habet esse, vt visum fuit supra ad mentem Aristot. ex primo Phys. & ex primo meth. & ideò natura, est primum principium quo, & mediatum ipsius esse, persona autem, seu suppositum est primum principium immediatum, & receptiuū quod, ipsius esse, idcircò necesse est vt à natura personata ipsum esse profluat, cū persona, seu suppositum sit id, cui primò conuenit esse, vt subiecto, seù quod habet esse, vt patet ex supradictis Aristotelis textibus.

Secundò considerandum est, cum natura, vt patet ex Arist. loco citato, numquam sit, quod est, vel quod habet esse, (cum hoc sit suppositi proprium) sed semper habeat esse, quo est; nam natura existit non, vt quæ existit, sed quo aliquid existit; ideo duo intuebimur. Alterum, ad hoc vt natura existat nequaquam exigi ipsam actuari per existentiam, vt subiectum per formam in eo existente actualiter, sed satis sibi est, ipsam esse quà aliquid existit; & ratio est, quia non omnia eodem modo entia sunt, habentque esse, vt docet Aristo. 4. meth tex. secundo; nam quædam habēt esse, quia sunt, vt sunt omnia supposita, quædam vero habent esse, vt quibus omnia sunt, vt sunt omnes formæ, omnes partes, omnesquè termini, vt eo loci docet Arist. Alterum quod est videndum est. Quoniam natura prius personatur seu suppositatur, quàm propriam constituat existentiam, hinc colligitur, suppositum esse, ipsi naturę inniti, quam existentia. Et hæc omnia sunt ad aures D. Thom. aperte, vt colligitur ex ipsius verbis tertia parte quæstione decima septima, ar. secundo, in corpore quæ sunt ista. Esse pertinet ad naturam, & ad hypostasim. Ad hypostasim sicut ad id, quod habet esse, ad naturam sicut ad id, quò aliquid habet esse; natura enim significatur per modum formę quæ dicitur ens, ex eo quod, ea aliquid est, sicut albedine aliquid est album, & humanitate aliquid est homo. Hęc ī corpore. Ad primum autem ità sic habet. Esse consequitur naturam, non sicut habētem esse, sed sicut quà aliquid est, personam autem, seu hypostasim consequitur sicut habentem esse. Hæc ille. Et hāc doctrinam docuit Aristo. quarto meth. text. secundo, juxta D. Tho. expositionē. Ex quibus duo colligimus: primum: Doctrina nunc adducta, est ipsamet D. Tho. & Arist. doctrina: secundum, ipsum esse existentiæ non solum causari à natura, verum etiam à persona seù supposito, contra Caietanum docentem 3. p. loco citato, naturam esse immediatum principium ipsius esse, solamquè ipsum causare; nos autem asserimus ad mentem D. Tho. & Arist. principium immediatum esse existentiæ esse suppositum primum autem principium, & mediatum esse naturam, etenim affirmamus, naturam mediante supposito, ipsum esse causare, & hęc suadentur ex D. Tho. verbis. Nam hac de causa docet Caie. (quod & nos docemus) esse, causari à natura, quia ipsum esse, ipsam naturaliter consequitur naturam, sicut propria actualitas, at secundum D. Tho. esse existentię, non solum sequitur ad naturam, sed etiā ad personam, (vt probatum est ex verbis adductis) igitur, esse existētiæ causatur à persona, seu supposito nedum à natura.

Hæc quoad notitiam esse existentiæ.

Quatuor præmittuntur consideranda circa distinctionem suppositi à natura. *Cap. 5.*

QVoniam medij cognitio pendet ex cognitione extremorum, & institue-

stituerimus pertractare distinctionem inter naturam, seù essentiam, & suppositum substantiarum separatarum; quæ mediæ sunt inter Deum, & substantias compositas ex materia & forma, idcircò primò agendum est de distinctione suppositi à natura, Dei, & substantiæ ex materia & forma compositæ, exordium sumentes à cognitione substantiæ compositæ, tamquam nobis notioris, deinde de distinctione suppositi diuini, ab essentia seu natura; subinde de distinctione suppositi à natura substantiarum separatarum.

Circa suppositi substantiæ compositę à natura distinctionem, tria agenda sūt. primò, quattuor fundamenta præiacienda sunt, maximè conferentia ad communem distinctionem inter quodcunque suppositum, & quamcunquè naturam. Secundò, difficultati respondendum est. Tertiò, obiectis est satisfaciendum.

Quò ad primum. Primò, considerandum est, nos supponere declarationem suppositi, & naturæ in præcedenti capite factam.

Secundò, considerandum est, nos sermonē habere posse de natura, & de supposito duobus modis, vt docet Caiet. 1. p. q. 3. ar. 3. Altero mō solū secundū rem; altero secundum significandi modum. Accipiuntur solummodo secundum rē natura, & suppositum, quando natura secundum propriam rei rationem accipitur, quam natura significat, & similiter suppositum secundum propriam rei rationem, summitur, quam suppositum significat, semper abstrahendo à significandi modis in abstracto, vel in concreto, per modum totius, et per modum partis &c. Exempli cā. Cum leonis natura secūdum propriam eius rationem accipitur, & hic leo itidem secundum eius propriam rationem, nihil curando an natura in abstracto, vel in concreto, per modum totius vel partis significet, tunc natura, & suppositum secundū rē accipiuntur: summuntur autem natura, & suppositum secundum significandi modum, cum in abstracto, vel in concreto per modum totius, & partis &c. accipiuntur, & vt sub primæ nominibus intentionis stant, puta humanitas & homo, sorteitas & sortes. In ista quęstione sermonem habemus de natura, & supposito secundum rem, non autem secundū significādi modos; qm̄ ista consideratio s͠m significandi modum, ad logicum spectat; cōtemplatio verò huiuscemodi secundum rem ad meth. spectat; Nos autem ista in quæstione methaphisicè loquimur.

Tertiò considerandum est, ex Caieta. loco aducto duplicem esse differentiam altera est secundum rationem, altera secundum rem. Rursus differentia secundum rem subdiuiditur, in realem differentiam inter rem & rem, & in realem differentiam inter rem aliquid reale includentem, & non includentem illud, (& sermonem habemus de includere, & non includere ex ratione rei significatæ formaliter sumptæ, non autē ex significandi modo.) Rursus realis differētia inter rem aliquid reale includentem, & non illud includentem, subdiuiditur in differentiam realem inter rem, aliquid reale intrinsecè includētem sicut homo ab animali differt, quoniam homo rationale intrinsecè includit, & in realem differentiam inter rem aliquid reale extrinsecum includentem, sicut disciplinabile ab homine differt, (fingendo disciplinabilitatem eādem rem esse, quæ est hominis natura) quia includit intrinsecè disciplinam, vt actum, per quem disciplinabilitas diffinitur, quam homo sua in ratione, minimè includit. Ex his habemus quattuor, differentiarum modos quorum primus est secundum rationē tm̄, vt homo & humanitas, secundus, inter rem, & rē, vt sortes, & Plato, tertius, inter rem aliquid reale intrinsecè includentem, & ab illo abstrahērem, vt homo, & animal, quartus, inter rē aliquid reale extrinsecè includentem, & ab illo abstrahentem, vt homo, & disciplinabile, vt dictum est.

Quartò considerandum est, nos in istis considerationibus de suppositi di-

stinctione à natura sermonẽ habere, indiffinitè de omni differentiæ modo, qm̃ etiam (vt assertum fuit) de omni loquimur supposito, de omniquè natura, licet primaria intentione institutum nostrum sit, loqui de distinctione suppositi à natura substantiarũ separatarũ, quo circa iuxta rerum differentiam, diuersi modè etiam responsa dabimus. Hæc de primo.

Suppositum, & naturam in substantijs ex materia, & forma compositis distingui intrinsecè, & extrinsecè demonstratur, ad aures Arist. Cap. 6.

QVò ad secũdũ. Tali respõdemus conclusione. Suppositum, & natura in compositis ex materia & forma substãtiali distinguuntur secũdũ rem includentẽ aliquid reale intrinsecè & extrinsecè, nec non secundũ rationẽ; non aũt distinguũntur secundũ rẽ sicut res à re. Hoc loci Caieta. doctrinam tam quàm magis Arist. & D. Tho. & veritati conformem intendimus sequi, & dixi secundũ Caiet. doctrinã, qm̃ Capr. 3. sẽ. d. 5. q. 3. ad primum Aureoli c. 2. conclusionem, & in totà illa quæstione sua tenet suppositum, & naturam in rebus cõpositis distingui solum extrinsecè, pp ipsum esse existentiæ, & pp accidentia. Hæc conclusio secundum singulas partes demonstratur, & primò ipsa intrinsecè distingui, hunc in modum probatur, iuxta doctrinam D. Th. 1. p. q. 2. arti. 2. c. & 7. met. lec. 5. in fine, & 3. sent. d. 5. q. 1. ar. 3. illa intrinsecè distinguuntur, q̃ ex diuersis realib. principiis distinguuntur; at suppositum, & natura rerũ compositarũ huiuscemodi sunt; ergo & cę. Maior aperta, minor ità suadetur: Natura seu essentia comprehendit (tamquam sua principia constitutiua) in se tãtum illa, quæ in speciei cadunt diffinitione, sicut humanitatẽ astruimus comprehẽdere in se ea, quæ in hominis diffinitione summuntur, nulliquè dubium est humanitatem significare id, quo homo est homo, suppositum autem, omnia indiuiduantia includit principia vltra essentiã adeò vt si suppositum diffiniretur, ista indiuiduantia principia in eius diffinitione ponerentur: suppositum itaquè principia intrinseca, sui constitutiua includit, quæ à natura nequaquàm includũtur.

Hanc principalem conclusionis partem docuit Arist. tertio de anima, & 7. meth. ex quib. locis D. Th. dessumpsit supradictã rationem, vt ibi videre est, nã in tertio libro de anima tex. 9. ità scribit loquẽs de distinctione qdquid est, hoc est essentiæ, seu naturę ab eo cuius est, q. est suppositum. *Quoniam autem aliud est magnitudo, & magnitudinis esse, & aqua, & aqua esse, et sic i multis alijs.* Quæ verba ità à D. Tho. eo loci exponuntur. Dicit enim, quod aliud est, *magnitudo, & magnitudinis esse.* idest aliud est magnitudo, & quod qd est eius. Esse enim, quod est magnitudinis, appellat quidditatem eius. Et similiter aliud est *aqua, et aquæ esse, & sic est in multis alijs*, idest in omnibus mathematicis, & naturalibus. Hæc D. Th. Ex quibus D. Tho. verbis, colligitur, ad mentem Arist. aquam, quod est suppositum, & esse aquæ, quod est, quodquid est aquę, seu quidditas, vel essentia, seu natura aquæ, nec non omnia naturalia, reipsa distingui adinuicẽ, per principia intrinseca, quod est distingui intrinsecè, cum alia sint principia ipsius essentiæ, seu naturæ speciei, & alia principia ipsius suppositi, seu indiuidui vt egregiè eo loci declarat D. Thom. ad mentem Arist.

Similiter 7. meth textu 41. exponens, quonam pacto quodquid erat esse hoc est quidditas essentiæ, vel naturæ, distingueretur ab eo cuius est, hoc est suppositum adinuicem distinguerentur, vel essent idem, docuit in substantijs à materia abstractis, quæ primæ substantiæ vocantur, ista esse idem; in substantijs, autem ex materia, & forma compositis non esse idem; & necesse

se est ipsum loqui de distinctione ab intrinseco, aliter falsum esset essentiam, & suppositum in substantiis abstractis, esse idem, cum suppositum in substantijs abstractis ab earum essentia distinguatur ab extrinseco, scilicet per esse existentiæ, et per accidentia; & verba Aristo. sunt ista. Secundum translationem Argiropoli. *Dictum est insuper, quidditatem, & vnumquodquè, idem in quibusdã esse, ut in substantiis primis &c. Quę uerò sunt in materia, aut sunt simul cum materia sunt in hisce, non esse idem &c.* Quæ verba ita à D. Tho. exponuntur. Dictum est superius, quodquid erat esse vniuscuiusquè est idem cum eo cuius est. Qđ quidem est simpliciter verum in quibusdam, sicut in primis substantijs .i. in immaterialibus, quæcunquè verò sunt, sicut materia, vel etiam sunt concepta cũ materia, sicut composita, quæ habent in sui ratione materiam, in illis non est idem quodquid erat esse, & id cuius est. Ex quibus omnibus apertissimè colligitur, ad mentem Arist. in substantijs ex materia & forma compositis, suppositum ab intrinseco semoueri ab essentia.

Secundò demonstratur, suppositũ, & naturam in huiuscemodi substantijs ex materia & forma compositis extrinsecè ab inuicem distingui, supponendo duo. Alterum iam in præcedentibus declaratum, quod est, ipsum suppositum esse subiectum esse existentiæ, non autem ipsam naturam esse huiuscemodi subiectum. Alterum est, esse existentiæ reipsa à supposito esse semotum; ex quibus duobus tertium elicitur, quod est tale. Esse est proprius suppositi actus. Quibus suppositis, ità arguitur. Illa extrinsecè reipsa distinguũtur, quæ per aliquem actum, per quem, aliquo modo d ffinienda sunt, distinguuntur, sed suppositum, & natura in rebus compositis &c. ità distinguuntur; ergo &c. Maior ex terminis aperta est, quoniam actus est quid extrinsecum ab eo cuius est actus, hoc mõ qđ actus non est constituens subiectum, cuius est actus, vt forma non est materiæ principium, vt materia sit composita. Itidem accidens non est substantię principium, vt substãtia sit ex accidente composita; quapropter quod est distinctum per huiuscemodi actum, extrinsecè est distinctum: Minor verò ex suppositis compertissima est. Hanc doctrinam docet Caietanus prima parte quæstione tertia, artic. tertio, & ante ipsum Capręol. 3. sententiarum dist. 5. quæs. 3. ad primum Aureoli contra secundam conclusionem. u

Tertiò, probatur suppositũ & naturã, in istis substantijs compositis secundũ rationem distingui. Quæ distinguuntur re, etiam ratione semouentur: Sed ista re distinguuntur: igitur secundum rationem. Maior patet ex eo, quoniam ratio in re fundatur, & distinctio rationis, in distinctione secundum rem fundatur. Vltima pars scilicet suppositum huiuscemodi, & naturam non differre sicut res à re, ità suadetur, terminus non est distinctus à re terminata, sicut res à re, quoniam terminus est aliquid rei terminatę; est enim eius terminus, sed suppositum (vt inferius explicabitur,) est terminus naturæ; ergo & cæt. Secundò, ita persuadetur. Quæ distinguuntur, sicut res à re, possunt naturaliter semoueri, vt Socrates & Plato, at natura eiusque suppositum non possunt adinuicem naturaliter separari, vt notum est; ergo &c. Maior intelligitur in genere substantiæ directè: qualiter sunt supposita, nõ autem absolutè, quoniam ita esset falsa, cum accidens proprium, à substantia distinguatur, sicut res à re, & tamen proprium accidens, à substantia minimè naturaliter separari potest.

Sex argumenta contrà præfatam veritatem diluuntur.

Cap. 7.

CОntra hanc conclusionem sunt sex argumenta in præsentiarũ soluenda, quorum primum tale est. Aristoteles septimo Meth. tex. vigesimo, astruit

in his, quæ sunt per se, idem sunt quod quid est, & id cuius est, quod idem dictu est, secundum omnes expositores essentia, & suppositum in his, quæ sunt per se, idem sunt, nam essentia est quod quid est, suppositum est id, cuius est, idest essentiæ; at substãtia ex materia & forma composita, est ens per se, ergo &c.

Huic rationi septem responsionibus occurritur; Quarum prima hæc est. Licet Aristoteles in tex. 8. 7. meth. affirmauerit in omnibus per se, idem esse quod quid est cum eo cuius est: attamẽ in tex. 41. suam correxit doctrinam affirmans, suam hanc doctrinam solum veram esse in separatis à materia. Etenim D. Th. habet hæc verba, circa medium. Attendendum est autem, quod ab hac sententia, quàm posuerat, scilicet, qđ quid est idem est cum vnoquoquè cuius est, duo hic excipit scilicet illa q̃ de natura per accidens, & substantias materiales, cum superius non exceperit nisi illa quę de natura per accidens. hęc D. Th.

Secundò respondetur. Arist. auctoritatem esse non repugnanter intelligendam, hoc est, non repugnare enti per se, vt in eo sit omnino idem, natura, & suppositum; quocirca in primo ente, hoc est, in Deo benedicto hoc verissimum est.

Tertiò respondetur (Et quasi in idem redit cum præcedenti) duobus modis, aliquid conuenit alicui, vno modo positiuè, alio modo negatiuè; Ad primi veritatem exigitur, vt illud sibi conueniat, in primo, vel secundò, aut quarto modo dicendi per se, vnde illi vniuersaliter conuenit, in quocunquè ponatur, quemadmodum risibile homini positiuè conuenit, & isto in sensu, Arist. suam minimè intelligit propositionem. Ad veritatem autem secundi, sufficit, vt illud sibi, non repugnet, idcircò, non est necesse conuenire illi vniuersaliter in quocũque ponatur: Et hoc modo risibile animali conuenit, & istius generis multæ propositiones in Arist. doctrina inueniuntur, vt est illa; *Motus secundum se est velocitabilis in infinitum* 6. Physic. tex. 15. & tamen cęli motus non est in infinitum velocitabilis, sed est velocissimus, adeò vt non possit esse velocior, vt tradit Arist. secundo cęli tex. 28. Et ista *continuum secundum se est diuisibile in infinitum* 6. Physic. tex. tertio, & tamen continuum naturale, nequaquam in infinitum diuisibile est, vt docet Arist. secundo de anima tex. 41. *omnium natura constantium, esse determinatam magnitudinis rationem*, & ista. *Motus secundum se habet contrarium* quinto physic. tex. 8. & 18. & tamen motus in cęlo positus minimè contrarium habet, vt habetur primo de cœlo tex. 20. Hanc distinctionem præclare declarat Caiet. in Prędicab. ca. de differẽtia, & in quæstione de infinitate Dei, & de ente & essentia capite quarto, prima parte cõclusione quarta, & in multis aliis locis. Et in isto sensu Arist. propositio intelligenda est.

Quartò respondetur. Id cuius est diffinitio, seu quodquid est, quod est suppositum, bifariam cõsiderari potest, vno modo logicè, alio modo Physicè, seù realiter. Logicè cõsideratur, quando in vniuersali cõsideratur, logica enim vniuersalia speculatur. Physicè autem contemplatur, quando consideratur vt quoddã singulare: in rerum natura non sunt, nisi singulariter subsistentia. Ex hac distinctione respondetur considerando id qđ est diffinitum in vniuersali (quod est ipsum logicè considerare) idem est cũ diffinitione, cum diffinitum materiale in vniuersali, non includat nisi formam, & materiam in vniuersali: itidem hæc solum includit ipsa diffinitio, & ità logicè loquendo idem sunt diffinitum & diffinitio, ex cõsequenti, qđ quid est (qđ diffinitio significat) & id cuius est (quod significat diffinitum) sunt idem: Et quoniam in tex. 2. Aristo. logicè loquebatur (vt omnes penè eius interpretes affirmant) idcircò illo in loco dictitauit absolutè, quodquid est esse idẽ cũ eo cuius est, in omnibus, quæ per se sunt. Contẽplando autem diffinitum in singulari (quod est ipsum physicè considerare) sic dif-

diffinitum in rebus materialibus reipsa distinguitur à diffinitione, cum diffinitio solum materiam, et formam in communi cōprehendat, non aūt cōprehēdat principia materialia indiuiduantia, quæ tamen intrinsecè in singularis ratione includuntur, adeò vt si singulare diffiniretur, in sui diffinitione huiusce modi indiuiduantia principia includeret; quapropter diffinitio & diffinitum, Physicè loquendo re ipsa distinguuntur, & quoniam in tex. 41. Physicè, seu realiter loquebatur, ideò absolutè asseruit, in cōpositis ex materia, & forma, quod quid est non est idem cum eo cuius est. Et hanc responsionem etiam docet D. Tho. super illum tex. 41.

Quintò respondetur. Duobus modis (pro nunc) aliquando, re ipsa distinguūtur, altero modo vt res à re, sicut sortes distinguuntur à Platone, & substātia ab accidente; & hoc modo suppositum & natura re ipsa minimè distinguuntur; & isto modo, intellexit Arist. in tex. secundo quod ita declaratur. Nam eodem modo, suppositum, & natura sunt idem in his, quę sunt per se, quomodo distinguūtur in his, quæ sunt per accidens. At in his, quæ sunt per accidēs, quodquid est distinguitur ab eo, cuius est, sicut res à re: igitur in his, quæ sunt per se non distinguuntur, sicut res à re. Minor declaratur in homine albo, et similibus, suppositum & natura, seu diffinitum & diffinitio, sic realiter distinguuntur; quoniā (vt elicitur ex D. Tho. expositione super illum tex. suppositum dicit solam substātiam, diffinitio autem accidens exprimit, at compertum est, substātiam ab accidente semoueri, sicut res à re. Alio modo aliqua duo intrinsecè reipsa distinguūtur, quia vnum aliquid reale intrinsecè includit, quod ab alio minimè includitur, licet illa duo sint vna, & eadē res; sicut homo ab animali differt, licet sint vna, & eadem res realis in homine: quia homo includit rationale, quod ab animali nequaquam includitur, & hoc modo suppositum & natura in rebus, materialibus reipsa semouentur, & in isto sensu Arist. in tex. 41. intellexit. Et huic responsioni subscribit Capreolus 3. sententiarum d. 5. quæst. 3. ad primum Aureoli contra secundam conclusionem.

Sextò respōdetur. Secundum doctrinam superius traditam, de identitate, & diuersitate, cum sua natura singulari, & affirmamus suppositum & naturam esse aliquo modo eadem, & aliquo modo diuersa: sunt quidem aliquo modo eadem, quia suppositum est naturæ terminus, & ità est aliquid naturæ, cum sit eius intrinsecus terminus, & non sunt aliquo modo eadem quia terminus nō est res terminata, vt punctus non est linea. In primo modo locutus est Arist. in textu 20. secundo autem modo in textu 41.

Septimò respondetur. Secundum D. Tho. de verbo ar. 3. ad decimumquartū. Dictum Aristo. illo in textu 20. intelligēdum esse, quoad specifica, non autē quoad indiuidualia.

Secundum Argumentum desumitur ex D. Tho. Quodl. secundo, quæstio. secunda, art. secundo, ad vltimum ità afferente; suppositum distinguitur à natura ex modo significandi, sed modus significandi, infert tantum distinctionem secundum rationem, non autem secundū rem.

Respondetur; D. Tho. excludere distinctionem realem, quæ est inter rem, & rem, vt ex eius verbis constat, non autem distinctionem realem approbatam in quinta, & sexta, responsione ad præcedens Argumentum. Secundo respondetur; falsum esse modum significandi in reali distinctione fundatum (vt iste est) inferre solum rationis distinctionem, licet significandi modus in rationem tantum fundatus solam rationis distinctionem inferat, & D. Tho. sermonem habet de significandi modo in re fundato.

Tertium argumentum. Si suppositū substantiale intrinsecè à sui natura distingueretur: igitur prima substantia nō haberet rationem primæ substantiæ per

essentiam, sed per istam realitatem, & sic secunda substantia esset magis substantia quã prima, inquantũ prima, nõ esset substantia.

Respondetur adnotãdo vnum, quod est tale, hoc argumentum cum tribus sequentibus est Aureoli apud Capræolum tertio sententiarum, distinct. quinta, quæstio. tertia contra secundam conclusionem, & apud Caietanum tertia parte quæstione quarta, articulo secundo, à quibus soluitur vnà cum sequenbus. Ad hoc, itàquè argumentum respondetur, priùs interpretando huius propositionis sensum, Prima substantia est prima substantia per essentiam. Hæc propositio duplici sensu gaudet, altero per essentiam completam, & ita verissimam esse asserimus, astruimusquè ex nostra positione oriri; altero modo per essentiam absquè proprio termino; & in isto sensu affirmamus, ipsam esse falsam, quandoquidem ad primæ rationem substantiæ, nequaquàm sufficit absquè proprio termino esse. Minimèquè verum est, primam substantiam, non esse substantiam inquantum primam, licet suppositum, per quod substantia est prima, non sit substantia, sed primæ substantiæ principium: quemadmodum haud verum est hominem inquantum homo est, non esse animal, quamuis rationalitas nequaquam animal sit, sed principium hominis, & animalis in homine.

Quartum. Si suppositum intrinsecè, à natura semoueretur, sequeret, nullam rem per se subsistere, sed per aliud à se, sicut corpus non terminatur per se, sed per superficiem, & tamen cõceditur, substantiam terminari à se, & per se subsistere.

Respondetur. Et imus inficias consequentiam, quandoquidem substantia per se subsistere dicitur, quia suam per essentiam completam, seu terminatam subsistit. At verissimum est quod sequitur, substantiam in terminatam, seù incompletam non per se subsistere, verùm necesse est, ipsam esse terminatam proprio termino, ad hoc vt per se subsistat. Nec subsistere per proprium terminum seiungitur contra per se subsistere, cum proprius terminus sit aliquid sui (sicut lineam per punctum terminari non semouetur, contra per se terminari) quoniam non ità est aliud proprius terminus, quin sit aliquid terminati.

Quintum. Si conclusio vera esset, sequeretur, naturam habere magis suppositi rationem, cum natura realitati suppositalitatis substet.

Ad hoc negamus consequutionem, & probatio falsum assumit, quoniam terminatum nequaquam termino substat, aliud namquè est alicui subesse, & aliud per illud terminari, natura autem per suppositalitatem terminatur.

Sextũ. Si vera esset conclusio, suppositum esset quarta substantia ex tribus cõstituta, scilicet ex materia, forma, & illa realitate.

Respondetur negando consequentiam, propriè loquendo, quoniam terminus minimè cum terminato componit, sed benè sequitur, vltra substantiam per essentiam (quæ in materiam, & formã resoluitur, & ponit substantiã cõpositã etiã singularem) inveniri; quę (quia nihil supra singularem essentiam, nisi terminum addit) in numerum cum illa, suisquè partibus minimè ponit. Contra hanc conclusionem sunt plura argumenta recitata à Capręolo, primo sententiarum distinctio. quarta, quęstio. secunda c. 3. conclusionem.

Sup-

Suppositum Dei, suamquè essentiã, seu naturam distingui solummodo secundum rationem ostenditur secũdũ principia Arist. Cap. 8.

COmpleta consideratione suppositi, & naturæ in rebus materialibus, aggrediendã est consideratio diuini suppositi, suæquè essentiæ, seù naturæ, iuxta ordinem promissum, quæ consideratio breuissimè complebitur in præsenti tali conclusione: nam dum agemus in tertio libro de Deo, ab vnde hæc consideratio perficietur. Conclusio itàquè talis est. Suppositum Dei, suàquè essentià seu natura solum secundum rationem distinguuntur. Hæc conclusio exclusiua duas habet propositiones exponentes, quemadmodum & qualibet alia exclusiua propositio. Prima est affirmatiua. Suppositum Dei, & sua natura ratione distinguuntur. Secunda negatiua est. Suppositum Dei, & eius essentia non distinguuntur aliquo modo realiter. Prima exponens ità demonstratur à D. Tho. prima par. quæstio. 39. artic. quinto, secundum Aristotelis doctrinam, cui admiscetur sacra Theolog. tanquam gubernatrix cuiuscunquè scientiæ humanitus adinuentæ. Suppositum Dei significat id, quod habet diuinam essentiam, & patet ex dictis, tum in doctrina Aristotelis, tum in sacra Theologia: essentia autem diuina significat essentiam: vt formam abstractam; igitur ratione distinguuntur. Secunda exponens: Nullo modo natura, & suppositum in Deo, reipsa, distinguuntur. Primò probatur naturã, & suppositum non distingui intrinsecè à D. Thom. prima par. quæstio. 3. artic. 3. ex principijs desumptis ab Aristo. 3. de Anima tex. 9. & 7. Met. tex. 42. Suppositum à natura intrinsecè distinguitur, quia suppositum principia includit materialia: at suppositum diuinum nullam includit materiam; ergo &c. Secundò probatur non distingui extrinsecè. Suppositum distinguitur à natura extrinsecè per esse existentiæ distinctum realiter à supposito, vel per aliqua accidentia, quæ omnia, scilicet esse, & accidentia cõparantur ad suppositum, sicut potentia propria ad proprium actum, vt asseruimus loquentes de huiuscemodi extrinseca distinctione, sed in Deo, esse, à supposito minimè distinguitur, nec aliqua accidentia in Deo sunt, cum in Deo, nulla potentia sit, igitur in Deo non potest esse, realis distinctio, etiam ab extrinseco supposito, à natura. Minor demonstrabitur in in tertio libro, dum pertractabimus de natura Dei.

In substantijs separatis suppositũ, & naturam distingui intrinsecè, nedum extrinsecè ostenditur ad mentem tùm D. Tho. tùm Arist. Cap. 9.

TErtio loco consideranda est distinctio inter suppositum, & naturam in substantijs separatis; Verùm antequam veniamus ad huiusmodi considerationem, animaduertendum primò est, Philos. præcipuè Thomistas in hac controuersia inter se conuenire, & dissentire. Conueniunt quidem in hoc, suppositum, & naturam in substantijs separatis, distingui secũdum rationem, & reipsa extrinsecè. Adinuicem autem pugnant in hoc, quoniam Capreolus sustinet, idem realiter esse intrinsecè, suppositum, & naturam in abstractis à materia; Caiet. autem oppositum defendit, & quia sententia Caieta. nobis conformior videtur doctrinæ Aristote. ideò ipsum sequemur modò, talemquè ordinem obseruabimus. Primò persuadebimus id, in quo omnes Thomistæ conueniunt. Secundò demonstrabimus id, in quo adinuicem aduersantur. Demonstratur itaquè vnica ratione, suppositum, & naturam reipsa adinuicem extrinsecè distingui, subinde ostendemus, hanc esse Aristot. sententiam. Ratio hęc est. Illa reipsa extrinsecè semouentur, quæ distinguuntur per actum

semotum ab eo, cuius est actus. Hæc nota est, quoniam ille actus est quid extrinsecum; at suppositum & natura in abstractis, per talem distinguuntur actum; ergo &c. Minor probatur; quoniam vt in sequentibus demonstrabitur, & iam etiam fuit ostensum, esse reipsa à supposito distinguitur; cum sit eius actus tanquam subiecti. Quo circa suppositum à natura per quendam actum extrinsecum. s. per ipsum esse existentiæ distinguitur.

Subindè ostenditur, hanc esse Aristotelis mentem 7. Met. tex. 20 & 21. nam in textu 20. sermonem habens de distinctione inter quod quid est, & id cuius est ostendit, in his quæ sunt per accidés, quod quid est, esse diuersum ab eo, cuius est talibus verbis. *In dictis quidem itàquè, secundum accidens, videbitur vtiquè diuersum esse, vt album, homo, alterum, & alterum homini esse.* Hoc idem repetit in tex. 21. Vnde D Thom. exponens hæc Aristotelis verba,ità cõcludit, & sic in his, quæ sunt secundum accidẽs, quod quid erat esse alicuius, nõ erat idem cum eo, cuius est, qđ quid erat esse. Tunc subsumitur alia propositio; At in suppositis abstractis multa sunt accidentia, vt apertè inferius demonstrabimus ad mentem Aristotelis: quapropter ad ipsius mentem, suppositum extrinsecè reipsa, distingitur ab eius natura, vt etiam Caieta. istos textus ponderans, in libro de ente & essentia cap. quinto, contestatus est, hancquè doctrinam habet D. Thom. quol. secundo q. 2. ar. 2.

Subindè probatur, ista ratione, distingui; hunc in modũ. Quæ aliquo modo reipsa distinguuntur, etiam ratione seiouẽtur, sed natura, & suppositum sunt huiuscemodi, vt nunc ostensum est; ergo &c. Maior comperta est, quoniam si vna, & eadem res diuersas potest fundare rationes, vt manifestum est de sex transcendentibus, multo magis ea quæ sunt aliquo modo reipsa distincta.

Quò ad sententiã Caietani. Caie. 3. p. q. 4. art. 2. sustinet suppositum à materię abstractum, sicut & quodlibet aliud creatum addere supra suam singularem naturam; quandam intrinsecam realitatem ante ipsum esse existentiæ, ex consequenti, suppositum, reipsa, intrinsecè à natura singulari, per hanc realitatem distingui defendit. (Hanc doctrinam sequuntur Ferr. 4. contr. gent. cap. 43. Bannes prima par. quæst. 3. & penè omnes Thomistæ) quam conclusionẽ multis rationib. suadet. Verũ nos adducemus tantum in præsenti, doctrinam Diu. Tho. & Aristotelis. In libro autem de sex transcendentibus hanc veritatem multis vijs ostendemus.

Quò ad D. Thom. doctrinam, docet 3. p. quæstio. 15. artic. 2. per totum, & præcipuè in responsione ad primum, inter suppositum, & naturam, tale esse discrimen, vt suppositum sit primum subiectum actus essendi in rerum natura, nequaquam autem naturam esse huiusmodi subiectum, & verba eius ad primum ista sunt. Esse consequitur naturam, non sicut habentem esse. sed qua, aliquid est, personam autem seù hypostasim, sicut habentem esse, ex qua doctrina talis colligitur ratio. Constitutiuum rei in hoc, quod est esse per se primò realis entitatis susceptiuum, necesse est, esse aliquam entitatem realem. At suppositum substantiæ separatæ differt à sua singulari natura, in hoc, vt in se aliquid claudat, quo est per se primò susceptiuum alicuius realis entitatis, huic singulari naturæ abstractæ repugnantis; igitur suppositum substãtiæ separatæ in se realitatem claudit in esse constitutiuum, quo differt ab hac singulari natura; sed constitutiuum alicuius rei est illi intrinsecum: ergo suppositum separatum, à sua natura singulari reipsa intrinsecè distinguitur.

Secundo D. Thom. docet 3. par. quæstio. 35. articulo quinto, per totum, & prima p. quæstio. 34. articulo secundo, ad tertium, suppositum esse filiationis su-

subiectum, naturam auté minimè, adeò vt si natura sine suo poneretur supposito, non esset filiationis subiectum. Ex qua auctoritate, possumus argumentum colligere, quemadmodum colligimus ex præcedenti auctoritate. Ad istas duas auctoritates, aliqui respondent, discrimen inter suppositum, & naturam, esse penes subiectum actus essendi, & filiationis, attendi penes diuersum, significandi modum, & ipsa natura dum cócipitur in abstracto, non potest esse actus essendi, & filiationis subiectum; vt autem in concreto concipitur, potest esse, & actus essendi, & filiationis subiectum. Aliqui affirmant, huiuscemoi discrimen, secundum extrinseca attendi. At istæ responsiones nullius sunt momenti, quoniam illa differentia iam assignata, inter suppositum, & naturam, omnia extrinseca, omnesquè intelligendi, & significandi modos, præuenit. Alij respondent, dicentes, hoc discrimen penes negationes desumi, hoc modo. Illa natura, vt potest esse, quod existit appellatur suppositum; illamet natura abstracta, vt non potest esse, quod existit (ecce negatio) natura nuncupatur. Verum responsio hæc, omninò falsa est, quoniam ista differentia, inter suppositum abstractum, & naturam, realis est, & est per se primò subiecti, realis entitatis constitutiua, vt nunc probatum est: negatio autem, nec est realis, nec subiecti realis entitatis, cóstitutiua. Deinde hanc opinionem esse secundum Aristotelis doctrinam, ostenditur, nam Aristoteles quinto Met. tex. 15. distinguit substantiam in primam substantiam, & essentiam. Substantia autem pro essentia est res, cui esse debetur per se, hoc est, non in alio, veluti, accidens in subiecto est. Substantia auté pro prima substantia, est res, cui debetur esse per se separatim, ità vt ei repugnet esse in alio, vt in quod, vel vt quo in quod, siuè ut pars, aut quasi pars in toto. Tunc ità argumentum colligitur. Substantia pro essentia non ex modo essendi affirmatiuo, vel negatiuo constituitur; verum constituitur ex constitutiua intrinsecè realitate, cui essentiæ debetur esse, tali modo, vt habeat esse, tanquàm quo aliquid est, vt superius asseruimus; igitur & substantia pro hypostasi, seu supposito constituitur non actu essendi, tali modo, tanquam quod existit, sed ex realitate constitutiua, intrinsecè ipsius hypostasis, cui debetur actus essendi, tali modo. Consequutio bifariam probatur. Primò quoniam non est maior ratio de vna substantia; quàm de alia. Secundò quia si maior ratio esset de vna, quá de alia, quò ad hoc, esset de hypostasi, hac de causa; quia si minus substantia, vt est essentia suum habet constitutiuum per se, & intrinsecè positiuum; multò magis maximè substantia constitutiuum per se positiuum, & intrinsecum habere debet; sed hypostasis est maximè substantia; igitur suum constitutiuum positiuũ per se, & intrinsecum debet habere; Maior comperta est ex hoc, quia in cóstitutorum genere, constitutum per positiuũ intrinsecum, nobilius est constituto per negationem, vel priuationem, aut per aliquid extrinsecum, cum nobilius sit, habere esse, ab intrinseco, & positiuo, quam ab extrinseco, vel negatiuo. Minor autem est Aristotelis in prædicamẽtis, applicantis, primam substantiam propriè principaliter, & maximè substantiam; Idem autem est prima substãtia, quod hypostasis, & suppositum. Hęc quò ad Aristotelem.

In libro de transcendentibus hanc doctrinam multis alijs rationibus Theologicis ostendemus.

Ostenditur quid sit supradicta realitas intrinsecè constitutiua personæ. Cap. 10.

IVre optimo explicandum est, antequam vltra progrediamur, quid sit ista realitas, quæ est principium suppositi abstracti cóstitutiuum intrinsecum, trin-

intrinsecequè distinctiuum suppositi à natura. Ad hoc, responsum dat Caiet. 3.par.quæst.4. art.secundo, contestans, huiusmodi principium (quod rectè nuncupatur suppositalitas) esse quandam realitatem in genere substantiæ, (sicut sunt cæteræ realitates substantiarum cōstitutiuę, vt rationale, & id genus) &c. non tamen, esse differentiam propriè loquendo, sed esse terminum vltimum ac vt sic purum, naturæ substantiæ. In qua quidem ratione, Caieta. tria astruit. Primum est: suppositalitatem esse naturæ terminum, & hac de causa, hoc asserit; quoniam naturam suppositari, est naturam terminari. Secundum assertum est: Suppositum esse vltimum terminum; & hoc hac asseueratur ratione, quia natura nunquam est vltimatè terminata, donec suppositetur, quantūcunque natura indiuiduetur; nisi suppositetur, nequaquam est vltimatè determinata. Tertium affirmatum est: suppositalitatem esse purum vltimum terminum, quod quidem fuit appositum, non ad necessitatem, sed ad maiorem vltimi termini explicationem: hacque de causa appositum fuit, vt instrueremur; terminare, vt terminare, nullā dicre causalitatem; nec nō ad explanādum, suppositalitatem, naturam terminantem, nullā dicere respectu terminatæ naturę, causalitatem; quo circa non solum est extra causarum extrinsecarum genera; verum etiam extra causas extrinsecas. Hæc omnia sacri Theologi in mysterio incarnationis satis apertè explicant, vt videre est apud Caietanum eò loci. Quæ omnia à nobis explicabuntur in libro de transcendentibus.

Hoc loci ex assertis colligimus, naturam singularem sine supposito esse incompletam, & suppositum; maximum importare complementum, hocquè nihil aliud est, quam asserere, naturam singularem, non esse secundum se vltimatè terminatam, & suppositum importare vltimum naturæ terminum, & ratio huius potissima, ex apparentibus in naturalibus substantijs homogeneis colligitur. Intuemur enim ex sola diuisione, res multorum Prædicamentorum simul actu fieri absquè alio generatione; ex sola namque ligni, & aquę diuisione primò conspicimus quamlibet partem, nouum terminum, in quantitatis genere acquirere, quoniam ex illa parte, qua partes continuabantur quęlibet pars nouum acquirit terminum in genere quantitatis. Secundò, quælibet pars nouam acquirit relationem, cum quęlibet pars fit actu totum ac per hoc de nouo totius acquirit relationem. Tertiò, quælibet pars proprium esse actu acquirit, cum prius esset in potentia in toto, vt pote pars eius. Quartò, quęlibet pars nouam hypostasim, seu nouum suppositum acquirit, quia quælibet pars est hypostasis, seu prima substantia, vel suppositum; cum prius minimè essent primæ substantiæ; sic itaq; vna existente hypostasi in actu, & multis in potētia sola diuisione fiūt multę, & secūdum hanc doctrinā, quæ est Aristo. secundò de Anima tex. 20. & D.Thom. 3. sent.d.5.q. 3. art. 3. ad tertium, ita arguitur sola diuisione duæ fiunt hypostatases in actu, quæ erant vna in actu, & duæ in potentia, non minus quàm in animalibus imperfectis, existente vna anima in actu, & duabus in potentia sola diuisione, fiunt duæ animæ; sed ex diuisione fit terminatio; igitur ex determinatione fiunt huiuscemodi hypostases in homogeneis, & in animalibus imperfectis.

Ex ista doctrina, multæ soluuntur dubitationes, & difficultates, præcipuè quatuor.

Prima difficultas est de identitate, & diuersitate suppositi à singulari natura, etenim suppositum singulari cum natura est aliquo modo idem, & aliquo modo non; sicut terminus est ipsi terminato quasi idem, & quasi non idem, est .n. terminus quasi idem terminato, quia est aliquid eius .s. terminus, & non est idem, vt compertum est de puncto & linea: Ita suppositum est quasi idem sua cum natura singulari, quia est aliquid eius.s. terminus, & non est quasi idem, quia

quia suppositum non est natura, imò est reipsa ab ea distinctum.

Secunda difficultas est de separabilitate, an scilicet, natura & suppositum separari possint. Nam natura potest sine suo termino, in actu fieri, non autem terminus sine natura fieri potest, quemadmodum linea sine omni puncto, in actu esse potest, vt patet in linea circulari, non autem punctus sine linea esse potest, quia contradictionem inuoluit, vt potè positionem habens, & non habens positionem, ità natura diuinam per potentiam, absquè proprio supposito, potest fieri; non autem potest suppositum esse absquè natura, quia contradictionem implicaret; esset enim alicuius naturę suppositum, & non esset alicuius suppositum naturæ; esset quidem alicuius suppositum naturæ. quia suppositum esset in rerum natura, ex consequenti esset alicuius naturę suppositum, cum de ratione intrinseca suppositi sit, vt sit alicuius terminus naturæ, sicuti de puncti ratione, est habere positionem, non esset autem alicuius naturæ terminus, quoniam hoc à contradicentibus mittitur, vt ad persona, sit absque aliqua natura. Hanc doctrinam; docet primò Capręolus tertia distinctione quinta quæstio. tertia, & in responsio. ad primum contra eandem conclusionem affirmans, implicare contradictionem, personam alicui vniri, & ideo necessariū si persona in rerum natura datur, erit propriæ naturæ persona. Itidem Caiet. hanc docet doctrinam tertia parte quæstio. quarta articu. secundo, ad confirmationem secundi argumenti Aureoli.

Tertia difficultas est. An suppositum cum natura componat. Soluitur hoc modo, nulla reperitur compositio ex natura, & supposito; cum inter terminatum, & terminum nulla compositio existat, non enim linea ex punctis componitur, aut ex linea & puncto aliqua fit compositio. Cum itaquè natura sit res terminata, & suppositum, terminus ex natura, & supposito nulla compositio subsistet.

Quarta diffiultas. An vltra materiam, formam, & compositum ponatur noua substantia: Cui difficultati occurrimus ex dictis; compertissimum enim est, nos vltrà materiam, formam, & compositum nouam substantiam minimè fingere, quandoquidem compositi appellatione, in substantijs materialibus, vtranquè intelligimus substantiam in quinto Met. positam, scilicet essentiam, & hypostasim, quoniam ex materia & forma, non solum sortis essentia (siuè communiter sumpta, vt humanitas, siuè singulariter, vt hæc humanitas) componitur; sed etiam ipse sortes, vt conspicuum est.

Vnum diluitur argumentum contra illud Caietani assertum. Suppositum est vltimus naturæ terminus.

Cap. II.

Contra illud à Caietan. assertum, personalitas, seu suppositalitas, est vltimus naturæ terminus; adest vnicum, sed pulcherrimum argumentum. Supponendo primò, esse existentiæ, reipsa, ab ipsa persona, vel supposito distinctum esse: hoc stante ità formatur argumentum. Esse existentiæ, est vltimus actus, qui, est ab omnibus participabilis, ergo suppositum nequaquam est vltimus naturæ terminus. Consequentia probatur; quoniam vltimi non est vltimum, cum hoc contradictionem, inuoluat. Antecedens est Diui Thomæ in quæstione de Anima articulo sexto, ad secundum, quem sequitur Caietanus de ente & essentia

cap.

cap. quinto parte tertia in quarta differētia inter compositionem ex materia & forma, & compositionem ex esse & essentia.

Huic argumēto trib. occurrimus resp̄ōsis. Primum responsum. Aliud est, esse vltimum naturæ terminum, & aliud esse vltimum terminum omnium absolutè. Primum supposito conuenit; Secundum autem ipsi esse existentiæ. Et quemadmodū suppositū est vltimus naturæ terminus, ità esse existentiæ est vlt. suppositi terminus, nullumquè absurdum est, vnum terminum habere alium terminum, quando ille terminus non est simpliciter vlt. sicut est suppositum, veluti etiam forma est materiæ terminus, & tamen forma iterum per esse terminatur, & ità esse existentiæ est formæ terminus, ipsaquè est materiæ terminus: ex quibus colligimus huius propositionis vulgatissimæ germanum sensum. Esse existentiæ est actualitas omnis formæ, omnisquè rei, omnisquè naturæ, qui iste est. Quoniam primò forma immediate materiam actuat, ex consequenti est immediatè materiæ actus, qua actuatione composita essentia resultat. Secundò ex essentia per naturalem resultantiam, suppositum emanat, (vt fuit assertum superius) quod quidē suppositū est vltimus naturæ terminus, & sic suppositū essentiam, seu naturam actuat; & ideo suppositum est immediatè essentiæ actus, mediatè autem actus formæ & materię. Tertiò ex supposito esse resultat existentiæ, quod primò, est immediatè actus suppositi, secundò est actus essentiæ compositæ, tertiò actus formæ, quartò actus materiæ, quintò actus accidentium propriorū, sextò accidentium communium. Sensus, itaq; propositionis est. Esse existentiæ est actualitas cuiuscunquè rei, scilicet, materiæ, formæ, compositi, & suppositi; non eodem modo, sed diuersimodè modo exposito. In substantijs autem abstractis creatis, esse est immediatè primò actus personæ, secundò essentiæ, tertiò propriorum accidentium, quartò communium accidentium, quæ tamen omnia, tàm in substantijs simplicibus, quàm compositis in vno temporis instanti fiunt; Verùm in diuersis naturæ instantibus, & in tot, quot dicti sunt.

Secundum responsum rediens in idē Esse existētiæ est vltimus terminus cuiuscunquè formæ, & naturæ, & rei, mediante tamen supposito, & ita intelligitur dictum D. Thom. in quæstione de anima, & aliorum sic asserentium. Et similiter, suppositum est vltimus naturæ terminus adiuncto tamen sibi esse existentiæ necessario suppositum comitante.

Tertium responsum est coincidens cum duobus primis responsis, sed reducens ipsa ad formale responsum. Suppositum est terminus naturæ vltimus vt quod, esse autem existentiæ est vltimus naturæ terminus, vt quo.

Duo Argumenta contra conclusionem principalem diluuntur.

Cap. 12.

Contra conclusionem principalem de distinctione reali, & intrinseca suppositi à natura in substantijs abstractis, sunt plura argumenta, quæ sunt in multiplici differentia. Nos tamen, quatenus ad nostrum spectat institutum, ad duplex discrimen reducemus, in libro autem de transcendentibus, plura alia diluemus. Etenim quædam ex doctrina D. Thom. & Caietani desumuntur, quædam verò ex Aristotelis aliorūquè Phylosophorum doctrina.

Primi itaquè discriminis vnū tm̄ est argumentum, quod est tale. D. Thom. prima par. quæstion. 3 articul. tertio, & Caietan eò loci, & de ente & essentia, cap. quinto, par. secunda. Item D. Th. 3. senten. d. 5. quæstio. 1. art. 3. c. contestantur in omnibus substantijs separatis,

tis, suppositum, & naturam esse eadem realiter, & intrinsecè, licet extrinsecè seiungantur, vt omnes Thomistæ fatentur.

Respondet Caietan 3. par. quæstio. secunda articulo secundo ad primum dub. quam tamen responsionem collegit ex D. Thom. quodl. 2. quest. 2 articu. secundo, quæ responsio in hoc consistit. Datur duplex principium suppositi à natura distinctiuum. Alterum, quod est naturę vniuersalis determinatiuum ipsam faciendo singularem: & huiusmodi sunt principia materialia indiuiduantia, quæ naturam determinant vniuersalem, puta humanitatem, ipsam constituendo singularem. Alterum, quod est solum suppositi à natura distinctiuum: & huiusmodi principium est suppositalitas. Primum principium distinctiuum, in separatis à materia minimè reperitur, quoniam seipsis sunt determinata, seipsisquè sunt hæc, & ideo sua specifica natura, & singularis omninò sunt eadem; quadere, loquendo de huiusmodi distinctiuo, suppositum non se mouetur à natura in separatis, & hoc modo locuti sunt D. Thom & Caietan. prima par. & de ente & essentia. Secundum autem distinctiuum principium in omnibus inuenitur creatis, et in separatis, & ita locuti sunt Di. Tho. & Caieta. 3. parte, hocquè modo nunc loquimur.

Ex ista responsione duo habemus. Alterum: In maretialibus suppositum à natura semouetur duplici distinctiuo principio supradicto. In separatis autem, suppositum à natura vnico tantum seiungitur distinctiuo principio. Alterum quod habemus est: in compositis ex materia & forma, omnia ista, reipsa distincta sunt, natura vniuersalis, natura singularis, suppositum, & esse existentiæ: quia singularis natura principia indiuiduantia includit, quæ minimè à natura vniuersali includuntur. Suppositum includit suppositalitatem, quę à natura singulari nequaquam includitur. Esse existentiæ, vt dicemus in libro de transcendentibus, quendam includit actum quem non includit suppositalitas. In separatis autem creatis, omnia etiam præd. reipsa adinuicem separantur, præter vnum, quod est: Natura vniuersalis à natura singulari minimè seiungitur; quandoquidem singularis natura non includit aliquid, quod ab vniuersali natura etiam non includatur.

Sed contra istam responsionem itá instatur. Si re vera in separatis à materia reipsa intrinsecè suppositum distinguitur à natura. ergo D Thom. in prima parte fuit, vel falsus, afferendo idem esse in separatis à materia suppositum, & naturam, vel diminutus, non dilucidando suppositum reipsa semoueri absolutè à natura, licet non ratione materialis principij. Negatur consequutio, quoniam licet (ait Caie) processus ille, solus posset reprehendi, attamen articulis coniunctus sequentibus, non fuit reprehensibilis, quoniam ex sequentibus illius quæstionis articulis, excluduntur ab eo (de quo erat principalis controuersia) alij modi, quibus potest suppositum à natura secundum rem distingui. Excludendo enim compositionem ex essentia, & esse, & quocunquè alio accidente, necnon quacũquè alia componibilitate, clarissimè patet, illi essentiæ nihil præter speciei rationem, coniunctũ esse, ac per hoc omnes modi, quibus suppositum à natura distingui potest, inueniuntur à Deo exclusi, non autem ab Angelis, seu substantijs separatis (more Met. loquendo) de quibus tunc non erat controuersia; quadere illius processus articuli non est falsus, quoniam in illo articulo 3 sermo erat tantum de distinctione per materialia principia, inter suppositum & naturam, quæ in separatis minimè reperitur; nequè etiã ille processus fuit diminutus, quoniam stante in illamet quæstione, manifestauit D Thom. in Deo, suppositum & naturam esse omnibus modis reipsa eadẽ, nec fuit mancus non declarando, quonam modo in Angelis, vel substantijs sepa-

separatis absolutè, & vniuersaliter ista duo essent eadē, vel nō essent eadē; quoniam ibi non erat quæstio principaliter, de Angelis, ideircò ille non erat locus illa perscrutandi.

Secundum argumentum colligitur ex Aristotele, ex duobus textibus. Primus est textus nonus tertij libri de Anima cuius verba sunt ista. *In quibusdā enim idem est esse carni, aut carnem.* per carnem, intelligendo id, quod essentiā & diffinitionē habet, quod est suppositum, per esse carni, intelligendo ipsam diffinitionem, seu essentiam, vel naturam, iuxta expositionem Diu. Thom. Alex. Simpl. & penè aliorum omnium Aristotel. interpretum, similiter secundum omnium illorū expositionem per hoc materiale exemplum de carne intelligit Arist. substantias immateriales. Secundus tex. est 41.7. Met. vbi astruit hoc idem, hæc verba proferens; *Et quod quid erat esse, & vnum quodquè, in quibusdam, idem, vt in primis substantiis*; & per primas substantias, intelligit substantias sine materia, vt ipsemet immediatè exponit talibus verbis. *Dico autem, primum quod non dicitur per aliud, in alio esse, vt in subiecto, vel materia,* Hoc idem affirmant supradicti interpretes. Diu. Thom. quidem in vtroquè loco, Alex. autem, & Simpl. in lib. de Anima.

Huic controuersiæ quadrifariam occurrimus. Primò, vt responsum fuit ad primum. Secundò, vt respondet Caiet. 3. par. q. 4. artic. secundo, ad tertium inconueniens tertij argumen. Aureoli. Aristoteles per ly quod habet esse, seu per ly id cuius est, vel per suppositum, seu hypostasim (quæ omnia idem significant) intelligit singularem naturam, quæ omnibus modis (vt in præcedenti responsione fuit assertum) est eadem re ipsa cum natura vniuersali; Indistinctè enim Philoso. indiuidui nomine vtitur, cuiusmodi est natura singularis, & hypostasis, & solùm pertractat de quidditatis distinctione, & eius cuius est, secundum vniuersalis, & singularis principia naturæ, quæ quidem principia in separatis creatis sunt eadem essentialiter, & reipsa omnibus modis (vt pluries asseruimus) quæ principia sunt proprium genus, propriaquè differentia. Tertiò respondemus eo modo, quo responsum dedimus, ad primum argumentum Capitis sexti. Ex doctrina Caie. locis ibidem citatis. Duobus modis aliquid alicui conuenit, vno modo positiuè, alio modo negatiuè Ad primi veritatem exigitur, vt illud sibi conueniat in primo, vel secundo, vel quarto, modo dicendi per se; quo circa illi conuenit vniuersaliter, in quocunquè ponatur, quemadmodum risibile homini conuenit. Ad secundi veritatem sufficit, vt illud sibi non repugnet, quapropter minimè necesse est, illi vniuersaliter in quocunquè ponatur inueniri, vt luti risibile animali conuenit non repugnanter, & ideo non est necessarium, vt omni conueniat animali, & illius generis in Aristotelis doctrina, multæ sunt propositiones, vt in illa responsione fuit adductum. Stante ista distinctione dicimus, cōclusionē nostram, quæ est: in separatis à materia essentia, vel natura est eadem cum supposito, esse intelligendam, non repugnanter, quocirca non est necessarium, vt in omnibus essentia sit eadem cum supposito, sed satis est, vt in vno saluetur, & verè in vno saluatur, scilicet, in primò ab solutè separato, quod Deus. Quartò respondet (& hoc responsum, consistit in declarādo alio modo, quid sit, aliquid conuenire alicui negatiuè, quod fuit declaratum in præcedenti responsione) duplici modo, aliquid alicui conuenit. Altero modo positiuè, vt nunc fuit assertum, & ità vt diximus, quicquid hoc modo alicui conuenit, ei vniuersaliter conuenit, & isto modo nostra conclusio, non intelligitur, vt nunc fuit declaratum. Altero modo aliquid alicui conuenit negatiuè, & hoc est, quando aliquod prædicatum ab aliquo negatur subiecto, vt risibile, non conuenit animali in eo, quod est animal.

Quidquid

Quidquid autem nõ cóuenit alicui, seu ab aliquo negatur, non est necessarium ab omni eo negari, sicut risibile non negatur ab omni animali, conuenit enim animali in homine. Et hoc modo affirmamus, intelligandas esse omnes propositiones supra capite sexto, adductas, pro responsione ad primum argumentum vt sit sensus. Motus est velocitabilis in infinitum, id est, motus, vt sic, non est determinatæ velocitatis. Itidem continuum est diuisibile in infinitum, id est, continuum, vt sic, non est determinatę diuisionis. Pari modo motus habet contrarium, idest, motus, vt sic, non determinat sibi esse absquè contrario; pari ratione proposito Aristotel. in argumento adducta intelligenda est negatiuè; vnde quando asseritur ab Aristotel. essentia substantiarum separatarum est reipsa eadem cum supposito, sensus est, essentia substantiarum separatarũ, non sibi determinat, vt sit à supposito distincta: & ideo suppositi identitas cum essentia non negatur ab omni separato; quoniam non negatur à primo separato, quod est Deus: cum hoc tamen stat, quod suppositi idẽtitas cum essentia negetur ab omni separato creato, sicut risibile non negatur ab animali in homine, negatur tamen ab omni alio animali.

Substantiam separatam non esse compositam ex materia & forma ostenditur ad mentem Arist. Cap. 13.

SVbinde ostendendum est, substãtias abstractas esse sine materia, & circa huiusmodi considerationem, tria agenda sunt, primò supponemus duo fundamenta, secundò adducemus conclusionem, cum suis probationibus, tertio satisfaciemus obiectis.

Quò ad primum. Primum fundamentum. Operatio cuiuslibet rei est secundum eius substantiæ modum. Hoc fundamentum primo desumitur ex Arist. 3. Physic. tex. 16. asserente vnumquodq; operari inquantum est in actu, seu operationem sequi esse in actu; quocirca, operandi modus sequitur modum essendi. Hoc idem habetur 9. Met. text. 28. vbi comparat corruptibilia corpora corporibus incorruptibilibus in agendo, affirmans, eorum corpora, quorum esse in transmutatione est, imitantur incorruptibilia corpora in eo, quod semper agunt. & ratio huius est, quia corpora corruptibilia motum, suamq; operationem propriam habent secundum se, & in eis, in quantum formæ eorum sunt talium motuum, & actionum principia. Ex quibus colligitur, operationem rei esse secundum modum formæ ipsius, quæ quidem forma, principium est, & rei, & operationum.

Secundum fundamentum. Intelligere est operatio penitus immaterialis, quod ità demonstratur ad mentem Aristotel. Obiectum intellectus est separatum à materia per Aristot. 3 de Anima tex. 10. ità scribentem; *omninò igitur, vt res, separabiles sunt à materia, sic se habent, & ea, quæ sunt circa intellectum ipsum*. Ex quibus verbis apertè colligitur obiectum intellectus esse à materia separatum. Sed per Aristot. 2. de Anima tex. 22. & 33. operationes, & actus speciem, & rationẽ accipiunt à suis obiectis; igitur intelligere, cum habeat obiectum à materia separatum, erit pari modo, operatio à materia separata. Hæc quò ad primum.

Quò ad secundũ ponitur talis conclusio. Substantia abstracta non est composita ex materia & forma. Quę ità ex fundamentis probatur. Ex primo fundamẽto: cuiuslibet rei operatio est secundum eius substantiæ modum, ex quo colligitur, modũ operãdi attestari modo operantis; sed ex secundò fundamẽto, intelligere est operatio sine materia; ergò & intelligens, est sine materia; sed substantiæ separatæ, sunt intelligentes; ergo substantię separatę sunt sine materia, ac per hoc, nõ sunt cõpositę, ex materia & forma ad aures Aristotelis. Et hanc con-

clusionem apertissimè docet undecimo Metaphisicæ textu 30. Ità scribens. *Amplius igitur tales oportet esse substantias sine materia*. Hæc de secundo.

Contra hanc veritatem ità arguitur. Arist. 8. Met. tex. 16. contestatur. *Si quæ substantia est sine materia, statim est ens, & vnum, & non est ei alia causa, vt sit ens, & vnum*; sed omne creatum, & per consequens, omnis substantia separata, habet causam sui esse, & vnitatis ad mentem Aristotelis, vt demonstrabitur in tractatu de creatione, igitur nullum creatum est substantia sine materia; igitur omnis substantia creata est composita ex materia & forma. Respondemus Philoso. eò loci, sermonem habere, non de causa agente, sed formali. Illa enim, quæ sunt ex materia & forma composita nequaquàm statim sunt ens, & vnum, quoniam materia est ens in potentia, & fit ens actu per formæ aduentum, quæ est ei essendi causa. At forma non sic habet esse per aliam formam; idcirco si sit aliqua forma subsistens, statim est ens, & vnum, minimèquè sui esse causam habet formalem, habet tamen causam, ei esse influentem, non autem causam mouentem, quæ ipsam de potentia præexistente in actum reducit.

In substantijs separatis essentia realiter distinguitur ab esse existentia.

Cap. 14.

HAnc conclusionem D. Thom. 2. con. gent. cap. 52. quinquè rationibus demonstrat; verum nos adducemus tantum quartam, alias omittentes, explicandas in libro de transcendentibus, vbi ostendemus, in omnibus rebus creatis essentiam distingui ab esse, nũcquè ostendemus hanc rationem esse ad mentem Aristo. ac per hoc necessarium esse, ad eius mentem etiam esse præsentem conclusionem.

2. Ratiò hæc est, substantia, seu essentia cuiuscunquè rei, est ens per se, hoc est, est ens minimè ab aliquo causatum at cuiuscunquè rei creatæ, esse existentiæ non est ens per se, sed ab alio causatum, scilicet, à Deo; ergo esse cuiuscunquè rei creatæ non est substantia, seu essentia rei creatæ. Maior ità à Diu. Thom. declaratur, esse lucidum actu nequaquam est, de aeris substantia, cum sibi per aliud conueniat. Minor autem apertissima est, esse enim cuiuscunquè rei creatæ à Deo productum est; qua de re esse conuenit rei creatæ per aliud, scilicet, per Deum.

Circa maiorem, scilicet, essentia creatæ rei minimè causam habet; animaduertendum est, ipsam duplicem posse habere sensum. Primus sensus est, rei creatæ essentia non habet causam productiuam, vt in rerum natura sit. Secundus sensus est, essentia rei creatæ nequaquam causam habet productiuam propter quam rei conueniat, cuius essentia (ab existentia abstrahendo) qui sensus, nihil aliud præsefert, nisi diffinitionem: connexionem, ordinem, & habitudinem ad ipsum diffinitum, habere necessariam, hæcquè necessaria habitudo nullam habet causam, suæ necessitatis, productiuam. Primus sensus falsus est, ac per hoc minimè intentus. Secundus verus, & intentus est; quod primus sensus sit falsus, ita ostenditur. Omnis essentia creata habet esse existentiæ à Deo productum; ergo & ipsa essentia est a Deo producta; consequutio probatur, quoniam creatio (quæ est ipsius esse productio) vt Docet D. Thom. prima par. quæst. 45. articu. 4. per totum. ad id, quod habet esse terminatur, sed essentia est id, quod habet esse (non distinguendo nunc suppositum ab essentia) ergo essentia propriè creatur, esse autem existentię concreatur. Quod autem secundus sensus sit verus, ità probatur à Capreolo p. sent. d. 8. quęst. 1. in prima ratione; pro prima conclusione, & à Caie. de ente & essentia cap. 5. in vlt. quintæ partis

tis,& primo post.cap.6. & à Paulo Soncinate. 5. Met. quæstio. decima, & a Ferr.4. contr. gent.cap.52. in 5. ratione; sic in quam ab istis omnibus probatur. Quæritur an ista propositio, Rosa est substantia corporea, in qua diffinitio de diffinito prædicatur sit vera, semota omni effectiua causalitate, vel non; si vera est, intentum habetur; si non est vera; igitur diffinitio potest à diffinito separari, quod non est intelligibile. Et hoc est, quod nos voluit docere Aristo. primo post.capit.quarto tex.nono, asserens diffinitionem per se de diffinito prædicari hoc est, à nullo habet hoc, sed à se hoc habet. Hanc etiam veritatem voluit explicare Aristot.7. Met tex. 59. astruens, non esse quærendum propter quid homo est homo; & proculdubio hoc minimè quærendum est, quoniam quæsitum; aliquam causam quærit, hoc loci autem nulla adest causa. Et ratio huius veritatis est; quoniā licet vnumquodquè creatum sui esse cautam necessario habeat; Verūtamen nullum creatum causam habet, vt sit sibi ipsi idem, & vnum, vt docet Aristote. in illo tex.59. diffinitio autem est vnum quid, & idem cum ipso diffinito: ideo propositiones, in quibus, diffinitio de diffinito prædicatur, nullam suæ necessitatis causam habēt; verum ex se necessariæ sunt; quemadmodum vnumquodquè est sibi ipsi vnum, & idem absquè aliqua causa. Et hac de causa propositiones istiusmodi appellantur sempiternæ veritatis, propositionesquè sempiternæ veritatis non dicuntur, suæ necessitatis, & sempiternitatis causam habere. Ex istis apertè colligitur, hanc conclusionem esse secundum Aristotel. mentem; quoniam maior propositio in vero sensu est Aristotel. vt nunc visum fuit. Minor etiam est ipsius, vt perspicuum erit in controuersia de creatione, ad mentem Aristot.

Vnum præmittitur fundamentum ad substantiarum separatarum compositionem indagandam.

Cap. 15.

QVamuis fateamur, substantias separatas non esse formas ex materia & forma compositas, ac per hoc esse formas sine materia; Veruntamen in eis, non omnimodam simplicitatem, & puritatem astruimus, verum docemus compositionem ex natura & supposito, & ex essentia & esse existentiæ tanquam ex potentia & actu in eis reperiri.

Hæc conclusio duas continet partes; prima, substantiæ à materia abstractæ componuntur ex natura & supposito; tanquam ex potentia & actu, secunda, substantię separatę componuntur ex essentia & esse existentiæ pari passu tāquam, ex potentia & actu. Circa quas tria agenda sunt, primò vnum iaciendum est fundamentum. secundò probandæ sunt, tertiò obiectis occurrendum est.

Pro intelligentia fundamenti sequētis, aduertendum est. D. Thom. secundo contra gent.cap.52. quem sequitur Caietan.de ente & essentia cap. 5. in 3. illius capitis parte, egregie, & satis abundè illam D.Thom. doctrinam interpretans, ambo pertractantes distinctionem essentiæ, & esse, in substantijs abstractis, earumquè compositionem sermonem habent de essentia, non quatenus re ipsa semouetur à supposito, iuxta prædeterminata; sed quatenus ipsa essentia suppositum includit. Et ideò sæpè sæpius illis in locis vocant essentiam id, quod habet esse, cum tamen constet ex prædictis ipsum suppositum esse illud, quod habet esse, essentiam autem esse principium suppositi, ac per hoc, habere esse, non tanquam quod, sed tanquam quo; Nos autem sectantes doctrinam Diui Thom. & Caiet.ex 3.p.excerptam, sermonem de essentia habebimus pressius,

& formalius, quatenus à supposito reipsa semouetur, & ideò hanc doctrinam amplificabimus excedêtes D. Th. & Caie. doctrinam etiam ad ipsum suppositũ.

Fundamẽtum itaquè hoc est. In substantijs materialibus tres compositiones ad substantiæ genus pertinentes inueniuntur. Prima est, ex materia, & forma, secunda est ex essentia seu natura & supposito, quæ nuncupatur ex supposito & natura compositio, tertia est, ex essentia & existentia, quæ ex essentia & esse compositio appellatur. Hæ tres cõpositiones inter se conueniunt, & discrepant. In duobus quidem cõueniũt. Primò in hoc, omnes ex actu, & potentia constant. Nam materiam, & formam conspicuũ est, vt potentiam, & actum se habere, essentiam autẽ, & suppositum notum est se habere, vt potentiam, & actum, quoniam vt explicatũ fuit supra cap. 9. essentia sine supposito est incõpleta, & indeterminata, ac per hoc, est in potẽtia: suppositũ aũt est cõplemẽtũ, & perfectio ipsius essentiæ & ideo, est essentię actus; pari mõ essẽtia, & existẽtia habent rõnẽ potentiæ, & actus, qñquidẽ quælibet essẽtia ex hoc in rerũ natura ponit᷑, vt existẽtiã adipiscatur, quocirca existẽtia actus rationẽ hẽt, essentia autem potentiæ. Secũdo in hoc concordant, vt extrema cuiuscunquè cõpositionis eodem in genere repeኧiãtur, etenim materia formaquè hominis, essentia & suppositũ, essentia & eius esse in substãtię gñe, humanaq; specie sunt.

Discrepant autem quò ad decem. Primò extrema primæ compositionis propriè loquendo sunt substantiæ partes, mininimèquè sunt substantia; materia enim, & forma in gñe substãtiæ nõ nisi reductiuè sunt; quapropter prædicationẽ substantiæ (quæ est generalissimum genus) non nisi in obliquo suscipiunt. Extremorũ verò secundæ cõpositionis neutrum est pars substãtiæ, sed alterum quæ est essentia seu natura est substantia, & est in recta linea prędicamẽtali; alterum verò, scilicet, suppositum est terminus intrinsecus essẽtię; & pari modo, est in recta linea prædicamẽtali quoniã est id, quod est substantia, seu qđ habet substantiam; extremorum verò tertiæ compositionis, pari modo, neutrum pars est substantiæ, sed alterum est substantia, s. essentia quæ est in recta prædicamentali linea; alterum autem scilicet existentia, est extra substantiam.

Secundo discrepant, quoniam illud extremum, quod in prima compositione, vt potentia se habet, est ens purè potentiale, scilicet, materia. Extrema verò in secunda & tertia compositione, quæ vt potentiã se habent non sunt pura potẽtia, sed entia aliqua in specie qđditatiuè cõpleta in ordine suo; nã essentia habet formã, nedũ materiã, pari mõ suppositũ nõ est solũmodo materia; verũ etiã formã includunt singularem. Tertio discriminantur, quoniam extremum illud, quod in prima compositione se habet, vt potentia non est id quod est, nec quod fit, proprium habendo sermonem; materia namquè non fit, vt docetur 7. Met. text. 27. eiusdem autem est esse cuius est fieri, cum fieri terminetur ad esse. Extremum autem quod in secunda compositione, vt potentia se habet, est id, quod est suppositi principiũ, & ideo est id, quò suppositum in esse producitur. Extremum verò quod in tertia compositione, vt potẽtia se habet, est id quod est, & fit: quoniam omnis factio ad compositum, siuè suppositum terminatur, vt in tex. citato asseritur.

Quarto discrepãt, qñquidẽ, illud extremũ, qđ in prima compositione, vt actus sed hẽt, nõ est vltima rei actualitas; verũ aliũ vlteriorẽ causat actũ, hominis nãq; forma, quæ eius informat materiã, totũ causando compositũ, propriũ ipsius existẽtię receptiuũ, qđ est ipsum suppositũ, vt inferius explicatũ est, & ità vlteriorẽ causat actũ. Extremũ aũt illud, qđ in secũda cõpositione, vt actus se hẽt est maximũ cõplemẽtũ, intrinsecũ ipsius naturę, seu essentię vt sup. nono capite, ostẽsũ fuit. Extremũ verò illud, qđ in 3. cõpositione, vt actus se hẽt, ẽ vltima illius gñis actualitas; cũ post fortis existẽtiam

nihil

nihil substantiale amplius sibi adueniat.

Quinto differunt, quoniam extremum illud, quod in prima compositione, vt actus se habet quod tamen comparatur ad aliud, scilicet, suppositum, vt potentia. Extremum verò illud, quod in secunda compositione, vt actus se habet, ita actus est, vt tamen comparetur, vt potentia ad esse existentię.

Sexto differunt, quandoquidem, illud extremum, quod in prima compositione se habet, vt actus, est de intellectu, siuè diffinitione rei intrinseca, forma namquè, secundum omnes, in diffinitione intrinsecè ponitur; extrema verò illa, quæ in secunda, & tertia compositione se habent vt actus, sunt extra rei quidditatem, diffinitio enim minimè principia indiuiduantia significat, quæ sunt de suppositi ratione, nec etiam diffiniti esse, vel non esse significat, vt dicitur tertio post. capite vigesimoquinto.

Septimò discrepant, quandoquidem ex primę compositionis extremis vnum tertium per se vnum, constituitur. Ex extremis verò secundæ & tertiæ compositionis, non constituitur vnum tertium per se vnum; nequè per accidens, propriè loquendo. Et ratio huius discriminis, ex supradictis colligitur; vnum enim per se, non constituitur, nisi ex duobus quorum vtrumq; est substantiæ pars, cum nulla substantia completa, vnum per se, cum quocunquè alio faciat, ex duobus enim actibus non constituitur tertium per se vnum; Cum autem in prima compositione, istæ saluentur conditiones; in secunda autem, & tertia nulla saluetur: hinc colligitur, vt in secunda & tertia compositione non fiat vnum tertium per se, nequè etiam vnum per accideus, cum unum per accidens diuersorum generum res aggreget; cum hoc tamen stat, vt essentia per se cũ supposito, & esse adunetur, vt declaratum fuit supra capite nono.

Octauò discriminantur, quia prima compositio est compositio ex his; idcirco fit ibi vnum tertium, secunda verò, & tertia compositio est compositio cum his: Nulla enim res reperitur, quæ loquendo propriè, ex natura & supposito, ex essentia & existentia constet, sicut res datur ex materia & forma constans. Verum natura cum supposito componit, & è conuerso. Itidem essentia cum existentia componit, & è cōtra; idcircò assertum est, ista per se adunari, non tamen tertium componere.

Nonò differunt, quoniam prima compositio, ad pauciora, quàm secunda & tertia se extendit. Extrema namquè primæ compositionis, non nisi in rebus sensibilibus reperiuntur, extrema verò secundæ & tertiæ, compositonis inueniuntur in rebus sensibilibus, nec non in rebus immaterialibus; cum intelligentiæ, quidditatem, & suppositum essentiam, & existentiam habeant; quocirca prima compositio secũdam, & tertiam infert; verùm non èconuersò. Omne enim ex materia & forma compositum, est ex natura & supposito, ex essentia & esse compositum at minimè conuertitur.

Decimò seiunguntur, quò ad suas passiones; primam enim cõmpositionem sequuntur quantitas, accidentia sensibilia, & transmutatio, saltem localis. Compositionem autem secundam & tertiam, nequè generatio, nequè corruptio, nequè transmutatio aliqua Physica consequitur; sed tantum recipere & recipi, perficere, & perfici; quandoquidem, hæc sequuntur actum, & potẽtiam, illa verò materiam & formam.

Hæc omnia fuerunt asserta à Diu. Thom. loco citato, & egregie amplificata à Caie. pari modo loco suprà adducto. Hæc quò ad primum.

Quo ad secundum principale ex toto supradicto fundamento, & præcipuè ex discrimine octauo, & nono, colligit᷑. Licet in substantijs immaterialibus re

periantur compositio ex natura & supposito, nec non ex essentia & esse: attamen huiusmodi compositiones maximè differunt à compositione ex materia & forma, & præcipuè ex octauo discrimine, quoniam compositio ex materia & forma, est compositio ex his: quocirca constituitur ibi vnum tertium, compositiones autem ex natura & supposito; ex essentia & esse appellatur, & sunt compositiones cum his; cum propriè loquendo, nulla res detur ex natura & supposito, ex essentia & esse constans, sicut datur res ex materia & forma constans; Verum essentia componit cum supposito, & cum existentia, & è conuerso; quocirca assertum est, ista per se adunari, non tamen vnum tertium componendo. His omnibus stantibus, ex dictis tàm in cap. nono, & sequentibus, tum in capit. 13. vbicunquè reipsa distinguuntur natura & suppositum, essentia & esse, ibi est compositio cum his, ex actu, & potentia. Hæc propositio colligitur ex capite nono, & 13. ad mentem Aristo. sed in substantijs separatis, ad mentem Aristo. (vt fuit collectum supradictis capitibus) sunt distictiones naturæ, & suppositi, essentiæ & esse; igitur ad mété Arist. in substantijs separatis est compositio ex actu & potentia. Hanc conclusionem docet etiam D.Tho. 2. c. gen. cap. 53. Ex hac conclusione colligitur, omnes intelligentias à prima non esse actus omninò puros; Verùm potentiæ admixtionem in se habere modo declarato, tùm in fundamento, tùm in conclusione. Hæc quò ad secundum, &c.

Quò ad tertium. Contra hanc conclusionem duo sunt argumenta. Alterum desumptum ex Aristotel. auctoritate; alterum ex Scoto fundante se in quadam ratione naturali.

Primum argumentum desumitur ex 12. Met. tex. 30. vbi Aristotel. ostendit, ad motus sempiternitatem, non solum esse necessarium aliquam substantiam sempiternam, mouentem, & agentem; sed etiam esse necessarium, hanc substantiam esse actum, & actum tantum seu purum iuxta D. Thom. interpretationem, & verba Aristotel. sunt ista. *Adhuc, nequè si aget substantia, aut ipsius potentia non erat motus æternus, contigit enim, quod potentia est non esse, oportuit igitur esse principium tale, cuius substantia est actus*; & D.Tho. exponens ità dicit. Relinquitur ergo, quod oportet esse aliquod primum principium motus tale, cuius substantia non sit in potentia, sed sit actus tantum. Hæc D. Thom. Ex qua auctoritate, tale formatur argumétum. Quod mouet tempore sempiterno, est actus tantum, seu purus actus, sed omnes substantiæ separatæ creatæ ad mentem Arist. (vt patebit infrà,) mouét motu sempiterno: ergo omnes substantiæ creatę ad mentem Arist. sunt actus puri, ac per hoc non habent admixtam potentiam. Maior propositio videtur esse Arist. in loco citato, secundum D. Thom. interpretationem. Respondetur ex verbis. D.Thom. in illa expositione, & ex doctrina Caietani in illa sua subtilissi. quæstione de infinitate primi motoris; & primò ex verbis D. Thom. nunc citatis; si non esset Deus, primum absolutè principium cuius substantia est actus purus, nequè etiam, essent substantiæ creatę, nequè motus aliqui, siuè sempiterni, siuè non sempiterni, cum etiam ad mentem Aristot. omnia dependeant à primo principio, vt docet 12. Met. text. 38. contestans; *ex tali primò principio, cælum naturamquè dependere*, & de tali primò principio motus sempiterni sermonem habet Aristotel. vt patet, iuxta D. Thom. interpretationem, vt habetur ex illo verbo: primum principium motus dicens; *quod oportet esse aliquod primum principium motus tale*; non autem loquitur, de quocunquè principio motus sempiterni, sed tantum de primò, cuius substantia est actus tantum, intelligentiæ autem non sunt prima, absolutè principia motuum sempiternorum, cum hoc tantum sit Deus, sed sunt

sunt principia secundaria, & ideo non oportet quod sint puri actus, sed omnes huiuscemodi substantiæ creatæ immateriales habent admixtam potentiam, vt fuit demonstratum. Et si aliquis instet contra hanc respons. in verbis immediatè sequentibus Aristot. sermonem habere non tantum de primo principio motus sempiterni absolutè, sed de omni substantia sempiterna, causante etiam secundario motum sempiternum, quoniam loquitur in numero plurali scribens; *Amplius igitur tales oportet esse substantias sine materia;* Respondetur. Aristotel. procul dubio loqui etiam de omni alia substantia immateriali, attamen primario loquitur de substantia primò prima, quæ est Deus, quando astruxit, ad hoc vt motus sit sempiternus, necesse esse dari substantiam sempiternum, quæ sit actus purus, secundario autem, etiam sermonem habet de alijs substantijs immaterialibus, motum sempiternum secundario causantibus. Secundo respondetur secundum Caietan. doctrinam loco citato (& hæc respons. primam declarat.) Datur duplex principium motus sempiterni. Alterum quod primò & per se, ex se motus sempiternitatem causat, & huiusmodi principium est actus purus, infinitæque virtutis intrinsecè, & huiusmodi est primus motor absolutè, qui est Deus, & de isto principio loquitur Aristotel. in auctoritate citata in argumento. Alterum est principium, quod non per se, & ex se, causat motus sempiternitatem, sed hoc habet ab alio, hoc est à primo principio absolutè Deo benedicto, & huiusmodi principium non actus purus, sed habet admixtam potentiam, modo declarato, neque est virtutis infinitæ intensiuè, sed tantum extensiuè, & in isto ordine sunt omnes substantiæ immateriales creatæ, & de isto principio secundario loquitur Aristote. in verbis sequentibus. *Amplius igitur, tales oportet esse substantias, sine materia;* Et si aliquis instet contra ista duo responsa dicens, ex istis responsis colligi Aristotel. in eodem textu æquiuocasse; nam in eodem textu loquitur de principio primario motus sempiterni, affirmans eius substantiam esse actum tantum, subindè in verbo immediatè sequenti, loquitur de principio secundario motus sempiterni. Respondetur principium motus sempiterni non prædicari æquiuocè de principio primario, & de principio secundario motus sempiterni, sed analogicè, quemadmodum & omnes termini Metaphisicales analogicè prædicantur de suis analogatis, modò aût non est inconueniens, Aristotel. in eodem text locutum fuisse analogicè circa principium motus sempiterni, cum etiam terminus analogus possit esse medium in demonstratione, vt testatur Aristote. secundo Post. cap. 11. vt ægregie declarat Caietanus de nominum analogia. cap. decimo, ac per hoc de ipso analogo scientia esse possit.

Secundum argumentum. Quod est Scoti 3. distinctio. 6. quæstio. prima, tale est. Si in qualibet creatura est compositio duabus ex rebus; accipio illarum rerum componentium alteram, & quæro, an sit simplex, vel composita, si simplex, ergo non quælibet res creata composità est, si composita, iterum quæretur de illis partibus, an sint compositæ, & ità in infinitum.

Respô. duo afferendo. Alterum. Nos non affirmamus, quamlibet creaturam esse compositum ex duabus rebus; Veruntamen asserimus, quamlibet creaturam esse compositam cum duabus vel tribus rebus, vt fuit in fundamento explicatum; nam substantia materialis non est composita ex natura, & supposito, vel ex essentia & esse, sed composita est cum natura & supposito, nec non cum essentia & esse existentiæ. Alterum à nobis assertum, est Scoti argumentum ex malo nostræ positionis intellectu procedere. Cum enim affirmamus, quoolibet aliud a

Deo, esse compositum, hoc nomen quodlibet non nisi pro his distribuit, quæ verè, & propriè sunt, & propriè habent esse, quæ apud Aristotel. & veritatem, sunt sola subsistentia. Omne itàquè subsistens, tam substantiale, quàm accidentale (si sic loqui licet) est compositum ex actu, & potentia, natura, scilicet, & supposito, essentia & esse; componentia autem vltima (quæ sunt essentia suppositum, & esse) in substantijs immaterialibus, nemo dubitat oportere esse simplicia.

Substantiæ separatè sunt in paruo numero secundum Aristotel. doctrinam.

Cap. 16.

NVnc substantiarum separatarum numerus, inuestigandus est, ad mentem Aristotel. Circa quam inuestigationem duo agenda sunt, primo proponenda, explicanda, & suadenda est Aristotel. opinio, circa huiusmodi numèrum. Secundò cum hæc opinio, veritati repugnet expugnanda est, eiusquè fundamenta peni tus diluenda sunt.

Circa primum. Primò quinque fundamenta ponenda sunt, secundo sua denda.

Quò ad primum. Primum fundamentum, vt docet Diu. Thom. prima parte quæstione 50. articulo tertio, Aristotel. opinatus est substantias omnes immateriales, omnibus corporibus, etiam cœlestibus, & incorruptibilibus perfectiores, ad ista sensibilia, secundum mouentis, & finis rationem, habere ordinem; adeo, vt istę naturæ perfectiores sint mouentes, & fines primorum motuum, qui sunt motus cęlestium corporum. Hocquè fundamentum colligitur ex verbis Aristotel. duodecimo Metaphisicę textu 43. quę sunt ista. *Necesse est, & harum lationum, vnamquamquè, ab immobili moueri, & secundum se, & sempiterna substantia. Astrorum enim natura sempiterna substantia quædam ens, & mouens sempiternum, & prius eo, quod mouetur, & quod prius substantia substantiam esse necesse est;* quæ verba ità interpretatur D. Thom. Vnde necesse est, quod quilibet horum motuum, moueatur à motore per se immobili, & à substantia sempiterna. Quod quidem, ideò necesse est; quia astra sempiterna sunt, & substantiæ quædam sunt. Vnde oportet, quod mouens ea, etiam sempiternum sit, & substantia. Mouens enim est prius moto, & quod est prius substantia, necesse est esse substantiam.

Secundum fundamentum, ex præcedenti collectum: Proprius separatarum substantiarum effectus, videtur esse corporũ cęlestiũ motus; hocq; fundamentum ex illius verbis colligitur, præcipuè ex illo verbo necesse; *Necesse, & harum lationum vnamquamquè ab immobili moueri secundum se, & sempiterna substantia.*

Tertium fundamentum, ex præcedẽtibus deductum: Licet vt patet ex primò fundamento, substantiæ immateriales, secundum rationem mouentis, & finis, ad istas substantias corporales, ordinem habeant; attamen cum doceat Aristot. in istis fundamentis, necessariò, quamlibet substantiam separatam causare vnum motum sempiternum Astrorum, videtur virtute Aristotel. docere, substantias separatas, esse propter substantias corporales, ac per hoc substantias corporales esse vltimus finis substantiarum separatarum.

Quartum fundamentum, quod ex præcedentibus colligitur: Necesse est quot sunt Astrorum actiones, tot esse substantias sempiternas secundum se immobiles & immateriales. Hoc fundamentum conspicuum est ex illis verbis. *Palam itaquè quod tot substantias esse necesse est, natura sempiternas, & immobiles secundum se, & sine magnitudine.*

Quin-

Quintum fundamentum [illegible] ex textibus 44.45.46.& 47. in [illegible] secūdum Eudoxium. Motus [illegible] omnes sunt 26. secūdū Calipum sunt vel 55.vel 47. vel 49. vt pers[illegible]cuum est in textibus citatis, secundum D. Th. interpretationem Hæc quò ad fundamēta

Quò ad secundum. Ponitur talis conclusio ad mentem Aristot. substantiæ separatę sunt vel 26. vel 55.vel 47.vel 49. Quæ conclusio ex principijs bifariā probatur. Primò, ex primo, & secundo fundamento. Proprius effectus substantiarum separatarum est motus cœlestiū corporum: sed proprius effectus alicuius agentis necessario infert suam causam agentem,& finalem; & quot sunt proprij effectus, tot sunt agentia mouentia,& fines: vt patet ex quarto fundamento sed motus corporum cœlestiū sunt vel 26.vel 55.vel 47.vel 49.ergo,& substantiæ separatæ tot sunt ad mentem Arist.s.26.vel 55.vel 47.vel 49.

Secundò. Ex tertio fundamento. Substantiæ separatæ, sunt propter substantias corporales:ergo huiuscemodi substātiæ immateriales, frustra essent, nisi ex eis aliquis motus,in rebus corporalibus appareret;ergo quot sunt motus astrorū tot sunt immateriales substātiæ;sed omnes motus astrorum sunt annumerati in quarto fundamento; ergo & tot sunt substantiæ immateriales:Secunda consequentia clara est;prima autem suadetur ex eo;quoniam frustra est, quod suum non consequitur finem: sed substantiæ immateriales ordinantur ad substantias corporales,eas mouēdo,tamquam propter finem; ergo frustra essent huiuscemodi substātiæ immateriales,nisi ex ipsis aliquis motus in rebus appareret corporalib. Hæc quò ad primū principale.

Quòad secūdum principale. Omnia supradicta fundamenta punitus diluuntur hoc modo. Primum fundamentum licet quædam substantiæ immateriales secundū mouentis,& finis rationem ad ista sensibilia,ordinem habeant; sunt tamen quam plurimę,& in magno numero aliæ substātiæ immateriales, quæ nul[illegible] prorsus, ad ista sensibilia ordinē ha[illegible] secundū mouentis, & finis rationem; sed sunt prorsus extra omnem ordinem ad sensibilia,vt docent Theologi, & præcipuè D. Tho.loco citato.

Secundum fundamentum pari passu omnino falsum est, tùm quia proprius effectus substantiarum separatarum, est intelligere,& velle, non autem motus, aliquo pacto, loquendo de substantijs separatis,nullum ordinem ad sensibilia habentibus, tùm, quia loquendo etiam de substantijs separatis,astris applicatis, quod prius effectus est intelligere, & velle,potiusquàm mouere.

Tertium fundamentum,pari ratione omninò falsum est, quia finis, nobilior est his,quæ ad finem sunt,sed substātiæ separatæ,sunt longè nobiliores,substantijs corporalibus,quocirca substantiæ separatæ;nequaquam sunt propter corporales substantias, tàmquā propter finē.

Quartum fundamentum expugnatur ex aliorum expugnationibus fundamentorum inferentium hoc quartū fundamentum.

Quintū fundamentū,licet sit falsū sm oēs penè Astrologos, post Eudoxiū & Calippū,dato ipsū esse verū, nihil tñ facit cōtra nos;qm nos reprobamus Aris. opinionē,nō ex falsitate quinti fundamenti, sed ex omnium aliorum falsitate fundamentorum.

Ex istorū fundamētorū reprobatione facilimè respōdemus ad argumēta in fauorē opinionis Aris. & ad primū inficiamur maiorē propositionē,& rō negationis,adducta fuit in reprobatione primi, & secūdi fundamēti. Ad secundū, iā negata fuit,& expugnata prima ꝓpositio, in tertij fundamenti expugnatione.

D.Th.1.p.loco citato.s.q.50.art. 3.ad tertiū, in duob. Aris.excusat,primo Aristo.ipse perspexit suā rōnē,non esse necessariā, sed tm̄ probabilē, dicēs 12.met. tex.48. *Quare,& substātias,& principia immobilia,& insensibilia, tot rationabile existimare necessarium, igitur dimitatur fortioribus dicere*, quæ verba exponens Diuus Thomas ità asserit;

Dicit

Dicit autẽ rationabile, vt insinuet, hoc probabiliter concludi, non autem ex necessitate. Vnde subiungit, quod ipse relinquit id, quod est necessariũ circa hoc, illis, qui sunt fortiores, & potentiores, ad hoc inueniendũ, quam ipse esset. Secundò excusat ipsum D. Tho. quod hac ratione vsus fuerit, quę colligitur ex motu substãtiarum corporalium, & sensibilium, quoniam ad cognoscendum intelligibilia, nõ possumus nisi p sensibilia naturaliter peruenire; inter sensibilia autẽ motus corporum cęlestium videntur esse magis accommodata ad deducendũ nos naturaliter ad huiusmodi cognitionem, quocirca Arist. fuit coactus, ad vtẽdum hac ratione, cum nulla esset aptior via naturalis, ad dignoscẽda intelligibilia abstracta. Verùm quoniam isti motus corporum cœlestium non habẽt aliquem ordinem ad substantias omnes abstractas, neq; substãtiæ abstractæ omnes habent aliquem ordinem ad huiusmodi motus cęlestes; hinc factum est, vt hæc via sit valdè manca, & Arist. valdè deceptus fuerit.

Quamlibet intelligentiam singularem, vnam constituere speciem, ità vt non possint ibi plura eiusdem speciei indiuidua inueniri, demostratur ad mentem Aristo. Cap. 17.

HOc loci ostendendum est secundũ Arist. doctrinam duabus rationibus, quamlibet indiuiduam substantiã abstractam vnam constituere speciem; adeò vt ibi plura eiusdem speciei indiuidua reperiri non possint.

Prima ratio colligitur ex earum immaterialitate, & ità arguitur. Omnis species plura habens indiuidua habet etiã in se numerale distinctiuum, at omnis substantia à materia abstracta tale principium distinctiuum minimè habet, ergo nulla substantia abstracta est species sub se plura habens indiuidua. Maior ex terminis nota est, minor autem ex doctrina Arist. ità suadetur ex tribus Arist. propositionibus. Altera est. *Actus est, qui diuidit, & separat*. Hac habetur 7. meth. textu 49 Altera propositio est, *omnis diuisio aut est formalis, aut quantitatiua, seu numeralis*. Hæc habetur tertio meth. tex. vndecimo. Tertia propositio. *Formæ specificæ formaliter indiuisibiles sunt*. Hęc perspicua est, in sua doctrina Ex istis tribus propositionibus minor hunc in modum suadetur ex tertia propositione, omnes formæ specificæ sunt formaliter indiuisibiles; si itaque aliquę sunt diuisibiles, numeraliter sunt diuisibiles, ac per hoc sunt diuisibiles per quãtitatem materialem, vt patet ex secunda propositione, at vt constat ex duodecimo capite, substantiæ abstractæ nullam habent materiam, ergo substantiæ abstractæ nequaquàm principium distinctiuum numerale habẽt, quod erat probandum.

Hæc ratio ex duodecimo meth. text. 49. tota formaliter sumpta est, quo ĩ tex. Arist. hanc conficit consequentiam. Cœlum idest primum principium est vnũ specie, & plura numero. ergo Cęlum habet materiam, ex quo colligitur, materiam, esse causam sufficientem, numeralis plurificationis, immaterialitatem autem esse sufficientem causam non plurificationis numeralis, & verba Arist. sunt ista. *Quod autem vnum cœlum sit, manifestum est. Si enim plures essent cęli, vt homines, foret principium quod circa unũ quodquẽ, specie vnum, numero verò multa, quia & specie vnum.* Sed quęcumquè sunt numerò multa, materiam habent.

Secunda ratio collecta est ex vniuersi ordine, & supra tres fundatur propositiones, Aristotelica prima est. *Vniuersũ tres habens partes scilicet spheram generabilium, & corruptibilium, corpora cœlestia, & substantias à materia abstractas pro bono intrinseco ordinem habet*. Hæc propositio desumitur ex 12. meth. tex. 52. Secunda propositio. *Ordo est in duplici discrimine, alter est ordo per se, al-*

ter per accidens, ordo per se reperitur inter essentialiter ordinata, cuiusmodi sunt, species, quæ sunt, sicut numeri, vt docet Aristot. octauo meth. tex. decimo. *Ordo per accidens inter eiusdem indiuidua, speciei inuenitur* vt docetur tertio meth. tex. 11. Tertia propositio. *Ea uniuersi pars, in qua est ordo, per se, prius est ea potior, in qua ordo per se est ordini per accidēs ad mixtus.* Hæc propositio colligitur ex 12. meth. tex. 52. Quo in loco prima vniuersi pars filijsfamilias in quibus nihil per accidēs ordinatum, inest, comparatur. Supra istis propositionibus talis formatur ratio. Id quod ordine per accidens caret, non habet plura eiusdem speciei indiuidua. Hæc patet ex Secunda propositione. Sed suprema vniuersi pars, substantias immateriales continens, (vt ex prima propositione perspicuum est) caret ordine per accidens, vt patet ex tertia propositione, ergo substantiæ immateriales plura eiusdē speciei indiuidua minimè habent. Hanc conclusionem sequitur D. Thom. 2. contra gent cap. 93. & de spiritualibus creat. ar. secūdo, & 1. p. 50. art. 4.

Substantias immateriales esse incorruptibiles ostenditur secundum Aristotelis doctrinam.
Cap. 18.

Circa hanc difficultatem duo agenda sunt, primò quatuor fundamenta ponenda sunt ex Aris. doctrina excerpta, secundò: ex fundamentis, & alijs textibus probanda est.

Quò ad primum. Primum fundamētum. *Esse secundum se, siuè per se formæ conuenit* Hoc fundamentum, apertè colligitur ex secundo de anima text. 37. & docente Arist. causam ipsius esse, omnibus esse substantiam, hoc est formam (nam per substātiam, formam intelligit) vt colligitur ex tex. antecedenti, & ex D. Tho. expositione. Et radix huius fundamenti, vt colligit D. Tho. in illius textus expositione, & prima parte q. 50. arti. 5. est, quoniam, vnumquodq; est actu per formam: Hocquè fundamentum, cum sua radice colligitur ab Arist. meth. text. 27. & 8. meth. tex. 8. quibus in locis, docet, esse per se conuenire ipsi formę, & modum, quo conuenit ipsi formæ, affirmans, esse conuenire formæ tamquam principio, seù causa, & tāquam quo cōpositum habet esse, vt etiam contestatur secūdo de anima tex. 37. Esse autem, docet ipsi cōuenire composito, tamquā ei, quod habet esse. Ex quibus omnibus, talis formatur ratio, ad fundamentum propositum demonstrandum. Id quod alicui conuenit, & per ipsum cęteris, cōuenit ei per se, & secūdum quod ipsum, & de omni, vt docet Arist. primo poster. cap. 4. tex. 14. circa finem & c. At, vt constat ex dictis, esse conuenit formæ, & per formam cæteris omnibus, ergo esse per se, & secundum se, formæ conuenit.

Secundum fundamentum. Esse nunquam à forma separari potest. Hoc fundamentum cōspicuum est ex primo posterio. cap. 6. vbi docetur: *Ea, quę sunt per se, necessario inesse rebus*; At vt patet ex primo fundamento, esse per se conuenit formę; ergo esse est à forma inseparabile.

Tertium fundamentum. Corruptio est mutatio de esse in non esse. Hoc fundamentum clarum est ex diffinitione corruptionis tradita ab Aristot. 5. Physic. tex 7.

Quartum Fundamētum. In omni corruptione oportet materiā remanere Hoc fundamentum habetur ex multis locis Arist. vt patet primo physicorum, quinto Phis. 7. meth. & 8. meth. Hæc quò ad primum.

Quò ad secundum. Ex præiactis fundamentis demonstratur, formas immateriales esse incorruptibiles, hunc in modum. Omne quod corrūpitur, per hoc corrumpitur; quoniam eius forma à materia seiungitur; sed substantiæ immateriales sunt formæ subsistentes, materiam nequaquam habentes vt compertissimum est ex dictis, & declaratis, &c. ergo in eis separatio formę à materia locum

cum minimè habere potest. Maior propositio ita demonstratur ex fundamentis: Ex primo fundaméto. Esse per se formæ conuenit; ergo &c. Ex secundo fundamento: Esse est à forma inseparabile ergo &c. Ex tertio, & quarto fundaméto. Omne quod corrumpitur, per hoc corrumpitur, quia eius forma à materia remouetur. Probatur ista secunda consequentia, ex prædictis fundamentis. Ex tertio fundamento: In omni corruptione aliquod esse destruitur, sed esse formę, non potest à forma separari, vt patet ex secundo fundamento; ergo à sufficiē ti diuisione, necesse est, ipsum esse ī omni corruptione, à materia remanente, separari; ac per hoc etiam ab eadem materia forma separatur; alioquin corruptio minimè intelligi potest.

Circa fundamenta sunt pulcherrimę difficultates à Thomistis pertractatę, vt patet ex Caietano prima par. q. 50. art. 5. & ex Ferrariensi secundo contra gent. cap. 55. quæ à nobis in lib. de Transcendentibus pertractabuntur. Hanc cōclusionem, docet Arist. duodecimo meth. tex. 30. dicens. *Amplius igitur, tales oportet esse substantias, sine materia, sempiternas enim esse oportet, si & aliquid aliud sempiternum actu*, & tex. 43. & sequentibus.

DE COGNITIONE substantiæ separatę ad mentem Arist.

Substantias separatas esse intellectiuas ad mentem Aristotelis.

Cap. 19.

COnsiderata natura substantiarum separatarum, ad aures Arist. iure optimo speculandum est de prima & propria earum operatione, quæ est intelligere, & determinandum ad mentem Arist. substantias separatas esse intelligētes. Pro cuius determinatione, tria agenda sunt. Primò, duo iacienda sunt fundamenta, ad mentem Arist. Secundò ponenda est conclusio ad ipsius mentem. Tertiò obiectis occurrendum est.

Quò ad primum. Primum fundamētum. Substantiæ separatæ sunt immateriales Hoc fundamentum absolutè fuit dilucidatum suprà cap. 12. ex Arist. doctrina.

Secundum fundamentum. Immaterialitas est ratio propter quam aliquid est cognoscitiuum. Hoc fundamentum ex quatuor locis præcipuè ostenditur. Primus locus est secūdo de Anima tex. 124. quo in tex. docet: Plantas, propter suam materialitatem, nequaquam cognoscere. Ex quo colligitur, immaterialitatem, esse rationem, propter quam, aliquid est cognoscitiuum. Secundus locus est eodem secundo libro text. 138. vbi astruit sensitiuum, esse rei sensibilis, sine materia susceptiuum. Ecce apud Aristo. sensum (qui est vltima, & infima potentia cognoscitiua) hac de causa, cognoscere, quia, rem sensibilem, sine materia recipit, quocirca, necesse est, vt ipse sensus, sit aliquo modo, sine materia; quoniam vnumquodquè recipitur, secundum recipiētis modum. Tertius locus ex tertio de anima tex. vndecimo, quo in loco, affirmat, res, sic se, ad intellectum habere, sicut ad esse à materia separabilia se habent; ità scribens. *Omnino ergo, sicut separabiles res, à materia sic, & quę circa intellectum sunt*. Quartus locus ex tertio lib. de anima tex. 37 affirmans: Animam esse quodammodo omnia; Ex quibus Arist. verbis, habetur maximum discrimen esse, inter cognoscentia, & non cognoscentia; etenim non cognoscentia nihil habent, nisi suam tantum formā; cognoscentia autem nata sunt alterius rei formam intentionalem cognitum, representantem, habere; & hac de causa asserit Arist. animam esse quodammodo omnia. Ex quo discrimine colligitur, rei non cognoscentis naturam esse magis limitatam, & coartatam; naturam autem rerum, cognoscentium maiorem habere amplitudinem, & extensionem.

For-

Formę autē coarctatio est, per materiā vt docet Aristo. tertio de anima, tertio, quarto, & quinto textib. cōtestās *intellectum esse immixtum, ut intelligat omnia, quia intus existens. s. materiale prohibebit extraneum, & obstruet.* Ecce materiam, & materiale obstruere: obstruere autem nihil aliud est quàm coarctare, vt compertum est, ex verborum significatione. Nam obstruo idem est, quod coarcto; ex quibus omnib. colligitur immaterialitatē esse rationem, vt aliquid sit cognoscitiuum.

Quò ad secundum, talis est conclusio responsiua. Secundum Aris. substātię separatæ sunt intellectiuæ. Quæ facilimè suadetur, tum ex prædictis fundamētis, tum ex aliis ipsius Arist. auctoritatib. Primò itaquè ex iactis fundamentis, hunc in modū demostratur. Omnis substantia immaterialis est intellectiua, ex secundo fundamento, at omnes substantiæ separatæ sunt immateriales, ex primo fundamento, quocirca omnes substātiæ separatæ sunt intellectiuæ. Hanc doctrinam docet D. Thom. prima parte quæstione decimaquarta, articu. primo, & Caietanus ibi, & primo contra gent. capite quadragesimoquarto, & Ferrariēsis eo loci, & de veritate quæstione secunda, articu. secundo, & primo sententiarum dist. trigesimaquinta, art primo, & Capræol. primo sententiarum distin. trigesimaquinta, q. 1. ar. 1. concl. secūda.

Secundò suadetur conclusio ipsius Arist. auctoritate duodecimo meth. tex. 36 qui sermonem habens de primo motore absolutè, qui est Deus contestatur, ipsum primum motorem, alias mouere intelligentias sicut quoddam appetibile, & intelligibile. Ex quo text. colligitur, omnes intelligentias intelligere, & appetere primum motorem, per quem motum intellectualem, ipse primus motor, cęteras mouet intelligentias.

Tertiò demostratꝰ conclusio ex textu trigesimonono, eiusdem libri, quo in textu docet Aristo. maximam delectationem esse in intellectione, qua intelligitur primum mouens, quod est etiam primum intelligibile, & proculdubio loquitur, de intellectione qua, primum mouens, à separatis intelligitur substantijs, & ideo supponit tàmquam per spicuum substantias separatas esse intellectiuas. Hancquè suam mentem explicat in illis verbis, *quoniam est delectatio actus eius, &c.* Quo declarato exponit postmodū primum mouēs, quod est primum intelligibile, seipsum intelligere; si ab aliis intelligitur, astruens, *seipsū autem intelligit &c.* vt magis declarabitur, agētes de sciētia Dei, ad mentē Aris.

Quò ad tertium, quatuor arguitur mediis contra secundum fundamentum, quæ recitantur, & soluuntur à Capræo. loco supra citato.

Primum argumentum. Anima nostra intellectiua materiæ vnitur, per eāquè indiuiduatur, ex consequenti, arctatur, & limitatur per ipsam, ac per hoc immaterialitas etiam quæ est cognoscitiui causa, ab ipsa anima remouetur: materialitasquè, quæ est causa, vt aliquid non sit naturæ cognoscitiuę ponitur in ipsa anima: At posita causa ponitur effectus, remotaquè causa effectus remouetur, ergo anima nostra, nequaquam cognoscitiua est, conclusio falsa, ergo altera præmissarum, non minor, ergo maior vniuersaliter. Ad hoc argumentum respondet D. Tho. secundo contra gent. cap. sexagesimooctauo, per totum, & præcipuè in fine, admittēdo humanam animam materiæ vniri, per ipsamquè indiuiduari, verùm inficiatur ipsam totaliter coarctari, limitariquè per materiā, tum quia ipsa materiæ non immergitur, tum quia eius potentia, non est materiæ actus, vt docet Aristot. tertio de anima text. septimo, tum quia suam propriam habet operationē, quæ est intelligere, in qua corporalis materia minimè communicat.

Secundum. Gaudium, & tristitia, cęteręquè passiones, quæ voluntati debentur, sunt quædam à materia abstracta; sed ista nequaquam sunt cognoscitiua, nec cognitionis principia, ergo immaterialitas non est

ratio

ratio, vt aliquid ſit cognoſcitiuum. Reſpondetur Nos ſupponimus vnum, qd eſt, à materia ſeparatum eſſe per ſe ſubſiſtens, quapropter immaterialitas in re per ſe ſubſiſtenti, eſt rō, vt aliquid ſit cognoſcitiuum. Et hanc doctrinam docet, D.Th. ſecundo contra gent. cap. 51. modo autem gaudium, & triſtitia, vt in voluntate ſubiectiuè ſunt, licet ſint res immateriales, tamen nō ſunt res, per ſe ſubſiſtentes.

Tertium. Si immaterialitas eſt cauſa vt aliqua natura ſit cognoſcens, aut eſt ratione priuationis, aut illius poſitiui ratione, in quo priuatio in immaterialitatis nomine, importata fundatur. Non primum, quia nulla priuatio, eſt poſitiui cauſa, qualc eſt eſſe cognoſcens, nec ſecundum, quia ipſamet natura intellectualis, eſt illud ſuprà quod, priuatio immaterialitatis nomine importata, fundatur, ità vt intellectualitas, illi ineſt, naturæ in primo dicendi modo per ſe, ſicut eſſentialis differentia, ſed manifeſtum eſt, differentiam non habere cauſam, nec medium, per quod rei, cuius eſt differentia inhæreat, cum diffinitio, parteſque diffinitionis, de diffinitio immediatè prædicentur, ergo immaterialitas, nullo modo cauſa eſt, vt aliquid ſit cognoſcens. Reſpondemus cum aſſerimus immaterialitatē eſſe cauſam rationemquè intellectualitatis circumloquimur vnū poſitiuum, oppoſitæ conditionis ad materialia, quod eſt ſpiritualitas, quam, non poſſumus, niſi per comparationem ad materialia, intelligere, & ità, aſſirmamus immaterialitatem eſſe intellectualitatis rationem, poſitiui ratione, quod eſt ſpiritualitas, & negamus intellectualitatem, eſſe propriam ſubſtātiæ ſpiritualis differētiam; eſt enim propria paſſio, ideoquè, poteſt eſſe cauſa, rō & medium.

Quartum. Eadem ratio eſt intelligibilis, & intellectiui, at intelligibile poteſt eſſe materiale, cum naturalis philoſophia de rebus tractet materialibus, ergo immaterialitas nequaquam cauſa eſt, vt aliquid naturæ ſit cognoſcitiue. Reſpondemus, & imus inficias minorem; quoniam res non intelligitur, niſi quatenus eſt in intellectu ſecundum eſſe immateriale, quod eſſe immateriale eſt per intelligibilem ſpeciem, ad probationem dicimus rem naturalem non eſſe actu in genere intelligibiliū, niſi quatenus ſpecies itelligibiles res naturales reſpreſentantes in ipſo intellectu intelligente adſunt.

In ſubſtantijs ſeparatis omnis actio & præcipuè intellectio eſt diſtincta ab earum ſubſtantia, ſecundum rei veritatem.

Cap. 20.

LIcet inſtitutum noſtrum ſit, tantum Ariſt. Theologiam ordinare, ſecundum eius doctrinam, verumtamē quoniam pertractare ſecundum rei veritatem, in ſubſtantijs abſtractis actionem, & præcipuè intellectionē non eſſe earū ſubſtantiam, maximum lumen affert ad hanc veritatem intelligendam ſecundū Ariſt. doctrinam; idcircò primò dilucidanda eſt, iſta doctrina, ſecundum rei veritatem, deinde, ſecundum mentem Ariſtotelis. Proponitur itaquè talis concluſio. Secundum rei veritatem in ſubſtantijs ſeparatis actio, & præſertim intellectio reipſa diſtinguitur ab earum ſubſtātia. Ideòquè iſtis in ſubſtantijs quamplurima ſunt accidentia.

Circa hanc concluſionē, quatuor præcipuè peragenda ſunt. Primò duo ponemus fundamenta pro eius maiori intelligentia. Secundò ipſam probabimus, ſecundum veritatem. Tertiò oſtendemus eam eſſe, ad mentem Ariſt. Quartò, obiectis ſatisfaciemus.

Quòad primum. Primò ſciēdum eſt Comm. 12. met. com. 25. & 39. ſuſtinuiſſe in omnibus ſubſtantijs à materia ſeparatis, nequaquàm aliquod accidens, reperiri, ideò primo loco ſcribit ſic. Sciēdum eſt quod ſubſtantiæ, ſunt duob. modis, modus vnus, in quo impoſſibile eſt ſu-

fugere accidentia, & alius, fine aliquo accidēte. Primus autem est sensibile, Secundus autem intelligibile. In secundo autem loco, postquam declarauit, per dispositiones, se intelligere actiones, & alias rerum perfectiones, & declarauit, istas dispositiones, esse distinctas realiter, in compositis, ex materia, & forma; subintulit, ista verba. In eis autem, quæ sunt forma, nō in materia dispositio, & dispositum reducuntur ad vnum esse, et duo in consideratione; vbi expressè habetur, omnia in substantijs separatis, esse vnum, eidem secundum esse, seu secundum rem, & distingui, secūdum nostri intellectus considerationem, quemadmodum de Deo, affirmamus.

Secundo. Considerandum est, hac in conclusione substantiam sumi pro essentia, vt essentia ab esse existentiæ, & supposito, reipsa, semouetur.

Quò ad secundum principale. In hoc secundo duo præsertim agenda sunt, primo tria fundamenta sunt præmittenda, deinde, tres conclusiones principalem propositam conclusionem dilucidātes, sunt præponendæ, & demonstrandæ secū dum veritatem.

Quò ad primum. Primum fundamētū. Solus Deus est actus purus. Hoc fundamentum probatur à D. Tho. 1. p. q. 3. ar. 1. & q. 7 ar. 1. ad tertium, & ar. 2. in c. & multis alijs, in locis. Verùm; quoniā hoc fundamentum est propositio exclusiua; idcircò duas habens exponētes propositiones, alterā affirmatiuam. f. Deus est actus purus. Alteram negatiuam f. nihil aliud à Deo est purus actus, ideò vtraquè à D Th. demostratur, prima primo loco, secunda secundo loco: Quod itaquè Deus sit actus purus, ità ostenditur. Actus est simpliciter potentia prior, sed Deus est primum absolutè ens, ergo Deus est actus. Minor supponitur, tamquam clara, maior ità declaratur: licet in vno, & eodem, quod de potentia ad actum, exit potētia sit tempore actu prior, actus tamen, simpliciter est potētia prior, cum id, quòd est in potentia ad actum, non reducatur, nisi per ens actu, & hoc docet Aristo. secundo de anima tex. 7. secūda exponens ità probatur omne creatū debet esse à sua essentia, seu substantia, semotum, vt abundè ostensum fuit in superioribus, ergo esse cuiuscunquè creaturę, in essentia receptum est, sicut actus in potentia, ergo essentia respectu ipsius esse habet potētiæ rationem: quocirca nullum creatū purus est actus. Prima consequentia ex hoc conspicua est; quoniam si ambo distincta sunt, necesse est, vnum esse, in alio receptum. Sed substantia, seù essentia nō est recepta cum substantię, recipi repugnet, non autem repugnat termino esse in re terminata, esse autem, est vltimus terminus, seù vltima rei actualitas, ex consequenti, esse est in essentia receptum; Secunda autem consequentia ostenditur, tali pacto, quando sunt aliqua duo, per se coniuncta, necesse est, vt vnum actus rationem habeat; alterum verò, potentiæ rationem, vt docet Arist. secundo de anima tex. 7. At compertissimum est, cū esse existētiæ sit vltima omnium actualitas, non posse, potentiæ rationem habere, ergo essentia potentiæ rationem habet. Et dato etiam, esse existentiæ habere rationē potentiæ, adhuc institutum habetur, nullum creatum esse actum purum, quod erat probandum. Solus itaquè Deus purus est actus, quod est primum fundamentum.

Secundum fundamentum. Actus purus sua est actualitas, pro huius declaratione fundamenti, primò considerandū est, aliqua duo per modū actus, per modumquè potentię se habere, duobus cōtingit modis, altero modo formaliter, altero modo virtualiter Formaliter quidē quando ità se habent, vt vnum, secundū rem, alterum actualiter causat. Virtualiter autem se habent per modum actus, & potentiæ, quando illa duo tales formales haberent rationes, quæ si ab illo, à quo habēt vt sint vnum, abstraherētur; alterum actus rationem haberet, alterū potentiæ rationem; attamen quia sunt vnum & idem secundum rem, vnū non habet actus rationem, neque alterum ratio-

quòd etiã sua est actualitas, hoc fundamẽtum cum sua declaratione, & probatione est D. Thom. prima parte quæstione quinquagesimaquarta, articulo primo, & Caietan. mirabili artificio, hæc omnia exponentis, & dilucidantis.

Quò ad secundum principale, tres conclusiones sunt ponendę, & probandæ: Prima conclusio hęc est. Omnis actio substantiæ separatæ, & etiam cuiuscunquè creaturæ, reipsa, à sua substantia, seu essentia distinguitur. Hęc conclusio duabus ostenditur rationibus ex prędictis fundamentis collectis, quarum prima hęc est. Compertum est ex secundo, & tertio fundamento, solum actum purum, suam esse actualitatem, sed ex primo fundamento constat, solũ Deum esse actum purum, ergo necesse est, solum Deum suam esse actualitatem, at actio est propria virtutis, seu potentię operatiuę actualitas, sicut esse, est propria essentiæ actualitas, ergo in solo Deo, idem erit actio, & potentia operatiua, ergo in substantia immateriali, & in quocunquè creato, actio, & operatiua potentia reipsa, distinguuntur: ergo actio substantiæ immaterialis, & cuiuscunquè creaturę, à substantia immaterialis substantiæ, reipsa, distinguitur, probatur ista vltima consequutio, quia quod re ipsa à medio distinguitur, multò magis ab extremò semouetur, sed virtus, seu operatiua potentia est media inter substantiam, & actionem (nam, substantia, mediante virtute operatur,) ergo si actio, reipsa, à virtute, seu potentia operatiua seiungitur, multò magis actio erit à substantia immaterialis substantiæ, & cuiuscunque creaturæ semota. Primam propositionem asseruimus esse claram ex secundo, & tertio fundamento, quandoquidem cum sit exclusiua propositio, duas habet propositiones exponentes; alteram affirmatiuam, scilicet, purus actus sua est actualitas, & hęc propositio est secundum fundamentum; alterã negatiuam, scilicet nihil aliud ab actu puro, sua est actualitas, & hęc propositio est tertium fundamẽtum, & ità prima huius rationis propositio, conspicua est, ex secundo, & tertio fundamentis. Secunda autem propositio, est primum fundamentum, vt assertum est. Illa autem propositio, subsumpta scilicet; actio est propria virtutis, seu potentiæ operatiuę actualitas, ex terminis constat, si tamen sano modo intelligatur; ità enim intelligenda est: actio est propria actualitas, seu potentiæ operatiuæ formaliter, vel virtualiter, nam si actio, & potentia operatiua duæ sint res re ipsa distinctę, vt contingit in omnib. creaturis, tunc actio est formaliter, & actualiter virtutis operatiuę actus. Si verò nequaquàm duæ res sunt, vt est in Deo, tunc actio nequaquam est virtutis operatiuę formaliter actus, verum solummodo virtualiter eo modo, quo in tertio declaratum est fundamento.

Secunda ratio, quę etiam ex præiactis fundamentis, & pręsertim ex assertis in tertio fundamento colligitur, & est q̃ magis primę rationis declaratiua, quàm sit ratio distincta, talis est: Quęcunquè se habent, sicut proprius actus, & propria potentia solum sunt idem in actu puro, sed actio, & virtus operatiua se habent, tàmquàm proprius actus, & propria potentia, ergo solum in actu puro actio, & virtus operatiua sunt idem; at nulla creatura purus est actus: ergo nulla in creatura actio virtusquè operatiua sunt idem, ergo &c. Maior propositio aperta est ex probatione, & declaratione tertij fundamenti. Minor etiam nota est, tum ex se, tum ex assertis. Propositio autem subsumpta, scilicet nulla creatura est purus actus conspicua est ex assertis in primo fundamento.

Secunda conclusio. Intelligere substantię separatę ab eius substantia re ipsa semouetur; Quę conclusio demonstratur à D. Thom. prima parte q. quinquagesimaquarta, art. primo, duab. rationibus, quę rationes subtilissimè de more, eo loci, à Caietano declarantur.

Prima ratio hæc est. Si intelligere substantiæ separatæ est talis, & tantæ perfectionis, vt sit idem, reipsa, cum eius substantia: ergo intelligere substantiæ separatæ est per se subsistens in se ipso: ergo est tãtum vnum intelligere per se ipsum abstractum, & in se ipso subsistens; ergo vna substantia separata, reipsa, cum alia est eadem, nec non cum ipso Deo; Consequens est impossibile; ergo & antecedens, quod est Comm. opinio. Intelligere itaquè substantiæ separatæ est, reipsa, ab eius essentia, seu substãtia semotum. Prima consequentia ità deducitur si intelligere substantiæ separatæ tãtę est perfectionis, vt ex propria ratione, hãc perfectionem simpliciter, quæ est esse substantiã sibi vendicet, par ratio est, vt sibi omnem aliam vendicet perfectionem simpliciter, cum eadem sit ratio, de omnibus simpliciter perfectionibus, & nõ est maior ratio, vt ex propria ratione vnam perfectionem simpliciter, sibi vẽdicet, quam aliam; si itaquè substantiæ separatæ hanc perfectionem. s. esse substantiam sibi vendicat, pari ratione vendicabit sibi, omne velle, omnem sapientiam, omnemque bonitatem, & breuiter omnem aliam simpliciter perfectionem & ità erit infinita, & tandem erit Deus; quoniam Deus est simpliciter perfectus; ex consequenti cum infinitum simpliciter, & Deus sit per se, & in se ipso subsistens; si intelligere substantiæ separatæ tãtæ est perfectionis, vt sit idem reipsa, sua cum substantia, erit per se, & in seipso subsistens. Secũda cõsequutio ità probatur Omne in seipso subsistens & ab omni contrahente, siue diuisiuo, siuè receptiuo subiecto, siuè essentiali differentia abstractum, est tantum vnũ; sed subsistens in seipso, & per se ipsum est ab omni contrahente abstractum; ergo abstractum per se, & in seipso subsistens, est tantum vnum. Prima propositio ex terminis aperta est; quoniam quod multiplicatur, per diuisionem multiplicatur: ergo si aliquid erit ab omni contrahente, & præcipuè diuidente, semotum, & abstractum, erit tantum vnum. Secunda autem propositio nota est ex eo, quoniam subsistens in se ipso omnem habet perfectionem simpliciter, ex consequenti, infinitum est, & Deus est, ex consequenti est ab omni diuidente abstractum. Tertia autem consequentia manifesta est ex asserris in primæ consequentiæ probatione; quoniam si intelligere substantiæ separatę est tantum vnum in seipso subsistens, omnem continens perfectionem simpliciter, & infinitum, tunc est Deus; cum solus Deus sit omnia ista: & quia Deus, & infinitum simpliciter, & subsistens in seipso nõ potest esse nisi vnũ, si intelligere substantiæ separatæ omnia ista erit, eius intelligere erit vnum, quod quidem vnum erit vna substantia separata, & vnus Deus.

Circa totam hanc rationem videndus est Caietanus, qui diffusissimè ipsam explanat; sine cuius explanatione ista D. Thom. ratio non potest intimè percipi.

Secunda ratio. Si intelligere substantiæ separatæ tantæ est perfectionis, vt sit eius substantia; ergo diuersi gradus intelligendi secundum perfectius, & minus perfectè nequaquam intelligi possunt, consequens est falsum; ergo et antecedens, consequentis falsitas, ex eo, ostenditur, quoniam substantię separatæ in magno sunt numero specie differentes, & vna est alia perfectior, ac per hoc diuersi gradus in intelligendo, secundum perfectius, & minus perfectum dantur: nam quanto substantia separata est perfectior, tantò etiam perfectiori modo intelligit: consequentia autem hunc in modum probatur, si intelligere substantiæ immaterialis tantæ perfectionis est, vt sit ipsamet substantia, tunc (vt in præcedenti ratione deductum fuit) intelligere per se, & in se subsisteret, essetque solùm vnum: sed diuersi gradus, in intelligendo multiplicantur secundum diuersam participationem ipsius intelligere; ex quo fit,

vt intelligere nón sit vnum, sed multa; si ergo intelligere substantiæ separatæ tantę est perfectionis, vt sua sit substantia, sequitur minimè esse diuersos gradus in intelligendo secundum magis, & minus perfectè.

Tertia conclusio ex duabus præcedentibus conclusionibus deducta talis est. In substantijs separatis accidens reperitur. Nam intelligere, omnisquè actio substantiæ separatæ est, re ipsa ab ipsamet substantia semota, & cum non sit medium inter substantiam, & accidens intelligere, omnisquè substantiæ separatæ operatio, si non est substantia necessariò erit accidens. In substantijs separatis itaquè accidens reperitur. Hęc quò ad secundum principale.

In substantiis à materia abstractis omnis actio, & præsertim intellectio re ipsa semouetur ab earum substantia, secundum Aristotelis doctrinam.

Cap. 21.

QVòad tertium principale, hanc esse prædictã veritatem esse etiam ad mentem Arist. ostendendum est, & hoc ex quatuor locis.

Primus locus est iste. Nam Arist. affirmat secũdo de anima tex. septimo, & nono Methaphisicæ textu decimotertio, & duodecimo methaphisice textu trigesimotertio, actum esse simpliciter, & absolutè ipsa potentia priorem. Deinde docet duodecimo meth. text. trigesimoseptimo, trigesimooctauo, trigesimo nono, quadragesimonono, quinquagesimosecundo, & vltimo Deum esse primum ens, & solum esse primum ens. Ex quibus textibus concludit, *vnus ergo princeps*. Ex eisdem etiam textibus colligitur, solum Deum esse purum actum, omnem à se excludentem potentialitatem, quæ propositio ità deducitur à D. Thom. prima parte quæstione tertia artic. primo. Actus simpliciter est potentia prior: sed solus Deus est primum ens: ergo solus Deus est actus omnem potentialitatem excludens, ac per hoc, solus Deus purus est actus. Maior, & minor huius syllogismi sunt Aristot. vt ex citatis tex. deductum est. Tunc vltra, solus Deus ad mentem Aristot. est purus actus: ergo in solo Deo secũdum Aristotelem nullum est accidens, nulla distinctio, nullaq; compositio: ergo in alijs separatis substantijs, necnon in omni creato secundum Aristotel. est compositio, saltem ex esse, & essentia subiecti, & accidentis; hoc autem accidens est, vel operatiua eius potentia, vel operatio. In substantijs itaquè separatis secundum Aristotelem: erit actio secundum rem, ab earum substantia semota.

Huic rationi aliquis tale responsum dare posset: substantiam separatam non esse quidem actum purum, habere tamẽ admixtam potentiam, quia in ipsa reperitur compositio essentię, & esse subiecti, & operationis, actus, & potentię, non autem compositio ex substantia, & operatione, & ideo esse, & potentia operatiua reipsa, ab earum essentia semouetur, non autem earum operatio. Verum istud responsum nullum est, quoniam secundum omnes philosophos maior distinctio reperitur inter essentiam, & actionem, quàm inter essentiam, & esse: & inter essentiam, & operatiuam potentiam: qua de re multi negant distinctionem esse, & potentiæ operatiuæ ab essentia; nullus tamen negat actionis distinctionem ab essentia in separatis, excepto vno Commentatore. Idcirco si in separatis aliqua est potentialitas, erit substantię respectu actionis: cum ergo secundum Aristotelem in separatis, excepto primo aliqua sit potentialitas, erit necessario hac de causa, quoniam actio est reipsa à substantia semota ac per hoc, actio erit accidens

talis actus, substantia autem huius accidentis subiectum.

Secundus locus est duodecimo methaphisicè textu quadragesimoquarto, in quo plures esse substantias separatas concludit. Tunc sic arguitur, vt argumentabatur ad rei veritatem: si actio separatæ substantię tantæ est perfectionis vt sit substantia, quæ est simpliciter perfectio, cum non sit maior ratio (vt supra etiam deducebamus) de vna simpliciter perfectione, quàm de alia, pari modo, actio substantiæ separatæ erit omnis perfectio simpliciter: ergo erit tantum vna actio, quæ erit Deus, in se omnem continens perfectionem, & ità erit tantum vna substantia separata; hoc autem est contra Aristotelem loco citato.

Tertius locus est vltimus textus duodecimi methaphis. quo in loco concludit vnum esse primum principiū, quod est virtutis infinitę intensiuè, vt probauit textu 35. eiusdem libri, & octauo physic. textu septuagesimooctauo, & septuagesimonono. Ex quo ita arguitur substantia separata creata est sua actio, puta intelligere & velle, quæ perfectiones simpliciter sunt, & cum non sit maior ratio de vna simpliciter perfectione, quàm de alia, ista substātia separata omnem aliam simpliciter perfectionem habebit; & ità erit simpliciter infinita: ergo essent plura prima principia virtutis infinitę intensiuè, hoc autem est contra Arist. tex. citato: ergo de mente Aristot. omnis actio re ipsa à substantijs separatis semouetur excepta prima, quæ est Deus.

Quartus locus est tex. trigesimus octauus duodecimi methaphic. quo in loco, ista verba habentur. *Ex tali igitur principio dependet cælum, & natura*; ex quo tex. & multis alijs adducendis tùm in consideratione de creatione, ad mētem Aristotelis, tùm in speculatione, de efficientia Dei respectu omnium; pari modo ad mentem Aristo. colligitur, omnes intelligentias creatas esse à Deo effectiuè productas, secundum suam substantiam, vt probabitur in supradictis considerationibus: ergo sicut esse omnium intelligentiarum creatorum à Deo dependet, ità & omnis earum perfectio à Deo dependet: ergo omnes substantiæ separatæ creatæ habent esse a Deo perfectibile per aliquam perfectionem; ergo omnes substantię separatę creatæ subiecti rationem habent perfectibilis, suaquè perfectio rationem accidentis perficiēs habebit: sed primaria rei perfectio est eius propria operatio, ergo omnis sua propria operatio erit accidés à substantia semotum. Omnes huiusmodi consequutiones ex terminis patent, & apertè ex illo antecedente primo colliguntur; quare de se ad mentem Arist. omnis actio substantiæ separatæ createę est accidens. Huic sententiæ subscribit Alex. Aphrod. suis duodecimo, Meth. numero 27 qui contestatur solum Deum esse omninò simplicem, & perfectum. Hæc quò ad tertium principale.

Tria diluuntur argumenta contra præfatam veritatem.

Cap. 22.

QVò ad quartum principale: Contra præfatam veritatem tria adsunt argumenta ex Aris. doctrina, immò ex ipsius verbis, quorū primum est.

Primum argumentum dissumitur ex textu 30. duodecimi meth. vbi demonstrat, substantiam separatam esse vniuersaliter actum, nulloquè modo potentiā, & iuxta D. Thom. interpretationem, Arist. intentio est, separatas substantias esse actus tantum; nam Aristot. verba ista sunt. *Oportet ergo esse principium tale, cuius substantia erit actus*, & verba D. Thom. hunc tex. exponentis, hęc sunt. Relinquitur ergo quod oportet esse aliquod primum principium motus tale

tale, cuius substãtia non sit in potentia, sed sit actus tantum. Quę propositio è diametro nostris fundamẽtis, nẽq; cõclusioni est opposita. Et nulli debet esse dubiũ, Arist. de omni substãtia separata loqui, q̃m hoc conspicuũ est ex duabus rationibus, quas pro sua cõclusione adducit, quarũ prima hæc est. Omnis substantia æterna semper actu mouens est actus, & non potentia, at omnis substantia abstracta est æterna, semperquè actu mouens; ergo omnis substantia abstracta est actus, & non potentia. Maior ab ipso ità suadetur ex opposito prædicati hunc in modum. Si substantia esset in potentia contingeret non mouere; consequentia probatur; q̃m agens in potentiæ contingit nõ agere, & ità motus posset non esse: hoc autem est falsum, vt pbatum fuit octauo phys. Minorem autẽ docet 12. met. tex. 43. vbi ex sempiternorum numero motuum substantiarum separatarum numerum concludit. Secunda ratio pro eadem conclusione eodem in tex. hæc est. Mouẽs in cuius substantia est potentia, non esse cõtingit, & ita corruptibile est: sed nulla substantia abstracta creata potest non esse, cum sit æterna secũdum Arist. quocirca in nulla substantia abstracta est potentia. Ecce istas rationes, concludere de omni substantia abstracta, in eaquè omnẽ substãtiam esse actum, minimèquè in se potẽtiam habere.

Licet, ad hoc argumentum fuerit responsum suprà capite 14. vno responso, attamen ne videamur coarctati tantum ad vnum responsum, vtquè doctrina nostra valdè amplior videatur; alio responso respondendum est. Vt assertum fuit supra cap. 41. vbi ostensum est cœlum esse ex materia quæ est pura potentia, & forma compositum. Apud Aristo. datur duplex potentia. Altera est potentia separata ab actu coniuncta priuationi, & recipiens formam media actione & passione; & ista est propriè potentia, & ab Aristotele potentia nuncupatur. Altera est purè receptiua, quæ scilicet formam recipit substantialem nulla media passione, & hæc potentia solet vocari istis nominibus, potentia ad esse, quod iam habet; potentia ad esse cõiunctum; & potentia priuationi minimè coniuncta: hæcquè potentia semper actui cõiũcta, & potentia purè receptiua non propriè appellatur potentia, cum propriè, & formaliter loquẽdo potentia appelletur quę est ab actu semota, & huiusmodi potentia ab actu seiuncta, potest esse sub actu, & non esse. Potentia autem semper actui coniuncta, apud Aristot. appellatur potentia purè receptiua, non autem propriè potentia, vt perspicuum est ex nono Methaphisice, textu decimoquinto, vbi expressè asserit, cœlum non esse in potentia ad motum, sed solum ad hoc, vel illud vbi, ità scribens. *Nequè vtiquè motus, si quis est sempiternus, nec si quid motum sempiternum, non est secundum potentiam motum, nisi vnum quo huius aut materiam nil prohibet existere*, ecce Aristot apertè affirmantem, mobile sempiternum non esse in potentia ad motum, & tamen cõstat mobile sempiternum in se motum recipere sempiternum, ac per hoc, conspicuum est, mobile sempiternum esse potentiam purè receptiuam motus; quocirca apud Aristotelem potentia purè receptiua non vocatur potentia absolutè, licet pura potentia, & purè receptiua appellari possit, & hanc potentiam purè receptiuam ponimus in substantijs intelligibilibus creatis respectu suppositi, esse existentiæ, intelligere, velle, & multarum aliarum actionum. Idcircò dicimus ad istas auctoritates: Aristot. à substãtiis omnibus separatis potentiam purè receptiuam minimè excludere; quoniam ista non appellatur potentia, vt conspicuum est ex assertis in loco citato; sed solum potentiam excludere, quæ propriè est potentia, & huiusmodi est potentia ab actu seiuncta. Hoc autem esse verum, ità ostendimus, & primo primam examinando rationem. Nam maior propositio, vt ex eius cõstat probatione, solum vera est de potentia ab actu semota; quãdoquidem

probatio hæc est: si substantia mouens esset in potentia; ergo posset nō moueri; consequutio probatur; quoniā quod est in potentia contingit non agere. At vltimum hoc assumptum tantùm verū est de eo, quod est in potentia ab actu remota, non autem de eo, quod est in potentia actui coniuncta; etenim cœlum est in potentia purè receptiua actui cōiuncta, & tamen falsum est secundum Aristotelē, non posse moueri, & in hæc inferiora non agere; quocirca illa maior in Aristo. doctrina intelligenda est de potentia ab actu remota hoc modo: omnis potentia æterna semper mouens est actus, & non in potentia; non est, inquam in potentia ab actu remota, est tamen in potentia actui coniuncta, cum sit potentia respectu suppositi, esse existentiæ, & accidentis. Falsum est etiam id quod est in potentia purè receptiua actui coniuncta possit non esse; nam cœlum est in potentia purè receptiua suæ formæ, & tamen non potest non esse, & ita de alijs. Similiter maior propositio secundæ rationis solum vera est de potentia ab actu remota, vt assertum est. Cum itàquè alicuius rationis conclusio sit ipsis præmissis conformis, immò præmissarū termini, conclusionis termini sint; si ipsę pręmissæ vtriusq; rōnis de potentia ab actu seiuncta loquuntur, pari modo ipsa conclusio necessariò de potētia ab actu seiuncta intelligēda est. Cū itàquè affirmet Arist. substantias separatas, esse puros actus, omnem potentiam excludentes, non est ità simpliciter intelligenda hæc auctoritas, vt verba sonant, sed vt præmissæ conclusionis intelliguntur; quadere substantiæ separatæ puri sunt actus, quatenus puritas potentiam ab actu remotam excludit, non autem quatenus actus puritas potentiam purè receptiuam excludit; & hoc modo intelligenda est alia Arist. auctoritas duodecimo Meth. tex. trigesimoquinto, asstruentis mouens sempiternum esse substantiam actu ens.

Secundum argumentum. Perfectio simpliciter, quæ alicui conuenit naturæ ignobiliori, naturæ etiam nobiliori conuenire debet; sed actionem esse substantiam, perfectio simpliciter est, cum Deo conueniat; ergo si naturæ ignobiliori conuenit, multò magis nobiliori conuenit naturę; sed per Arist. Tertiò de anima textu decimonono. Actio nostri intellectus agentis, qui est ignobilior separata substātia, est eius substantia: ergo multò magis substantiæ separatæ actio erit sua actio.

Ad hoc respondet D. Thom. 1. p. quæstione 54. articu. primo, ad primum affirmans dari duplicem prædicationem: alteram per essentiam, & est, quando prædicatum est de subiecti essentia & substantia, vt est hæc, homo est animal, & ista non est huiusmodi; alterā esse prædicationem per concomitantiam, & est quando prędicatum reipsa, semper à subiecto distinctū, semper tamen ipsum prædicatum concomitatur subiectum cuiusmodi ista est, homo ē risibilis, hocquè modo est ista prædicatio Arist. substantia intellectus agentis est sua actio, quoniam cum intellectus agens sit ens in actu substantiaquè in actu, statim, quoniam est ex se, actio intellectus agentis, substantiam concomitatur, & hoc ad differentiam intellectus possibilis, qui, nisi postquàm in actu factus fuerit actionem non habet.

Tertium. Affirmat Arist. duodecimo meth. tex. 39. actionem intellectus esse vitam, deinde secundo de anima textu 38. asserit viuere esse viuentibus esse; ex quibus sic arguitur. Sicut se habet essentia ad esse, ità se habet vita ad viuere: ergo à commutata proportione, sicut se habet viuere ad esse, ità se habet vita ad essentiam; sed per Arist. viuere est idem realiter cum esse; ergo et vita erit eadem realiter, cum essentia; sed actio rei viuētis est vita viuentis secundum Arist. ergo actio erit idem realiter cum substātia viuentis.

Respondet D. T. vbi suprà, qui supponit distinctionē viuere, ad mentē Arist. secundo de anima, nam sumitur, et pro esse & pro operatione. Tunc negat primam

mam

mam propositionem; quoniam sicut se habet cursus ad currere, quorum vnū.s. cursus significat actum currendi in abstracto, aliud verò.s. currere significat eūdem currendi actum in concreto; sic se habent vita, & viuere, nō sumptum pro esse, sed pro operatione; nam vita significat operationem in abstracto, viuere autem eandem significat operationem in concreto: & licet aliquādo vita sumatur pro essentia; vnde aiebat D. Aug. in lib. de Trin. memoriā, intelligentiā, & volūtatē esse vnā essentiā: & vnā vitā verūtā non accipitur vita pro essentia ab Arist. quando dixit, intellectus actionem esse vitam; sed asumpsit vitam pro operatione.

Istis tribus argumentis additur quartum, ex ratione naturali sumptum quod est tale. Si extrema vnum sunt, medium ab eis non differt: cum extremum magis distet ab extremo, quàm medium; sed in substantijs separatis idem est intellectus, & intellectum, ad minus quando suam intelligit essentiam: ergo intelligere, quod inter intellectū, & rem intellectam cadit medium, est idem cū substantiæ separatæ essentia, cum seipsam intelligit.

Respondet D. Tho. vbi supra, negando intelligere esse mediū secūdū rē, inter intellectum, & rem intellectam; quoniā discrimen est inter actionem immanentē, & transeuntem in hoc, quia actio trāsiens est, reipsa media inter agens, & subiectum actionem recipiens; at immanens actio non est reipsa medium inter agens, & obiectum secundum significādi modum, verum huiusmodi immanens actio reipsa vnionem obiecti, cum agente consequitur; etenim ex eo, vt statim, res intellecta fit vnum cum intelligente, intelligere consequitur quasi effectus quidam, ab vtroque differens.

In substātijs separatis omnis actio, & præsertim intelligere reipsa se mouetur ab ipsius existentia secundum rei veritatem.

Cap. 23.

PAri modo conclusio proposita examinanda, & probāda est duplici via, sicut & præcedens fuit demonstrata. Altera secundum rei veritatem, altera secundum Arist. doctrinam, hac ratione: quoniam prima via, maximam confert claritatem ad secundam viam, & circa hoc examen quatuor agenda sunt. Primò, declarandi sunt termini in conclusione positi: secundò, ponendę sunt duę conclusiones præpositam conclusionē magis explicantes: tertiò, probanda est ad aures Arist. quartò, obiectis occurrēdum est.

Quò ad primum. Considerādum est apud Arist. 9. meth. text. 16. duplicem dari actionem. Alteram transeuntem, in aliquid exterius ei passionem inferens, vt secare, & vrere: & hęc cōmuni vocabulo actio transiens nuncupatur. Alteram verò esse actionem minimè in rem exteriorem transeuntem, sed in ipsomet agente manentem veluti est sentire, & intelligere: hęcquè communi vocabulo, actio immanens appellatur, & de vtraq; actione sermonem instituimus in istis conclusionibus.

Quò ad secundum principale. Duæ ponuntur conclusiones, iuxta duplicem actionem, secundum rei veritatem, quarum prima hæc est. Actio transiens in nulla creatura est esse existentiæ, quæ ita probatur à D. Tho. 1. p. q. 54. ar. 2. Res significata intra ipsum agens re ipsa distinguitur à re significata, vt effluxus ab agente in materiam exteriorem: sed esse est res significata intra ipsum agens, actio aūt transiens est res significata vt fluxus ab agente in materiam exteriorem: ergo actio transiens re ipsa distinguitur ab esse existētię. Maior propositio ex terminis cōspicua est. Minor autem aperta est ex rationibus actionis immanentis,

& ipsius esse existentiæ.

Secunda conclusio, omnis actio immanens cuiuscunquè creaturæ ab esse existentiæ creaturæ, reipsa, distinguitur. Quæ probatur à D. Th. loco citato, supposita quadam distinctione, de actione immanenti, quæ talis est. Actionum immanentium, quædam ad partem spectat intellectiuam, huiusmodiquè actio immanens est infinita simpliciter obiectiuè, qm̃ eius obiectum ad omnia siuè creata, siuè increata se extēdit, quæ sunt infinita, & ideo cum obiectum sit simpliciter infinitum pari modo, & ipsa actio erit simpliciter infinita obiectiuè, non autem simpliciter absolutè; cum solus Deus sit essentialiter, & simpliciter absolutè īfinitus. Quædā verò, ad partē sensitiuā pertinet, vt sentire, & ista est infinita secundum quid obiectiuè, quia eius obiectum se extendit solummodo ad quasdam species, vt videre se extēdit solum ad coloris species, audire ad species soni, & ita de alijs. Facta ista distinctione probatur conclusio de omni actione immanenti, tàm primo, quàm secundo modo. Quotiescunque sunt aliqua duo, quæ ità se habent, vt alterū sit vnius determinatæ speciei per differentiam realem addentem realem rationē, alterum verò possit determinari essentialiter ad plures species, per differentias reales realitates addentes, illa, reipsa, distinguuntur sicut res à re: sed intelligere vnius intelligentiæ, putà solis, ad plures species per reales differentias determinari potest, esse autem illius intelligētię non est nisi vnius speciei, sicut & sua essentia, ergo esse intelligentię solaris semouetur, reipsa, à suo intelligere. Et quod asseritur de Solis intelligētia, quò ad intelligere, & esse, idem affirmādum est de omni alia actione immanēti, & esse cuiuscunquè creaturę: quoniā perspicuum est, istam rationem in omnibus vim habere. Maior propositio ostenditur ad tria deducendo inconuenientia. Primum est: si vna & eadem res ità se haberet, vt esset vnius speciei determinatæ, & etiam esset diuersarum multarumquè specierum: tunc illa res vna, & eadem existens esset vltimatè determinata, & non vltimatè determinata: quod apertam inuoluit contradictionem, consequutio suadetur, ex eo, quia vnius est speciei specialissimę: ideò est vltimatè determinata, cum specialissima species sit vltimatè determinata, quod verò est ad multas species, consequitur ut sit vnum genus: genus autem non est vltimatè determinatum. Secundum inconueniens est, sequeretur vnam, & eandem rem esse formaliter determinatam vltimata determinatione, hocquè ei conueniret inquātum est species specialissima, & esse formabilem essentialiter, multis differentijs. Tertium incōueniens, sequeretur, vnam, & eandem rem esse duas naturas oppositas, quoniam esset eadem cum duabus extremis differētijs, illā, plures in species specialissimas diuidentibus, quemadmodum si superficies esset coloris natura, sequeretur vnam, & eandem superficiem esse nigredinem, & albedinem: quoniam omnis superficies reipsa, & idētice, color esset: idcircò, sequeretur superficiem esse nō solum nigredinem, verum etiam albedinem, hoc autem manifestam inuoluit contradictionem. Minor autem propositio ità declaratur, nam esse intelligentię Solis est ad naturam specificam intelligentiæ Solis formaliter determinatum, & ità est vnius speciei specialissimę, sicut, & Solis intelligentia: intelligere autem Solis intelligentiæ ad plures est species specialissimas, quēadmodum obiecta sua sunt plurium specierum specialissimarum, cum enim intelligit se ipsum, illud intelligere differt specie, cum intelligit Deum, quia Deus, & intelligentia duo sunt obiecta formaliter distincta. Hæc quoad secundum principale. &c.

Om-

Omnis actio cuiuscunquè creaturæ reipsa semouetur à suo esse, ad mentem Aristotelis, duoquè argumenta soluuntur.

Cap. 24.

QVòd ad secundum principale, ponitur talis conclusio ad mentē Arist. Omnis actio cuiuscunq; creaturę reipsa ab esse suo semouetur. Hæc conclusio quadrifariam probatur; Verū ratio prima tria supponit Aristotelica fundamenta.

Primum fundamentum. Datur tantum vnum principium infinitę essentiæ, infiniti esse, & infiniti vigoris, loquendo de vnitate specifica formali, & numerali, & hoc principium, vt etiam superius dictum est, conclusit Aristo. in vltimo tex. 12. Met. hocquè fundamentum magis explanabitur, cum agemus de vnitate Dei, & de infinitate primi motoris ad aures Arist.

Secundum fundamentum. Intelligere cuiuscunquè creaturæ, puta intelligētię solis in diuersis est specieb. ad aures Aristo. Hoc fundamentum colligitur ex secundo de Anima text. 33. vbi docetur, actus per obiecta distingui; sed obiecta intelligibilia cuiuscunquè creaturæ intellectualis, sunt multa secundum diuersas species, cum omnes species spicialissimę possint naturaliter à creatura intellectuali aliquo modo cognosci, quæ tamen species à substantia separata perfectè cognoscuntur, vt inferius demonstrabimus; ab anima vero nostra modo imperfecto intelliguntur, ex qua auctoritate ità suadetur fundamētum. Actus iuxta supradictam Aristo. doctrinam per obiecta multiplicantur; at multæ sunt obiectorum species (saltem in esse reali) ipsius intelligere, cuiuscunquè creaturæ; ergo intelligere cuiuscunquè creaturæ in diuersis est speciebus, immo in infinitum multiplicari potest, potestquè esse secundum numerum infinitum, tum quia obiecta sunt secundum numerum infinita; nàm qualibet intelligentia suam cogitationem cognoscit, cogitatio autem in infinitum multiplicatur, cum intelligentia sit incorruptibilis, tùm quia cum substantia intellectualis sit incorruptibilis, ac per hoc ęterna, suę intellectiones in infinitum multiplicantur, & omnes huiusmodi propositiones assumptæ sunt conspicuę in Aristotel. doctrina, quæ etiam locis proprijs magis dilucidabuntur. Et hoc fundamentum per omnia proportionaliter ad velle se extendit.

Tertium fundamentum. Esse reale cuiuscunquè substantiæ creatæ est in determinato genere, in determinata specie, & in determinato numero. Et hoc fundamentum colligitur ex 7. Met. tex. 43. & sequentibus, vbi demonstratur omne, quod est in genere determinato, esse etiam in determinata specie, & quod est in determinata specie, esse etiam, in aliquo numero singulari; cum non dentur species à singularibus separatæ, vt contestabatur Plato, hancquè veritatem suadet multis in locis suę doctrinæ, sed præsertim per totum librum 7. Met. quocirca, & in substantiæ prædicamento, illud axioma protulit; *destructis primis substantiis, impossibile est, aliquid remanere.* Tunc subsumitur alia propositio; at qualibet substātia creata, cū sit finita est in aliquo genere determinato, ex consequenti est in aliqua specie, ac ideo ē in aliquo singulari. Ex his Aristot. fundamentis ita primò arguitur pro conclusione prima iā antè proposita, secundum rei veritatem. Actio transiens secundum Arist. 9. Met. text. 16. est in patiente, at esse cuiuscunquè substantiæ creatæ (vt compertum est ex assertis in considerationibus de esse existentiæ, suppositi, & essentiæ) est in ipso agente; ergo &c.

Secunda conclusio superius proposita ex dictis fundamentis quadrifariàm probatur.

Primò

Primò intelligere, & velle vnius intellectualis substantiæ sunt infinita numero, vt patet ex secundo fundamento, at esse illius substantiæ intellectualis est vnum numero, vt patet ex tertio fundamento: ergo &c.

Secundò arguitur ex fundamentis, eodem in argumento, quo fuit argumentatum ad simpliciter, hanc veritatem probandam. Ens reale in vna specie determinata, reipsa semouetur ab ente, quod in diuersis est speciebus, hæc patet ex se; sed ad mentem Aristot. ex 3. fundamento: esse cuiuscunq; substãtiæ intellectualis est in determinata specie, & suũ intelligere, est in diuersis specieb. vt patet ex secũdo fundaméto; ergo esse & intelligere substantiæ intellectualis reipsa semouentur.

Tertio. Esse diuinum solum infinitum est, vt clarum est ex primo fundamento; ergo esse cuiuscunquè creaturæ secundum Aristo. finitum est; ergo esse, & intelligere creaturæ reipsa seiunguntur, consequutio suadetur; quoniam finitum, & infinitum reipsa distinguuntur. Quod autem secundum Aristo. intelligere creaturæ infinitum sit, ità suadetur. Actus per Aristo. ex doctrina in secundo fundamento tradita, suam speciem ab obiecto desumuntur, & ideo si obiectum est finitum, actus quoquè erit finitus, & si obiectum est infinitum, actus etiam infinitus erit; sed obiectum intellectus, & intelligere sunt ens infinitum; ergo intelligere erit infinitum secundum Aristo. & eodem modo de velle argui potest, & hanc doctrinam secutus est D. Thom. 1. p. q. 54. articu. 2.

Quartò. Ambæ conclusiones ità suadentur secundum Aristot. 4. Phys. Quæ diuersas habẽt quidditates reipsa semouentur, & ideò eò loci demonstrauit Aristote. id, quod est in aliquo reipsa, ab eo, in quo est distingui; sed vt ex fundamentis notum est, alia quidditas est ipsius esse substantialis, & alia quidditas actionis, tam immanentis, quàm transeũtis; nam esse est id, quo res existit, actio autem transiens est fluxus ab agente in patiens, actio verò immanens est actus, suum agens perficiens in ipsoquè existens, sicut propria perfectio, vt docet Aristot. 9. Metaphis. loco citato. Esse itàquè cuiuscunq; creaturæ ab omni sua actione reipsa semouetur, ac per hoc omnis actio cuiuscunquè creaturæ accidẽs est. Ex quibus compertum est hanc doctrinam esse contrà Auerroim, loco citato in præcedenti cõsideratione astruentem, in substantijs separatis nullum accidens esse. Hæc de tertio principali.

Quò ad quartum principale, contra hanc veritatem duo sunt argumenta, quorum primum tale est.

Secundum Aristot. 2. de Anima text. 38. viuere est esse viuentibus, sed secundum eundem in eodem libro, intelligere est quoddam viuere; ergo intelligere est eius esse. Respondet D. Thom. 1. p. q. 54. art. 2. ad secundum affirmans viuere duobus modis sumi, vno modo pro ipso viuentis esse, & hoc modo intelligẽdus est Arist. primo loco, alio modo sumitur viuere pro vitæ operatione per quam, aliquid esse viuens demonstratur; & hoc modo intelligendus est Aristo. 2. loco; nam eò loci diuersos viuentium gradus secũdum diuersa vitæ opera, distinguit, qua de re circa viuere, æquiuocatio accidit, & ideo argumentum nihil concludit.

Secundum argumentum. Sicut se habet causa ad causam, ita effectus ad effectum, sed forma, per quam substantia intellectualis est, eadem est cum forma per quam intelligit ad minus seipsam; ergo intelligere est idem cum suo esse. Respondet D. Thom. loco adducto, maiorem esse intelligendam formaliter, & secundum eandem rationem, tunc negatur essentiam substantiæ intellectualis, quę est forma per quam ipsa est, & per quam intelligit eodem modo, eadẽquè ratione esse vtriusquè formam; quandoquidem, essentia substantiæ intellectualis totius esse ipsius ratio est, non autem est ratio totius sui intellige-

re,

re, cum non omnia per suam essentiam intelligere possint, & ex hoc aliud sequitur discrimen, quod est tale. Essentia ad esse comparatur secundum propriam rationem, inquantum est talis essentia, ad suum verò intelligere, comparatur, non secundum propriam rationem, sed secũdum veri, vel entis rationem, quòd est vniuersalius obiectum, & ideo essentia substantiæ intellectualis, non secundum eandem rationem, est essẽndi, & intelligendi, principium.

Secundùm Aristotelem proponitur probatur, & defenditur hoc fundamentum, contra Scotum. Potentia, & actus sunt in eodem genere, fundans hanc conclusionem: potentia intellectiua substantiæ separatæ est ab eius essentia reipsa, distincta.

Cap. 25.

CIrca hanc difficultatem, an ad mentem Aristo. potentia intellectiua substantiæ separatę sit ab eius essentia reipsa distincta, quatuor agenda sunt; primò vnum fundamentum iaciendum est; secundo controuersię respondendum est; tertio deducenda est ex responsiua conclusione alia conclusio. 4. obiecta diluenda sunt.

Quò ad primum. Fundamentum responsiuę conclusionis hoc est. Potentia & actus in eodem sunt genere, secundum Aristot. hoc fundamentum colligitur ex Aristo. duodecimo Met. text. 26. & 28. nàm in text. 26. ità scribit; *Amplius autem, alio modo proportionaliter principia eadem, ut actus, & potentia;* & in tex. 28. ità contestatur. *Palam quia multipliciter dictorum sunt, vniuscuiusque, diuersorum vero non eadem, sed altera, præterquam sic, & omnium sic, quidem eadem, aut eo, quod proportionaliter, quia materia species priuatio mouēs, &c.*

Ex quibus verbis, expresè colligitur, in vno quoquè genere reperiri propriam potentiam, propriumquè actum, ex consequenti haberi, in eodem genere esse propriam potentiam, actumquè proprium, hoc autem est nostrum formale fundamentum. Ex quibus etiam colligitur, potentiā & actum diuidere ens, & quodlibet entis genus; ex quibus etiam elicitur illa vniuersalis propositio; diuersitas actuum exigit, & causat in genere causæ formalis potentiarum diuersitatem.

Circa hoc fundamentum duo agenda sunt, primò declarandum est; 2. defendum est contra Scotum.

Quò ad primum sciendum est, hoc fundamentum fuisse explanatum à Di. Thom. prima par. quæstio. 54. ar. 3. & q. 77. ar. 2. & 3. & à Caieta. & eisdem in locis. Pro cuius declaratione tria consideranda sunt. Notandum primo ex isto fundamento, triplicem colligi distinctionem. Prima distinctio hęc est. Rerum, quædam sunt, quæ primaria intentione sunt à natura productæ, vt sint actus, licet aliquid potentialis admixtum habeant, & huiusmodi res sunt primò & per se, essentialiter actus; quocirca in actuum coordinatione simpliciter collocantur; & huiusmodi sunt, omnes formæ tàm substantiales, quàm accidentales, quæ vnum per se, quolibet in genere prædicamentali, siuè sit substantiæ genus, siuè accidentium constituũt; quædam verò res sunt, q̃ à natura primaria intẽtione productę sunt, vt sint potentiæ licet aliquid actualitatis habeant admixtum, & istæ sunt, primò & p se, & essentialiter potentię, siuè actiuæ, siuè passiuæ, & ideo in potentiarum coordinatione simpliciter, & absolutè collocant, & hæc distinctio, ex supradictis habetur textibus; quoniā in eisdem affirmatur, quolibet in genere, propriam materiam, siuè potentiam dari, & ista est essentialiter potentia, dari etiam propriam formam, & ista est, primò, & per se, & essentialiter actus.

Ex

Ex ista distinctione sequitur secunda, & est ista; Actuum, quidam est per se primò actus, secundò potentia, & hoc membrum ex primo membro supradictę distinctionis colligitur; quoniam illæ res, quæ essentialiter actus sunt, & aliquid potētialitatis admixtum habent sunt primario actus, & secundario potentiæ; quidam verò actuum sunt primariò potentiæ, secundariò autem actus, & hoc est secundum primæ diuisionis membrum; quandoquidem illæ res, quæ primò, & per se, & essentialiter sunt potētiæ habentquè aliquid potentialitatis admixtum, sunt potentię primariò, secundario autem actus. Itidem potentiarum, quædam sunt primò, & per se potentiæ, secundariò vero actus (& hoc est membrum secundum primę diuisionis) quædam verò sunt primariò actus, & secundariò potentiæ (& hoc est primum primæ diuisionis membrum.)

Secunda distinctio est. Actuum, quidam sunt adæquati respectu suæ potentiæ, vt intelligere respectu intellectus, velle respectu voluntatis, & videre respectu potētiæ visiuę; quidam vero sunt inadæquati, vt intelligere lapidem vel le medicinam, & hoc album videre.

Secundo considerandum est, nostrum fundamētum; hoc pacto esse intelligendum. Potentia siuè actiua, siuè passiua, seu respectiua essentialiter ad talem actum ordinata est in eodem genere, in quo est actus. Et illa propositio; Actuum diuersitas causat in genere causæ finalis, potentiarum diuersitatem intelligitur de reali, & formali diuersitate actuum, non quorumcunque; sed adæquatorum, & per se primò in actus ratione intentorum. Et similiter illa propositio: In quolibet genere datur propria potentia propriusquè actus, quæ sunt propria illius generis, principia, veritatem habet de actu, & de potētia, siuè actiua, siuè passiua per se primò, & essentialiter ad talem actum, ordinata. Ex his colligitur illius vulgatissimę propositionis intelligentia: Actus, & potentia diuidunt ens, & quodlibet entis genus; quoniam in quolibet genere datur proprius actus, propriaq; potentia, & ideò actus proprius, potentiaquè propria diuidunt ens, & quodlibet entis genus.

Tertio considerandum est, vt docent Capr. 2. sentē. dist. 12. quęst. prima, ad argumentum Scoti cont. secundam conclusionem, & Caietan. prima parte q. 54. ar. 3. & quæst. 77. artic. primo. Nos per potentiam intelligere tàm passiuam, quàm actiuam potentiam, quæ tamen est verè potentia actiua, verèquè passiua. Potentia autem verè, & propriè actiua est, quæ mediante operatione propriè dicta operatur, potentia autem proprie passiua est, quæ mediāte operatione propriè dicta, propriè formā accipit. Operatio aūt propriè dicta est illa, quæ dicit motū; & ideò illa, q̄ fiūt, & recipiūtur ī instāti, ab aliquib. potentijs, illæ potentię, quæ sic agunt, sicquè recipiunt, nequaquàm sunt, propriè potentiæ actiuę, vel passiuè. Itidem illa, quæ naturali resultantia, producuntur ab agentibus, & à patientibus recipiuntur, illa agentia, & recipientia minimè dicuntur propriè potētiæ actiuę, vel passiuę. Hæc de primo.

Quò ad secundum. Scotus secundo sent. dist. 16. arguit hanc propositionem, scilicet, potentiam & actum esse in eodem genere, astruens, non esse vniuersaliter veram de potentia actiua, & passiua; sed solùm de obiectiua potentia, quæ quidem potentia obiectiua est potentia quæ contra actum diuiditur, & tunc (ait ipse) non solum sunt eadem in genere obiectiua potentia & actus; verum etiam sunt in eadem specie: immo sunt eiusdem numeri; quoniam illud indiuiduum, quod nunc in actu est, idem in potentia fuit. Et contra nostrum sensum, quatuor arguit modis.

Primò. Accidens immediatè in substantia recipitur; ergo substantia est respectu accidentis passiua potentia; ergo

go potentia passiua, & actus in eâ recep tus non sunt in eodem genere. Antecedens probatur, quoniam aliter esset in infinitum processus, quod ità suadetur. Nam si accidens in substantia medianre potentia recipitur, aut illa potentia media est accidens, aut substantia; si substantia; ergo accidens immediatè in substantia, quæ est potentia, recipitur, si autem illa media potentia est accidés, aut mediatè in substantia recipitur, aut immediatè, si immediatè intentum habetur: si autem, mediatè, quæram de illo medio; aut est substantia, aut accidens, & ita in infinitum processus erit.

Secundò. Secundum Aristo. 7. Met. tex. 32. substantia in esse nô producitur nisi à substantia in actu præexistente; sed quantum, & quale in esse producũtur nullo quâto, vel quali in actu præsupposito, sed in potẽtia tm; ergo secũdũ ipsum Aris. substâtia ponitur immediatè esse causa accidẽtis effectiua, & ità potentia actiua minimè est in eodem genere, in quo est suus actus.

Tertiò. Secundum nos Thomistas, in Aĩa est virtus actiua respectu suarũ potentiarũ, & tamen potentiæ accidentia sunt; ergo virtus & potentia actiua est in eodem genere cum suo actu.

Quartò. Secundũ D. Th. Anima est immediatum principium, proximumque receptiuũ intellectus, & volũtatis, q̃ accidẽtia sunt; ergo receptiua potẽtia, suisq; actus, non sunt in eodẽ genere.

Antequam ad istorũ solutionem argumẽtorum deueniamus, animaduertẽdũ est, hanc Scoti glossam textũ destruere, vt clarum est ex ipso tex. & secundum Scoti expositionem, vt ibi videre est, Aristo. de potentia quæ est rei principium loqui, & vt probauimus de potentia actiua; at compertissimũ est, obiectiuam potentiam nô esse rei principium, & præcipuè actiuũ; quoniam est ipsamet res, quatenus possibilis est esse.

Et ex iactis fundamentis responsa valde facilia, ad Scoti argumenta damus.

Ad primũm itaquè argumentũ in asserimus, potentiã ad actũ accidentalem essentialiter ordinatam recipi posse immediatè in substantia, vt potentia ad quãtitatis actum ordinata est immediatè recepta in substantia; & ista potẽtia quoddam accidens est, & hic sistatur. At cum arguitur; ergo potẽtia huius accidentalis actus receptiua, qui actus accidentalis est potẽtia ad quantitatem, non est in eodem genere cum suo actu; quoniam actus est in quantitatis genere, sua autem receptiua potentia est in prædicamento substantiæ. Ad hoc bifariam respondetur, primò affirmamus istam potentiam receptiuam potẽtiæ ad quantitatem non esse essentialiter ad huiusmodi potentiam, ad quantitatem ordinatam, cum nulla res vnius prædicamenti, ad alterius rem essentialiter, & per se primò ordinetur. Nos autem loquimur de actu, & de potẽtia per se primò essentialiter ordinatis. Secundò asserimus, illam potentiam ad quantitatem essentialiter esse potentiam, & non actum nisi secundariò, & secundum quid, & potius habere modum actus, quàm actum esse: nostra autem propositio vera est de potentia, & de actu essentialiter. Idcirco cũ illa potentia non sit essentialiter actus; nñ nô obstat propositioni, si illa potentia immediatè in substantia recipiatur. Tertiò affirmamus substantiam respectu quantitatis, respectuquè potentiæ ad quantitatem, non esse propriè passiuam potentiam, cum recipiat quantitatem absquè motu, natura liresultantia: nos autem loquimur de potentia passiua propriè, quæ suum recipit actum, media aliqua actione. Hanc doctrinam docet primo Cap. primo sent. dist. 3. quæstio. 3. articu. secundò, ad primum Scoti contra primam rationem primæ conclusionis, subinde Caietan. sed formalius prima parte quæstione 5. articulo tertio, & q. 77. ar. primo, & c.

Ad secundum respondemus. Aut illa auctoritas intelligitur de principio passiuo, aut actiuo: si de passiuo principio, nullum discrimen inuenit

sub-

substantiam, & cetera prædicamenta inueniuntur; quoniam vnumquodque prædicamentorum, non fit ex tali in actu; verum ex tali in potentia, & re vera non est ità intelligenda Aristot. propositio, quãm eò loci inter actionem substantiæ, & accidentis, discrimen facit, vera itàq; est de actiuo principio; Verum quoniam principium actiuum est duplex, alterum æquiuocum, alterum vniuocum; tunc dicimus, loquendo de vniuoco principio, nullum est discrimen inter productionem substantiæ & accidentis; quia sicut agens substantiæ vniuocum est substantia, ita est quantum & quale &c. & ità substantia est à substantia, ità quantum est à quanto, & quale à quali. Propositio itàquè Aristotel. solum vera est de agente æquiuoco, siuè creato, siuè increato, cuiusmodi sunt Deus, & intelligentiæ mouentes, à quibus, substantiæ materiales, nec non quantitates, & qualitates efficiuntur, & tamen ipse non sunt quantæ nec in se horum qualitates inferiorum habent formaliter, sed solummodò virtualiter istas quantitates, & qualitates continent, sunt autem actualiter, & formaliter substantiæ; & ità discrimen est inter agens æquiuocum, seu potentiam actiuam æquiuocam substantiarum, & accidentium; quoniam substantia est à substantia, quantitas autem, & qualitas non sunt à quantitate & qualitate; quadere hoc modo solum intelligenda est Aristo. propositio. Et hoc etiam animaduerterunt primò Capreolus primo sen. d. 3. quæst. quarta, ad tertium Scoti contra secundam conclusionem, deinde Caietan. prima par. quæstio. 77. art. primo. Et cum instatur; ergo potentia actiua non est in eodem genere cum suo actu, bifariam respondemus. Primo dicimus, nostrum sermonem esse intelligẽdum de potentia propria, non autem cõmuni, modo constat potentiam æquiuocam non esse propriam, sed communem. Secundò asserimus causam actiuam, seu potentiam actiuam æquiuocam non primò, & per se, & essentialiter, ad istos actus accidentales ordinari, immo potius ad substantiam, modo autem (vt pluries assertum fuit) nos loquimur de potentia primò, & per se, & essentialiter ad actum ordinata.

Ad tertium, & quartum simul respõdemus, duplicem dantes responsionem. Prima est; Imus inficias animam nostram esse essentialiter primò, & per se, ad illas potentias, ad illasquè proprietates ordinatam; nam primò, & per se ad esse existentiæ ordinatur, quod quidem esse substantia est. Secunda est: Negamus animam esse propriè actiuam potentiam & passiuam suarum potentiarum, & suarum proprietatum, cum omnia illa absquè media actione naturali resultantia producat, & recipiat. Hæc sint de fundamento &c.

Potentiam intellectiuam substantiæ immaterialis, imò omnem potentiam cuiuscunquè creaturæ esse reipsa semotam ab eius essentia ostenditur ad mentem Arist.

Cap. 26.

QVò ad secũdum principale. Huic controuersiæ tale damus, vniuersale responsum. Potentia intellectiua substantiæ immaterialis, imò omnis potentia cuiuscunquè creaturæ est reipsa semota ab eius essentia.

Hæc conclusio bifariam ad aures Aristot. demonstratur. Primo hunc in modum; Actuum diuersitas, exigit potentiarum diuersitatem, nec non ipsam causat, vt clarũ est ex fundamẽto, nunc adducto, at operatio substantiæ immaterialis, & cuiuscunquè creaturæ, est diuersi actus, vt assertum fuit in præcedentibus; ergo & suæ propriæ potentiæ sunt reipsa diuersæ, sed cuiuscunquè creaturæ essentia est potentia respe

ctu

ctu esse existentiæ, vt assertum fuit], ad mentem Arist. cap. 13. (asserimus enim esse existentię esse realiter distinctum, ab ipsa essentia sicut proprius actus, à propria potentia) potentiaquè siuè actiua, siuè passiua est propria operationis potentia; ergo essentia cuiuscunquè creaturæ, ab eius potentia reipsa semouetur.

Secundò. Potentiæ & actus in eodem sunt genere, vt ex supposito fundamento compertum est, at cuiuscunquè creaturæ operatio est in genere accidentis secundum Aristot. vt probatum fuit supra cap. 22. & 24. ad mentem Aristot. ergo & potentia erit in genere accidentis; sed creaturę essentia, in genere est substantiæ; ergo potentia cuiuscunquè creaturę ab eius essentia reipsa seiuncta est. Hæc de secundo principali.

Nullam substantiam esse alicuius operationis immediatum principium ostenditur ad mentem Aristot. Argumenta quæ Scoti recitantur. Cap. 27.

QVò ad tertium principale. Ex præcedenti cõclusione, clarè hæc alia deducitur conclusio. Nulla substantia est alicuius operationis immediatum principium. Circa hanc conclusionem tria agenda sunt. Primò colligenda, & declaranda est: Secundò Scoti argumẽta sunt adducenda: Tertiò dicta argumenta diluenda sunt.

Quò ad primum. Conclusio proposita hunc in modum colligitur ex præcedenti conclusione. Potentia est operationis immediatum principium; at substantia seipsa distinguitur à potentia, per nostram præcedentem conclusionem, ad mentem Aristo. ergo nulla substantia, est principium operationis immediatum. Maior propositio est ab omnibus concessa quæ tamen infra declarabitur.

Declaratur autem ista conclusio hoc modo. Per principium, intelligimus operatiuum principium, seu potẽtiam operatiuam, siuè actiuè, siuè passiuè. Per operationem autem intelligimus (vt iàm assertum est supra capit. 24.) verè, & propriè agere, qđ est agere operatione propriè dicta. Operatio autem propriè dicta est verè motus, siuè Phys. siuè Meth. & est in tempore, siuè continuo, vt est motus Physic. siuè discreto, vt est motus Metap. quo actiones omninò spirituales mẽsurantur, de quo proprio loco agemus.

Ex quibus declaratis excluduntur omnes potentiæ purè receptiuæ, quæ non media aliqua operatione actum recipiunt, cuiusmodi est subiecti potentia, respectu propriæ passionis, & respectu omnium per se illi congenitorum. Iidem, excluduntur omnes potentiæ actiuæ, quæ absque motu, & operatione; at naturali sequela, suos producunt effectus, qualis est potentia actiua subiecti respectu suarum proprietatum, in via Thomistica. Hæc quò ad primum.

Quò ad secundum Scotus 4. senten. dist. duodecima, nouem arguit medijs contra conclusionem nunc propositam.

Primum. Ad finem ordinatum, quantò immediatius ad illum ordinatur tantò nobiliori modo ordinatur: at creata substantia, modo valdè nobili, ad finem ordinatur, attingendum, per suam operationem; ergo substantia creata immediatè operatur, attingendo finem.

Secundum. Si creata substantia, non immediatè operatur, sed mediante potentia, aut prouenit propter sui nobilitatem, aut propter ignobilitatem, si propter nobilitatem; ergo cum natura diuina sit longè nobilior creata substantia; natura diuina non immediatè operatur, quod est maximè falsum. Si autem propter ignobilitatem; ergo cum forma accidentalis, sit ignobilior creata substantia, forma accidentalis, non immediatè operatur; quod etiã falsum est

est &c. nam potentiæ formæ sunt accidentales, & tamen immediatè operantur.

Tertium. Substantia creata intellectualis non immediatè operatur, sed per potentiã, puta, per intellectum, & voluntatem, ergo erit beata per accidẽs, hoc autem est falsum &c. consequentia probatur, si creatura intellectualis intelligit Deum per intellectum ab eius essentia distinctum; ergo subiectum visionis Dei erit potentia intellectiua; ergo natura intellectualis est beata per accidens, hoc est per aliud, scilicet, per intellectum, sicut lignum dicitur per accidens album, quia superficies est, in qua primo albedo recipitur.

Quartum. Substantia necessario à substantia producitur, tanquam à principio quo agens agit, quocirca substantia est principium actiuum quò; sed potẽtialis est principium actiuum quo; ergo potentia est substantia.

Quintum. Secundum D. Thom. forma substantialis in qua genitum assimilatur generanti est ratio, & generandi principium; at generatiua potentia, est principium, & generandi ratio; ergo generatiua potentia est substantialis forma, in qua genitum generanti assimilatur.

Et si istis duobus argumentis tale afferatur responsum. Substantiam esse actiuum principium quo, primum, nõ autem proximum; potentiam autem esse principium, quo, proximum, ideò in assumptis propositionibus accidit æquiuocatio. Verum contra hoc responsum quatuor instatur modis.

Primò causa principalis, priùs, & immediatiùs effectum attingit, quàm causa instrumentalis, sed substantia causa est principalis, potentia autem causa instrumentalis; ergo substantia immediate, & priùs effectum attingit, & ideò substantia magis est proximũ principium, quàm potentia.

Secundo. Sicut Deus, apud Philosophos, non causat nisi causis secundis mediantibus, & tamen ipse est immediata propriæ operationis causa; ergo sic se habent substantiæ creatæ, & earum potentiæ, licet substantia non causet, nisi mediante potentia, ex consequẽti substantia creata, erit immediata propriæ operationis causa.

Tertiò. Secundum nos Thomistas potentiæ ab essentia substantiæ creatæ immediatè fluunt; ergo creata substantia est saltem principium immediatum, & proximũ huius operationis, qua proprias potentias, & proprietates producit.

Quartò. Substantia est proximum, & immediatum principium substantialis productionis; ergo &c. Antecedens ità suadetur; nam substantialis productio, aut immediatè à forma substãtia li elicitur, aut immediatè ab accidentali forma; si à forma substantiali, hoc est quod nos docemus; si autem immediatè à forma accidentali, quæritur, qua virtute, aut virtute propria, & hoc nõ; quia nullum agens vltra suam speciem agit, aut virtute substãtiæ, & hoc esse falsum quatuor demonstratur medijs. Primum, secundum nos instrumentum nõ mouet nisi motum à principali agente; ergo substantia aliquam habet propriã actionem, qua mouet accidens ad operandum, & hoc est, quod primariè intendimus. Secundum. Causa superior prius natura effectum attingit, quàm inferior, & si est naturalis, prius naturaliter agit quidquid, & quantum potest, quam inferior, quocirca in illo naturæ priori causa superior suum produxit effectum, ac per hoc causa secunda, non illum producit effectum, cum idem nõ possit bis produci; sed causa principalis, & causa instrumentalis sunt essentialiter ordinatæ tanquam superior, & inferior; ergo causa principalis prius natura effectum attingit, quam causa instrumẽtalis, & si est naturalis, agit prius naturaliter, quidquid potest & quantũ potest, quàm instrumentalis, in illoque naturæ priori causa principalis suum produxit effectum; ex consequenti causa instrumentalis illum non producit effectum;

fectum; alioquin idem bis produceretur. Tertium vbi instrumentum non se extendit, necesse est, vt principalis causa ibi pertingat per suam propriam operationem, at accidentis actio essentiam nudę materię minimè attingit, per quam actionem substantialis introducitur forma: ergo substantialis formæ introductio non fit, neque elicitur ab accidentali forma; sed à substantiali. Quartum cum asseritur, accidens in virtute substantię causare substantiã, illud nomen, in virtute, aut aliquid absolutum addit, & cum illud absolutum sit accidens, erit eadem quæstio; aut est respectiuum, & hoc non etiam; quoniã accidens ex super addito respectu, substantiam causare non potest, tùm quia illud respectiuũ esset accidens, tùm quia relatio actiuã virtutem minimè alicui conferret.

Sextum argumentũ principale. Omne absolutum prius alio absoluto distincto potest per diuinam potentiam fieri, & esse sine illo posteriori; sed essentia intellectualis substantiæ est quid absolutum, & quid prius intellectiua potentia, & secundum nos sunt duę res distinctæ; ergo per diuinam potentiam, substantiæ intellectualis creatæ essentia sine intellectu esse poterit: conclusio falsa; ergo altera pręmissarum: non maior; ergo minor, quæ est nostra positio, non ergo distinguuntur essentia & potẽtia; ergo essentia immediate realiter operationem elicit. Et si tale detur responsum; primam propositionem minimè esse veram, quando inter illa est necessaria connexio, modo autem constat inter essentiam & suas potentias necessariam esse connexionem. Sed contra (ait ipse) ex isto responso, magis sequitur intentum propter duo. Primò quia ista necessaria connexio non attenditur secundum potentiæ connexionem ad actum; cum omnis potentia sit contradictionis potentia, vt docet Aristot. nono Metaphis. tex. decimoseptimo. ex consequenti potest esse, & non esse; ex consequẽti, non est necessaria connexio potentiæ ad actum, erit ergo connexio actiuæ causę, ad suum effectum, vnde, & apud te (ait Scotus) potentiæ ab essentia fluunt; ergo substantia est immediatum principium actiuũ, quod est intentum. Secundo quia Deus omnis causæ extrinsecæ vicem supplere potest; idcircò quantumcunquè ista connexio sit necessaria, Deus vnum sine alio facere poterit.

Septimum. Angelus intelligit propriam substantiam per se ipsum; ergo Angeli essentia est proximũ intellectionis principium.

Octauum. Ex experimento. Experimur aquam calefactam à se ipsa frigi fieri; ergo propria aquæ substantia est proximum frigefactionis principium.

Nonum. Si forma substantialis non est immediatum alicuius operationis principium; ergo necesse est in substantia, poni quasdam formas accidentales, quæ sint potentiæ quibus medijs suam producat operationem; hoc autem est falsum, cum natura faciat ex paucioribus quantum pōt, non est, ponenda pluralitas sine necessitate.

Responsa dantur ad supradicta Scoti Argumenta. Cap. 28.

QVò ad tertium. Ad primum dat responsum Caprẹolus, 1. sent. d. 3. q. 3. ar. 2 ad primum contra primam conclusionem, quem sequitur Caiet. 1. p. q. 54. a. 3. ambo asserentes primã propositionem hoc modo esse intelligẽdam, ordinatũ ad finem quanto immediatius modo sibi possibili ordinetur ad finem &c. tunc negatur minor subsumẽda, scilicet, substantiam creatam immediate absquè media potentia per operationem suum finem attingere posse. Ad 2m respondet Caprẹol. vbi supra ad tertium Scoti, quem sequitur Caiet. vbi supra ambo dicentes. Tribus modis accidit aliqd esse operationis principiũ elicitiuum:

citiuum: vno modo proximum tantũ, & hoc modo esse principium maximam dicit imperfectionem; & hac de causa formis attribuitur accidentalib. Alio modo proximum, & principale simul, & hoc maximam dicit perfectionem; quoniam ponit in re tali substantiæ, & accidentis perfectionem; & hac ratione soli Deo attribuitur, tertio modo principale tantum; & hoc dicit mediam perfectionem, & propter hãc rationem omni creatæ substantiæ, attribuitur: & ideo ad argumentum dicit primo, substantiam creatam non operari immediatè, tanquam principium primum, seu principale, & proximum simul propter ignobilitatem, at negatur hoc, formæ ignobiliori, scilicet, accidentali conuenire. Secundò dicitur substantiam creatam nõ operari immediatè, vt principium proximum solum propter sui nobilitatem, sed negatur hoc, formę nobilissimæ, scilicet Deitati cõuenire; non enim operatur Deitas, vt principium proximũ solum, vt asseruimus; verum vt principium primum, & proximum simul.

Ad tertium. Dant responsionem Caprꝯolus loco citato ad secundum, & Caietan. loco vt supra quam tamen respõsionem ambo acceperunt à D. Thom. prima p. quæstio 77. ar secundo, ad tertium iuxta Caie. adnotationem eo loci. Responsio est, negatur sequela. Ad probationem negatur vltima consequẽtia; quoniam operari propria virtutè, seu potentia propria, tamquam quo nõ est operari per accidens, seu per aliud; nam operari per aliud, seu per accidens est operari per aliud, quod est realiter distinctũ & non est aliquid eius, quod operatur, modò, licet potentia sit realiter ab operante distincta, est tamen aliquid operantis; quoniam est virtus, & potentia eius propria: & ad probationem, negatur, beatitudinem ad potentiam intellectiuam, & ad ipsam substantiam intellectualem comparari sicut albedo ad ligni superficiem, & ad ipsum lignum, & diuersitatis ratio est duplex in proposito; prima quia si superficies esset separata esset alba, si autem potẽtia intellectiua separata esset, ipsa non esset beata; & ratio est, quia beatitudo est operatio vitalis; operatio autem vitalis est rei viuentis, cuiusmodi non est intellectus; quia res viuens est substantia per se subsistens: potentia autem intellectiua, si esset separata non esset substantia per se subsistens. Secunda diuersitatis ratio est, quia beatitudo nõ est nisi in beato, beatus autem est substantia intellectualis, cum itaquè potẽtia intellectiua separata non esset substantia, nequè etiã esset beata, ac per hoc, nequè beatitudinis subiectum; sicut superficies si esset separata albedinis subiectum esset.

Ad quartum Caprꝯolus 4. senten. d. 12. q. prima ad Confir. 3. Scoti contra secundam conclusionem quem sequitur Caiet. loco citato. Autumat substantiam prodoci à substantia tanquam à principio, quo principali, & remoto, quod forma est substantialis, non autem tanquam à principio proximo.

Ad quintum respondent Caiet. & Caprꝯolus vbi suprà responsione adducta ab ipso Scoto, & ad primam improbationem Caprꝯolus 4. sent. d. 12. quęst. prima articulo tertio ad primum Scoti contra secundam conclusionem, triplicem dat responsionem, quem sequitur Caieta loco citato, quò ad primas duas responsiones, & prima p. quæst. 14. art. 13. supra responsione ad primum, ad secundam Scoti obiectionem Prima responsio negatur, minor propositio, scilicet, substantiam esse causam principalem, & eius potentiam esse causam instrumentalem; & ratio negationis est; quoniam causa principalis, & instrumentalis se habent sicut duæ causæ, substantia autem, eiusquè potentia non sicut duæ causæ se habent, sed se habent, vt causa, & causæ conditio. Secunda responsio. Dato (licet non concesso) substantiam, eiusquè potentiam se habere, sicut se habent causa principalis, &

causa

causa instrumentalis: non tamen conceditur, omnē causam principalem prius effectum attingere, eius autem instrumentum coniunctum per posterius; quandoquidem ista causa, scilicet substantia, suaquè potentia in eodem instanti naturæ & temporis hæc operantur, licet substantia principaliter concurrat ad illud operari, potentia autem minus principaliter. Et ista doctrina, vera est in omnibus, quæ non sunt propriè instrumenta, licet sint causæ minus principales. Tertia responsio negatur vltima consequentia, & ratio negationis duplex est. Prima quoniam illa prioritas, de qua in argumento non est durationis prioritas, cum in vno, & eodem naturæ; & temporis instāti effectus attingatur à causa principali, & instrumentali, sed est prioritas independentiæ; quoniam causa principalis in operando à causa instrumentali minimè dependet, sed è conuerso; Secunda negationis ratio, quia illa prioritas, & immediatio non est suppositi, cum instrūm, & causa secūda immediatè immediatione suppositi, vniuersaliter loquēdo, ipsum attingat effectum: & hac de causa affirmamus nos potentiam esse principium operationis proximum, sed est prioritas, & immediatio virtutis. Ad secundum negatur sequela, quia Deus, & mediæ causæ duæ sunt causæ; essentia autem, & potentia nō sunt duæ, sed vna causa. Ad tertium negatur sequela; quoniam essentia suas produxit potentias non media actione, sed naturali sequela, iuxta D.Thom. prima p.q.77. art.7. ad 3. quem sequitur Capręolus 4. sent. dist.12.q. prima art.3. ad secundum Scoti, contra secundam conclusionem, & Caiet. vbi supra. Ad quartum respondetur à Caprçol.4. senten. distin.12. quæstio. prima art.3. ad argumentum Scoti contra secundam conclusionem, & à Caietan. loco citato, & negant antecedens; & ad improbationem dicunt, substantialem productionem, esse immediatè à forma accidentali, virtute non propria, sed virtute substantiæ. Et ad primū argumentum contra hanc veritatem respōdetur illa triplici responsione data ad quintum principale argumētum], Itidem ad secundum dupliciter. Ad tertium respondet Caprçol. primo sent. d. 3.q.3. ad vltimum Scoti contra primam conclusionem, negando accidēs instrumentum substantiæ coniunctum non posse materiæ nudæ essentiam attingere. Secundo iterum, negatur accidens virtute substantię, nudæ essentiam materię non posse attingere, licet virtute propria minimè possit. Tertio & melius dicitur argumentum unum supponere falsum, videlicet potētiam agere in materiam, hoc vtiquè falsum est; quoniam propriè loquendo, potentia non agit, sed substantia subsistens est quæ propriè agit, agitquè per formam substantialem, tanquàm per principium principale, & remotum; & per potentiam, tāquam per secundarium proximumquè principium. Quarto respondet Caie. vbi supra hoc modo. Aut est sermo de gn̄atione substātiali, pro instātanea trāsmutatione, & tunc argumentum non est ad propositum, cum instantanea mutatio, nō sit operatio, vel actio, sed actionis terminus; argumentum autem probat, & concludit, accidens non habere operationem, immediatè circa nudam materiam in substantiali generatione, quod gratis concedimus, sumendo generationem pro instantanea mutatione; si autem sermo sit, de generatione pro dispositione præuia, tunc ista præuia dispositio fit per actionem, quæ in materia nuda non recipitur, neque est in nuda materia, sed in corpore, quod alteratur. Ad quartum respondet Caprçolus 4. sent. d. 12. quæstio. prima ar. 3. in responsione ad primum secundo loco contra secundam conclusionem, quem sequitur Caietan. loco adducto, astruentes ambo cū dicitur accidens virtute substantiæ operari; hanc locutionē transitiuam esse construendam, in locutionem intransitiuam, vt sensus sit; accidens agit virtute substantiæ, hoc est accidens agit, quia substantiæ virtus

est, vt exponit D. Tho. de spiritualibus creaturis quæst. vltima ad decimum, ita scribens: forma accidentalis, quæ est principium actionis, ipsamet est virtus substantiæ agentis, non autem proceditur in infinitum, vt cuiuslibet virtutis sit alia virtus. Hæc D. Thom. Et ideò in virtute substantiæ, nihil addit supra accidens; sed solum explicatur, illud accidens non agere ex se absolutè, sed solum agere, quia est substantiæ virtus absquè aliquo alio addito, quod etiam adnotauit Caiet. 1. p. q. 77. ar. 1. in respō. ad tertium.

Ad sextum principale bifariam respondetur. Primo à Caprẹo. primo sen ten. dist. 3. quæstio. 3. ad tertium Adam contra primam conclusionem, & ad decimum ipsius Adam contra secundam conclusionem, & à Caieta. loco citato, concedentibus Deum non posse intellectum ab essentia substantiæ intellectualis separare, quocirca, vniuersaliter primam negant propositionem, cum etiam apud Scotum; totum à suis partibus simul vnitis reipsa semoueatur, & tamen non potest à suis partibus separari; pari passu intellectus, propriæquè passiones per diuinam potentiam à subiecto proprio propter necessariam connexionem minimè separari possunt. Et ad primam improbationem dicitur primò illam esse connexionem potentię purè receptiuę proprijquè actus: & ad propositionem Arist superius fuit responsum. Secundo astruitur, Deum posse vicem causę actiuę propriè, quæ media operatione agit, supplere, cuiusmodi non est substantia, respectu propriæ actionis, non autem posse vicem causæ actiuę impropriè, quæ absquè media operatione agit, supplere. Ad secundam improbationem dicitur; vt ad primam. Secundò respondetur ad mentem Ferrar. quarto contra gen. cap. 65. asserentis, Deum posse subiectum à suis proprietatibus seiungere (quod iudicio nostro verum est) vt postea demonstrabimus, & ideò primo negamus primam propositionem, secundo imus inficias conclusionem esse falsam, immo asserimus Deum posse per suam omnipotentiam separare essentiam substantiæ intellectualis creatę ab intellectu, sicut humanitatem Christi à proprio esse existentiæ separauit, cum nec in hoc, nec in illo vlla inuoluatur contradictio.

Ad septimum negatur consequentia; quoniam Angelus suam intelligit essentiam per ipsammet, tanquàm per medium; eliciendo tamen intellectionem, per potētiam, tanquam per principium proximum.

Ad octauum respondet Caprẹolus, quarto senten. dist. 12. q. prima arti. 3. ad secundum Scoti contra secundam conclusionem, quasi in fine, quem sequitur Caieta. loco citato, negando, aquam calefactam à se ipsa frigefieri; quoniam frigefit per se à generante, & à forma propria per modum naturalis sequelę, eo modo, quo grauę grauitando frangit prohibens, & deorsum mouetur; quocirca sicut ad grauis formam, extra suū locum geniti, motus deorsum naturaliter sequeretur, nisi aliquid prohiberet, ità ad aquæ formam sequitur esse frigidum, in tanta perfectione, nisi à calido prohiberetur: Itidem sicut grauitando vincit, quandoquè prohibens, ità frigidū frigefaciēdo, vincit calidum prohibens, & sicut motus deorsum sequitur ipsum graue mediante grauitate, ità frigefactio aquam sequitur mediante aliqua frigiditate, à qua non est denudabilis.

Ad nonum negatur cōsequentis falsitas; quoniam hac necessitate illa ponūtur accidentia, quæ sunt potentiæ in substantia creata, vt in quolibet genere detur propria potentia, propriusquè actus, quæ sunt illius generis principia, iuxta Aristotel. duodecimo Metaphisi. text. vigesimosexto, & vigesimooctauo.

Nos

Nec intellectus agens, nec possibilis dantur in substantijs separatis ad aures Aristotelis.

Cap. 29.

CIrca hanc conclusionem tria agẽda sunt. Primò ostendendum est, non dari intellectum agentem in substãtijs abstractis, secundum Aris. sententiam. Secundò demonstrandũ est nõ dari possibilem intellectum secundum eius mentem. Tertiò obiectis satisfaciẽdum est:

Quò ad primum ponitur talis cõclusio secundum Aristo. In intelligentijs intellectus agens minimè ponendus est. Hæc conclusio duab. rationib. ab Arist. desumptis, demonstranda est. Prima rõ fundatur super duob. fundamẽtis Aris. Primũ est, secũdũ Aris. 3. de anima tex. 15 & 18. hac necessitate in substantia intellectuali intellectus agẽs ponendus est, vt obiectum, intellectus proprium, intelligentis substantiæ de potentia intelligibile reducat ad actum in esse intelligibili, & Aris. verba hanc necessitatẽ explicantis ista sunt. *Ille vero in omnia facere sicut habitus quidam, & sicut lumen, quodam enim modo, & lumen facit ex potentia colores actu colores:* quę verba sic exponunť à Comm. 3 de Anima Comm. 4. 15. & 18. & à D. Tho. eò loci, & 1. p q. 79 art. 3. quem omnes sequuntur Thomistæ, vt patet ex Caieta. vbi supra.

Secundum fundamentum est. Obiectum intellectus proprium substantiæ separatæ est omninò intelligibile secũdum Aris. doctrinam. Hocquè ità demonstratur; secundum Aris. 2. de Anima tex. 33. obiectum debet esse proportionatum potentiæ cũ potẽtię per actus distinguantur, & actus per obiecta: hãcquè propositionẽ docet D. Thom. 1. p. q. 80. ar. 2. & q. 84. ar. 7. sed separatæ substãtiæ sunt omnino à materia abstractæ, secundum Aris. vt demonstratum fuit supra cap. 12. ergo proprium substantiæ separatæ obiectum est omnino à materia separatum; at secundum Aristo. 3. de Anima tex. 11. res sic se habent ad esse intelligibile, sicut se habent ad esse à materia separabile; ergo proprium intellectus substantiæ separatæ obiectum, secundum Aristotel. actu intelligibile est.

Ex istis fundamentis prima conficitur ratio; datur intellectus agens in substantia intellectuali secundum Aris. vt proprium obiectum, quod prius erat intelligibile in potentia ad esse intelligibile actu reducat, vt patet ex primo fundamẽto; at (vt conspicuũ est, ex secũdo fundamento) propriũ substantiæ separatæ obiectum, secundum Aristo. est intelligibile actu; ergo in substantijs separatis intellectus agens minimè ponendus est.

Secunda ratio pari passu super duob. fundatur fundamentis. Primum est, substantię separatę, vel nõ sunt corporũ formæ, vt contestantur sustinentes Cœlum nõ esse anima informãte animatũ ad mentem Aris. vel si sunt corporũ formæ; vt asserunt defendentes, secundum Arist. doctrinam, Cœlum esse animatũ aĩa informante, & dante esse; illud corpus non habet in se potẽtias sensitiuas, ac per hoc non habet in se, phantasmata, quia illud corpus Cęlum esset, qđ est omnino simplex vt patet in libris de Cęlo; organicum autẽ corpus, est corpus diuisas habens complexiones, diuersasq; organa 2. de Anima.

Secundũ fundamentum est. In substãtia intellectiua, intellectus agens ponitur, vt Phantasmata illustret, quod ostẽditur esse ad mentem Arist. appellantis. 3. de Anima tex. 18. Intellectum agentẽ habitum, & lumen, intelligibilia in potentia illustrans, sicut lumen corporeum colores illustrat; at secundum ipsum met text. 30. eiusdem libri, intelligibilia ista in potentia sunt ista Phantasmata; idcirco ita ait. *Intellectiuę autem animæ Phantasmata, sunt sensibilia;* Sensibilia autem sunt in potentia intelligibilia; qua de re, ad mentem Aristotel.

ponitur intellectus agens in substantia intellectiua, vt ipsa illustret Phantasmata.

Ex istis fundamẽtis secunda ratio ità formatur. Intellectus agens ponitur in substantia intellectiua, vt Phantasmata illustret, vt compertum est ex secundo fundamento ad mentem Arist. sed in substantijs separatis, vt notũ est ex secũdo fundamẽto, nõ reperiuntur Phantasmata ad actus ipsius; ergo in substantijs separatis &c. Hæc quò ad primum.

Quò ad secundum talis conclusio ponitur Ad mẽtem Aris. in substantijs separatis intellectus possibilis minimè datur. Quæ conclusio vnica ratione ex duob. Aristot. fundamentis colligitur.

Primum fundamentum, tale est. Necessitas ponendi in nobis intellectũ possibilem est; qm̃ nos quãquè intelligentes in potentia pura, & non in actu inuenimur, vt patet i pueris, quapropter oportet esse, quandam virtutem, quæ sit in potentia ad intelligibilia, ante ipsum intelligere; quæ cum sit sciens, & vlterius cum sit considerans in ipsorum intelligibilium actum reducitur: hæcquè virtus intellectus possibilis vocitatur, & hoc fundamentum est apertè Arist. 3. de Anima tex. 2. 4. 5. 6. & declaratur à D. Tho. 1. p. q. 54. ar. 4.

Secundum fundamentum est. Substãtiæ separatæ ad mentẽ Aris. respectu eorũ quę naturaliter cognoscunt, nõ sunt intelligentes in pura potentia, sed in habitu oĩa naturalia cognoscũt. Hoc fundamẽtum pro nunc supponendum est; nam infrà apertè demõstrabitur. Ex his duob. fundamẽtis ità conclusio suadet; Intellectus possibilis ponitur propter duplicem potentiam ad duplicem actũ, scilicet ad actum primum, & secũdum, vt ex primo fundamento manifestũ est; sed in substantijs separatis non dat potẽtia intellectiua ad primum actum; quoniam est suo actui coæua, vt ex secundo patet fundamento; ergo in substantijs separatis nequaquam intellectus possibilis datur. Hæc quò ad secundum.

Quò ad tertiũ principale. Contra prædatas cõclusiones duo sunt argumẽta ex Aris. sumpta, & quatuor Scoti &c. quorum primum tale est.

Primum argumentum. Secundũ Aristo. 3. de Anima tex. 15. sicut in omni natura est aliquid, omnia fieri, & aliquid, quo est omnia facere, ità & in anima: sed substantia separata est natura quędam; ergo in substantia separata est aliquid, quo est omnia fieri, & aliquid quo est omnia facere; sed intellectus possibilis est id, quo est omnia fieri, & intellectus agens est id, quo est omnia facere secundum Aristote. vt declarat in text. 18 ergo &c.

Respondetur bifariam, primo à Diu. Tho. 1. p. q. 54. a. 4. ad primũ contestante, Arist. intelligere agens, & patiens in oĩ reperiri natura, in qua generari, vel fieri contingit: non autẽ in omni natura absolutè; & hoc ex eius verbis manifestũ est; nam naturam intellectus agentis explicans, qui appellatur agens, affirmat, esse omnia facere, & exponens intellectus possibilis naturam, qui appellatur potentia inquit, ipsum esse omnia fieri; modo autem, vt inferius demonstrabitur in substantia separata non generatur scientia, sed est connaturalis. Secundo respondetur à Caiet. 3. de Anima cap. 2. quasi in principio, propositionẽ Arist. veram esse de natura quæ pura est potentia, & ad primum actum reducenda, constituendaquè in esse actuali; modo in sequentib. ostendetur intellectum substantiæ separatæ esse in actu primo.

Secundum argumentum. Recipere est intellectus possibilis proprium, illuminare autem est proprium intellectus agentis, vt docet Aris. 3. de Anima tex. 18. & ideo possibilis intellectus nuncupatur potentia, cuius proprium est recipere, intellectus verò agens vocatur lumẽ, cuius proprium est illuminare; sed substantia separata illuminationem à superiori recipit, inferioremquè illuminat; ergo in ea est intellectus agens, & possibilis. Respondet D. Tho. vbi supra.

De

De ratione intellectus agentis esse quidem illuminare, verùm non illuminare intelligentem, sed intelligibilia in potẽtia in actu ea reducendo, dũ intelligibilia abstrahit ab ipsis Phantasmatib. qđ non euenit in substantijs separatis, cum iam probatũ sit suũ obiectũ esse actu intelligibile; ad intellectum autẽ possibilem pertinet esse in potentia respectu naturaliũ cognoscibiliũ, & qñquẽ in actu fieri; qua de re, quando vna substantia separata aliam illuminat, ad intellectus agentis rationem minimè pertinet, neque ad rationem intellectus possibilis spectat ab alio illuminari, quocirca, argumentum in æquiuoco laborat.

Deinde Scotus 2. sent. d. 3. q. vlt. quatuor adducit argumenta.

Primum Scoti argumentũ probat in substantijs separatis intellectũ possibilẽ dari. Minimè discrepat an potentia receptiua actum receptum duratione antecedat, an tm̃ natura; propter q̃ discrepantiam nos ponimus, intellectum substantiæ separatæ, à nr̃o possibili semoueri, at in substãtijs separatis est potẽtia intelligibiliũ specierũ receptiua: ergo in eis est intellectus possibilis. Et cõfirmat, qa si Deus dedisset homini species intelligibiles, vt patet in Christo, & in Adã, adhuc homo intellectum haberet possibilem. Primo r̃ndet Capręolus 2. sent. d. 3. q. 2. ad primum Scoti con. 3. conclusionem, & admittit assumptum, nil differre, an potentia receptiua actum receptum duratione præcedat, an natura tãtũ; & ideo potentia suo actui coeua non differt à potentia quæ est prior duratione, suo actu; verum potentia receptiua, quę naturaliter indifferenter ad actus oppositos se habet differt à potentia, quę ex natura sua est ad aliquem actum determinata, ità aũt se habent noster intellectus possibilis, & substãtię separatę intellectus; nã intellectus noster, licet ex Dei potentia suo actui esset coeuus, vt patet in Christo & Adam, tamen ex natura sua indifferenter se habet ad suum actum, intellectus aũt separatus ex natura sua suo actui semper coniunctus est, qm̃ vt docet D. Tho. 1. p. q. 64. art. 2. cognitio speculatiua, quę est per species intelligibilis separatæ substantiæ naturam cõsequitur; qua de re intellectus noster possibilis ab intellectu separato seiũgitur; quocirca intellectus possibilis in separatis minimè reperitur nisi ęquiuocè; Idcircò formaliter respondẽdo negatur consequentia, & per hæc asserta, & declarata, respõsio ad cõfirmationẽ nota est. Secundo respondet Caieta. 1. p. q. 54. ar. 4. asserens potentiam receptiuam in duplici esse discrimine. Quædam est potentia receptiua suæ perfectioni per se coeua, quia sua perfectio ex natura sua ab ea inseparabilis est, veluti figura respectu Cœli, & talis potentia receptiua nõ potest vocitari possibilis, vt docet Aris. 9. Met. tex. 15. quo in loco, Arist. licet cõcedat Cœlum esse potentiam suæ figurę receptiuam, negat tamen Cęlum respectu suæ figuræ potentiam esse; quoniam nunquam est, vel fuit in potentię statu, & talis potentia est in substantijs separatis. Quædam verò est potentia quæ est suo actui per accidens coeua, cum ex sua natura sit à suo actu separabilis, attamen per aliud, hoc est, ex Dei potentia potest semper talis potẽtia sub suo actu esse; & talis potentia receptiua suo actui per accidens coeua potest inueniri in homine, quemadmodum de facto in Christo, & Adam fuit; & tali modo Scoti obiectiones procedunt, & ideò nil valent: quoniam inter per se, & per accidens minimè distinguunt; vnde ad argumentum negatur assumptum, per se loquendo; & ad confirmationem asseritur fuisse per accidens. species intelligibiles intellectui possibili in Christo, & in Adam extitisse coeuas.

Secundum Scoti argumentum. Obiectum separati intellectus adęquatum, (quod quidem obiectum in actu intelligibili est) vel est res quędã singularis, vel vniuersalis, non quidem singularis, qm̃ nulla res singularis virtute oĩa continet, quæ à substantia separata sunt cognoscibilia; ergo est aliqua ratio vniuer

salis per prædicationem, ad oĩa à substãtia separata cognoscibilia, quæ rõ est obiectũ adęquatum intellectus substantiæ intelligibilis; sed intelligibilia à substãtia separata sunt, non solum immaterialia, sed etiam sensibilia, quę sunt in potentia intelligibilia: ergo obiectũ primũ & adæquatũ separati intellectus est qđdam vniuersale per prędicationẽ ad oĩa immaterialia, & ad oĩa sensibilia in potentia intelligibilia; at intelligibilia in potentia fiunt in actu intelligibilia per abstractionem à lumine intellectus agẽtis factã: ergo in substantijs separatis intellectus agens cõcedendus est. Ad hoc argumentum datur duplex responsum, & primum est; negatur, sensibilia, quę in in potentia intelligibilia sunt, fieri intelligibilia in actu respectu intellectus substantiæ separatæ, per abstractionem à lumine intellectus agẽtis factam ab ipsis sensibilib. sed sensibilia sunt apud intellectum substantiæ separatę actu intelligibilia, hac ratione, quia species omniũ naturalium sunt ipsis substantijs separatis inditæ, quapropter non est necesse ponere in eis aliquod agens propter illustrationem. Secundũ responsum, negatur, rem singularem non esse primum, & adæquatum obiectũ intellectus substantiæ separatæ; quoniã propria cuiuscunquè substantiæ separatæ essentia est primum, & adęquatum obiectum separati intellectus in ratione naturalis motiui; propria autem cuiuscunquè substãtiæ separatæ essentia est res singularis in essendo. Et ad improbationem asserimus primo, non esse necessarium obiectum adæquatũ omnia virtute absolutè continere; verùm satis esse continere oĩa naturaliter cognoscibilia secũdũ conditiones naturaliter cognoscibiles. Secũdò affirmamus, oĩa naturaliter cognoscibilia virtualiter repræsentatiuè in essentia substãtiæ cõpositæ contineri, cùm superiora repræsentatiuè in essentia contineantur, vt causæ continent in effectib inferiora verò vt effectus in causa. Tertio autumamus, cuiuscunq; substantiæ separatę essentiã species repræsentatiuas, tàm superiores, quàm inferiores continere, licet non eorum naturas, & hoc etiam sufficit; quoniam proprium est diuini intellectus suo obiecto cõtinere cognitiones, omniumquè naturas, alia autem obiecta, satis est, cognitiones continere.

Tertiũ Scoti argumentum. Potentia actiua, quæ est perfectionis in natura inferiori non est à superiori natura deneganda, sed intellectus agens est huiusmodi; ergo &cæt. Respondetur primam propositionem intelligendam esse de perfectionibus simpliciter, tunc negatur secunda propositio subsumenda, scilicet intellectus agẽs est perfectio simpliciter, quia intellectus agẽs est perfectio solùmodo in natura in gñe intellectualiũ imperfectissima: quoniã ad aĩæ humanæ perfectionẽ pertinet; quatenus est sicut tabula rasa, & pura potentia in genere intelligibilium, quod in genere intelligibilium summã dicit imperfectionem.

Quartum Scoti argumentum. Natura nobilissima illas virtutes qb. suã perfectionẽ, si ea careret adipisci posset, debet habere; sed natura substantiæ separatæ est perfectissima; ergo intellectum agentem, & possibilem habere debet, quib. suam cognitionem acquirere possit, si eã minimè haberet. Negat' prima propositio vniuersaliter; qm̃ nõ est vera, nisi in his, quib. naturaliter carere põt, & in naturalib. nã si illa propositio vniuersaliter vera esset, oporteret intellectũ agentẽ, & possibilẽ, etiã in Deo ponere.

In substantijs separatis solùm cognitio intellectiua secũdũ Arist. sentiam reperitur. Cap. 30.

NVnc inuestigandũ est, an in substantijs separatis, secũdũ Aris. sententiã solùmodo intellectiua cognitio inueniatur.

Circa quam difficultatem duo agenda sunt. Primò respondendum est difficultati. Secundò obiectis occurrẽdũ est.

Quò ad primũ. Rñdetur tali conclusione. Ad mentẽ Arist. In substantijs separatis

paratis est sola itellectiua cognitio. Quę cóclusio quadruplici ostéditur róne.

Prima ratio. Cognitio sensitiua fit p organum corporale; at in separatis substantijs organum corporale nequaquā reperitur; ergo &c. Maior est Arist. in libris de anima, vbiquè locorum; & præcipuè secūdo lib. tex. 7. vbi diffinitur animā esse actum corporis physici, organici, & tex. 122. 123. Minor autem ità ad mentem Arist. suadetur. Organum secūdum Arist. secundo de anima text. 123. corruptibile est, & ideò eo loci astruit excellentias sensibilium hęc organa sensitiua corrumpere secundum omnium interpretationem: at in substantijs separatis, secundum Aristo. corruptibile organum minimè inuenitur; quoniam secundum ipsum corpus substantiæ separatæ coniunctum cœleste, corpus est, cui corpori substantia separata vnitur, vel vt forma, vel vt motor, & ideò 12. meth. text. 43. conclusit, substantias separatas ipsis cœlestibus corporibus coniūctas, esse, & tot esse substātias separatas, quot sunt corpora cœlestia; idcircò in substātijs separatis organum corporeum minimè reperitur, cum corpora cœlestia, vt demonstrat Arist. primo de cœlo tex. 20. & seqq. omninò sint incorruptibilia.

Secunda ratio. Vbicunquè est sensitiua cognitio ibi potest esse corruptio secundum Aris. secūdo de anima tex. 143. & ideò ibi concludit excellens sensibile sensum corrumpere; sed in substantijs separatis nihil corruptibilitatis esse potest, vt docet Aris. 12.° meth. tex. 41.

Tertia ratio. Sensitiua cognitio, (vt nunc assertum est ad mentem Arist.) per organum exercetur corporale; & ideò sensus est actus corporis, virtusquè in corpore, vt asserit Arist. secundo de anima tex. 122. At substantiæ intellectuales sunt omninò à corporibus separatę, nulloquè modo sunt virtutes in corpore, minimèquè sunt corporis actus, vt docetur 12. meth. tex. 41. 42. 43. ergo, &c.

Quarta ratio. Illud quod est cognoscitiuum sensitiua cognitione non est separatum a sensibilibus, vt docet Aristo. secundo de anima per totum librum, & secundum Arist. 12. meth. tex. 41 substātiæ intellectuales sunt à sensibilibus separatæ, vbi ità cōtestatur; *Quod quidem ergo est substantia, alia sempiterna, & immobilis, separata à sensibilibus manifestum est ex his*, ergo ad mentem Arist. in substantijs intellectualibus sensitiua cognitio minimè reperitur, erit itàquè in his substantijs sola cognitio intellectiua.

Quò ad secundum Arist. secundo poste. tex. 27. docet, sensum esse singulariū; rationem autem, vel intellectum esse vniuersalium, sed substantiæ separatæ (vt inferius demostrabitur) singularia cognoscunt; ergo in ipsis est sensus. Respōdetur de mente D. Th. 1. p. q. 57. ar. 2. ad secundum: Arist. sermonem habere de nostro intellectu, qui res non intelligit nisi per abstractionem à materialib. cōditionibus, & per huiusmodi abstractionem fit vniuersale: iste autem cognoscēdi modus (vt inferius explicabitur) separatis substantijs minimè conuenit, qua de re non est eadem ratio de intellectu nostro, & de intellectu substantiarum, separatarum: substantiæ enim separatæ, vt posteà dicemus per intellectum singularia, sicut, & vniuersalia cognoscunt.

DE MEDIO COGNITIONIS SUBSTANTIĘ SEPARATĘ.

Substantiam separatam non intelligere omnia per essentiā suam, sed per superadditas similitudines demostratur ad mentem Aristot. *Cap.* 31.

HOc loci disputādū est, an substātia separata suā p essentiā ītelligat oīa Circa hāc controuersiā tria agēda sūt Primò sēsus difficultatis exponēdus ē. Secūdò difficultati est respōdendū. Tertiò argumentis satisfaciendum est.

Quò

Quò ad primum. Cõsiderandum primò est, hoc verbum intelligere, modò sumi, pro distincta cognitione. Secúdo notandum est, hoc nomen, omnia, accipi, ut distribuit pro omnibus, ac rerum prædicatis, & conditionibus à substãtia separata naturaliter cognoscibilibus. Tertiò aduertendum est, hãc dictionẽ, per, denotare causæ formalis habitudinẽ eo pacto, quo affirmamus, rationem intelligendi ad intellectionem formaliter concurrere. Quartò speculandum est, hoc nomen, suam essentiam, esse intelligendum cum præcisione, hoc est, solam, vt sensus quæsiti sit, an substantia separata omnia, per solam essentiam suam intelligat, & hoc ad excludendum species intelligibiles, superioresquè substãtias; quapropter totius controuersię sensus est: An essentia substantiæ separatæ sola sit sufficiens ratio intelligendi omnia naturaliter cognoscibilia ab ipsa substantia separata, quò ad omnes rerum conditiones, earumquè prædicata. hæc de primo.

Quò ad secundum. Respondetur tali conclusione substantia separata nõ intelligit omnia per suam essentiam, sed per additas similitudines.

Ista conclusio ex duobus fundamentis demostratur. Primum fundamentũ. Essentia substantiæ separatæ se habet vt forma respectu suæ intellectiuæ potentiæ, minimèquè complerè omnia continet, hoc est, secundum conditiones, vel formaliter, vt genus formaliter in specie cõtinetur: vel virtualiter, vt omnes creaturæ in creatoris potentia, quæ ipsa substantia separata intelligere potest. Hoc fundamentum duas habet partes, prima est. Essentia substantiæ separatæ respectu suæ potentiè intellectiuæ, se habet, vt forma, quæ ità suadetur. Forma est id, quo agens agit; sed substantiæ separatæ essentia est id, quo substantia separata intelligit; ergo substantię separatæ essentia respectu suæ intellectiuę potentiæ se habet vt forma. Prima propositio est Arist. tertio phisic. text. decimoseptimo. Secunda autem propositio ad mentem ipsius probabitur infrà, agentes de medio, quo substantię separatę intelligunt. Secunda pars est Essentia substantię separatę completè omnia minimè continet &c. Hęc pars ità demostratur; obiectum cuiuscunquè intellectus est ens, et verum vniuersaliter; sed essentia substãtiæ separatę nõ continet oẽ ens, & verũ vniuersaliter; ergo essentia &c. Maior est Arist. tertio de anima text. 26. & secundo meth. text. quarto, & 6. metha. tex. vltimo. Minor autem fuit demostrata superius de mente Arist. capit. 21. 22. & 23. nam ibi determinatum est, ad mẽtem Arist. essentiam substãtię separatę esse finitam, & esse in determinato genere, in determinataque specie: at quod finitum est, & in determinata specie nequaquam complerè omnia continet, licet incompletè omnia continere possit.

Secundum fundamentum forma minimè aliquam perficit potentiam complerè, & perfectè, nisi omnia, ad quę se extendit illa potentia perfectè cõtineat. Hoc fundamentum colligitur ex primo phisic. tex. 81. vbi docetur materiam appetere formam propter indigentiam, ex quò manifestè colligit, si forma actuat materiam perfectè, & completè, tunc ipsa materia perfecta est quoad omnia, ad quę materiæ potentia se extendit, & tũc materia aliam non appetet formam, vt clarè videre est in cælo, vbi quia cœli forma continet omnia, ad quæ potẽtia materię cœli se extendit, idcirco, cœli forma completè potentiam materię cœli perficit. Quoniam autem nulla horum inferiorum forma completè omnia continet, ad quę horum inferiorum materia se extendit: idcircò nulla istarũ formarum completè perficit potentiam materię horum inferiorum.

Ex his fundamentis talis conficitur ratio, pro conclusione. Forma quæcunqꝫ sit illa minimè completè, aliquam perficit potentiam, nisi omnia, ad quę illa potentia se extendit perfectè contineat; sed substantię separatę essentia se habet tamquàm forma respectu sui intellectus

&

& non omnia complete continet, quæ potest substantia separata intelligere; ergo substãtię separatę essentia nequaquã est forma intellectiuę substantię separatę adęquata, vt per ipsam possit omnia intelligere, ad quę potentia intellectiua se extendit: ergo necesse est, vt intelligat vltra suã essentiam, et per species, suo intellectui additas. Prima propositio ex secundo nota est fundamento. Secunda ex primo. Consequentia autem subsumpta conspicua est ex eo, quoniam si separata substãtia nõ potest omnia per essentiam suam intelligere, ad quę sua potentia intellectiua se extendit, necesse est, vt intelligat ea, quę per essentiam suam minimè intelligere potest, per species intelligibiles ipsi essentię superadditas, cum intellectio fiat, vel per speciẽ, vel per essentiam.

Quò ad tertium. Primò ità arguitur secundum Arist. tertio de anima tex. 15. In his, quę sunt sine materia idem est intellectus, & id quod intelligitur, sed id quod intelligitur, est idem intelligenti, ratione eius, quo intelligitur: ergo in his, quæ sunt sine materia, sicuti sunt substantię separatę, id, quod intelligitur est ipsa essentia intelligentis. Respondet D. Th. 1. p. q. 55. ar. primo, ad secũdum. Quemadmodum sensus in actu est sensibile in actu, vt docet Arist. secundo de aĩa, nõ quia ipsa vis sensitiua, sit ipsa sensibilis similitudo, quę est in sensu, sed quia ex vi sensitiua, & similitudine rei sensibilis, fit vnum, sicut ex actu, & potentia, ità & intellectus in actu dicitur esse ipsum intellectum in actu, non quia substantia intellectus sit ipsa similitudo, per quam intelligit; sed quoniã illa similitudo est eius forma; & hoc voluit docere Arist. quando dixit, in his quę sunt sine materia idẽ est intellectus & quod intelligitur, sensus enim illorum verborum est: Intellectus in actu est intellectum in actu mediante tamen similitudine rei intelligibilis, ex qua fit vnũ, vnde vis intellectualis non est realiter res intellecta, seu id quod intelligitur, & quoniam similitudo est intelligibilis, quia est immaterialis: idcircò contestatus est, In his quę sunt sine materia idem est intellectus, & quod intelligitur.

Secundò ità arguitur. Omne, quod est in altero, est in eo per eius modum, qa vnumquodquè recipitur per recipiẽtis modum; sed substantia separata naturam habet intellectualem; ergo quidqd est in ea per modum intelligibilem in ea est, at omnia sunt in ea; quoniam inferiora in entibus sunt essentialiter in superioribus: superiora verò sunt per participationem in inferioribus; ergo substãtia separata in sua essẽtia omnia cognoscit. Respondetur omnia, quę sunt infrà separatam substantiam, & quę sunt supra ipsam esse aliquo modo in eius essẽtia, non tamen perfectè, neq; è secundũ propriam rationem, cum essentia substãtię separatę finita existat, distincta què sit secundum propriam rationem ab alijs. Modo autem ad hoc, vt aliquid sit propria aliquorum cognoscendi ratio, necesse est, vt illa omnia in ea perfectè secundum propriam rationem sint, quẽadmodũ hoc modo omnia sunt in Dei essentia, & ideo Dei essentia est ipsi Deo ratio cognoscendi omnia cognoscẽda: in essentia autem substantię separatę omnia, secundum quandam communẽ rationem continentur: idcircò substantia separata per suam essentiam omnia imperfectè secundum communem rationem cognoscit.

Cõtra hãc respõsionẽ ità arguitur, suadẽdo oĩa pfectè contineri sm esse intelligibile, in substãtię separatæ essẽtia. Ex essentia substantię separatę profluunt species intelligibiles omnium creaturarũ representatiuę, sicut propriè passiones, vt multi Thomistarum substinent, at nihil propria in passione continetur, quod non eminenter in proprię passionis essentia, seu substantia contineatur: ergo essentia substantię separatę in sua eminenti virtute, secundum esse intelligibile, seu representatiuo, omnes continet creaturas, ideò sicut per species intelli-

telligibiles, substantia separata, omnia creata distinctè cognoscit, ità suam per essentiam omnia perfectè cognoscere potest. Et confirmatur huiusmodi ratio. Dei essentia, quoniam est forma continens eminenter in esse intelligibili omnes creaturas possibiles: idcircò est forma adęquata diuini intellectus ad omnia cognoscenda, qua de re, si substãtię separatæ essentia omnes creaturas in esse intelligibili eminenter continet, erit adæquata intellectus substantię separatæ forma. Respondetur ex Caietani doctrina, 1.p.q. quinquagesimaquinta, art. primo, in tertio notato, negando secundam consequentiam; quoniam species intelligibiles, (licet sint proprietates ab essentia substantiæ separatæ profluẽtes) aliquid addunt positiuum in representando, quod in eius essentia minimè cõtinetur cum sit finita. Ad confirmationem autem negatur consequentia, quoniam in Deo res omnes secundum omnes conditiones continentur, cum diuina essentia infinita sit. In creatura autẽ (quæcunquè sit illa) secundum omnes suas conditiones minimè continentur cum sit finita. Alij Thomistæ loco citato ità respondent, asserentes, licet quid quid eminenter cõtineatur in speciebus intelligibilib in essentia à qua emanant contineatur, non tamen, quidquid formaliter in illis speciebus continetur in ipsa essentia formaliter continetur, & ideò vltima consequentia minimè valet, sicut p species intelligibiles omnia distinctè cognoscuntur, ità etiam per essentiam, quandoquidem formaliter species omnia representant, non omnia autem representat ipsa essentia creata. Ad confirmationem negatur antecedẽs absolutè, tanquàm deficiens, qm̃ diuina essentia, nõ est adæquata forma diuini intellectus, quia eminenter continet omnia præcisè, sed ẽt quia formaliter, (eminenter tamen) omnia continet perfectè, & formaliter omnia representat, & ideò est species omnium intelligibilis, & formalis.

Species per quas substantiæ separatæ intelligunt non sunt à rebus acceptæ, sed eis connaturales sunt ad mentem Aristot. Cap. 32.

NVnc agitãda est ista cõtrouersia, an ad mentem Arist. substantia separata per species à rebus acceptas intelligat, an per species connaturales. Circa hanc difficultatem duo agenda sunt. Primò respondendum est difficultati. Secundò obiectis occurrendum est.

Quoad primum, tali conclusione respondetur. Species per quas substantiæ separatæ intelligunt non sunt à rebus sensibilibus acceptæ; sed eis sunt connaturales: quæ conclusio quatuor demonstratur rationib.

Prima ratio. Proprio agenti necessario patiens respondet determinatum, adeò, vt sit necesse, agens & patiens esse vnius generis secundum Aristo. quoniam secundum ipsum actus, & potentia diuidunt quodlibet entis genus. hæc propositio est Aristo. vt abundè fuit demostratum suprà cap. 24. ad ipsius mentem: sed secundũ ipsummet Arist quinto meth tex. 10 & 10. meth. tex. 12 res intelligibiles, seu immateriales, & res materiales diuersorum sunt generum; ergo res materiales non possunt immediatè agere in intellectum (cum sit immaterialis) in ipsum speciem producendo intelligibilem: ergo si res materiales, vel sensibiles agunt, necesse est, vt primò, et immediatè in sensitiuas agant potentias cum istę sensitiuę potentię sint corporũ actus; ergo intellectus substantiæ separatæ, à sensibilibus minimè potest mediatè pati; ergo talis intellectus ab ipsis sensibilibus minimè potest immediatè species intelligibiles recipere; ista cõsequẽtia suadetur: quoniam speciem intelligibilem ab aliquo obiecto recipere, nil aliud est, nisi quoddam pati ab obiecto, iuxta Aristot. tertio de anima textu 12.

ergo

ergo si substantiæ separatæ intellectus, à sensibilibus intelligibiles recipit species, vt noster intellectus facit, necesse est, vt eas medijs potentijs sensitiuis accipiat: sed substantia separata potentias sensitiuas nequaquã habet, vt demõstratum fuit suprà cap. 29. ad mentem Arist. ergo substãtia separata species p quas intelligit, à sensibilib. reb. minimè accipit, hanc rõnem tãgit D. Th. de ver. q. 8. ar. 9.

Secunda ratio. Docet Aristo. secundo de anima tex. 74. sensum non posse à sensibilibus speciem recipere, nisi medium concurrat, & huius rationem necessitatis, interpretes ipsius Arist. assignant, vt uidere est in Commentatore de sensu, & sensato, & in D. Th. 1. p. q. 55. ar. secundo, ad secundum, & in Caiet. eo loci, & secundo de Anima cap. 6. conclusione quinta, & sexta; quia natura non progreditur de extremo ad extremum sine medio, & hunc esse naturalem ordinem, quocirca naturaliter sensibilis forma habens in obiecto esse omnino materiale, non potest statim multiplicari secundũ quemcumq; spiritualitatis gradum; verum oportet gradatim primò primum spiritualitatis gradum ascendere: secundò secundum: tertiò tertium: quartò quartũ, & ita deĩceps. Et primus spiritualitatis gradus est quem habet in medio extrinseco, puta in aere, vel aqua: secundus est quem habet in sensu exteriori: tertius est quem obtinet in sensu interiori communi: quartus quem in phãtasia obtinet, scilicet est quem obtinet in intellectu, & hic fit status; ex quibus hęc colligitur propositio ad mentem Arist. formam sensibilem (quæ est vnum extremum) non posse transire ad esse intelligibilem formam (quod est aliud extremum) nisi transeat per sensus exteriores, & interiores: sed vt probatum fuit capite 29. in substantijs separatis non sunt aliquo modo sensus: ergo intelligibiles species, per quas substãtia separata intelligit, nõ sunt à rebus acceptæ. hęc ratio exponitur à D. Th. q. de aĩa ar. 10.

Tertia ratio. Hac de causa intellectus aliquis species accipit per quas intelligit à sensibilibus, quia proprium obiectum est in sensibilibus, & in potentia, & hanc causam docuit Aristot. tertio de anima tex. 15. vbi docuit, dare intellectũ agentem vt faciat intelligibilia in potentia (quę sunt ipsa sensibilia) intelligibilia in actu at secundũ ipsũ Arist. proprium substantiæ separatæ obiectum est à sensibilib. separatum, actuquè intelligibile, vt demostratum fuit supra de mente Arist. cap. 28. in secundo fundamento, pro prima ratione: ergo substantia separata, species per quas intelligit, à sensibilib. minimè accipit.

Quarta ratio, secundum Arist. secundo physic. tex. 25. materia est propter formam, non autem forma propter materiam, sed intellectiuum principium est forma, vt docet Aristot. tertio de anima tex. 45 & sequentibus; & corpus habet rationem materiæ iuxta Aristo. 2 de in diffinitione animæ: ergo intellectiuum principium, secũdum Arist. corpori vnitur, propter ipsius intellectiui principij perfectionem, vt suam perfectionem intelligibilem, à corpore accipiat, quod totum fit species intelligibiles à sensibilibus accipiendo, & conclusio huius rationis scilicet principium intellectiuũ vnitur corpori, propter ipsius principij intellectiui perfectionem, (antequam concludamus cõclusionẽ intentã) bifariam confirmatur ad mentẽ Aristo. Primo aĩa nostra intellectiua; qm̃ eius essendi modus naturaliter est esse in corpore, vt docetur 2. physi. tex. 26. idcircò eius etiã naturalis modus, quo perficitur est vt intelligibiles species, à sensibilib. accipiat medio ipso corpore, vt docetur in fine post. & primo meth. quibus in locis docetur, oẽm nostrã cognitionẽ à sensu habere originẽ. Secũdo cõfirmatur, qm̃ alioquin anima corpori frustrà vniretur, si à corpore suã nõ acciperet pfectionẽ.

Ex quibus omnibus colligitur, modum essendi in corpore propriam esse causam propter quam intellectiuum principium, seù anima intellectiua, suam intelligibilem perfectionem, à sensibilibus accipit; species intelligibiles, median-

mediante corpore, ab ipsis sensibilibus accipiendo; sed vt docuit Aris. primo poste. in veris causis, si affirmatio est affirmationis causa, negatio etiam est negationis causa; ergo si modus essendi in corpore propria est causa, per quam, anima intellectiua, seu principium intellectiuũ suam intelligibilem perfectionem à sensibilibus medio corpore accipiat, negatio etiam talis modi essendi causa erit negationis talis modi perficiendi adeo vt oppositus essendi modus sit causa oppositi modi perficiendi, tunc vltrà, sed substantię separatæ, vt probatũ fuit in superioribus, subsistunt absquè coniunctione ad corpus, quia sunt à materia separatæ; ergo etiam absquè corpore perficiuntur, non accipiendo medio corpore à sensibilibus intelligibiles species. Hęc ratio procedit supposito cœlum non esse anima informante informatum. hæc quoad primum.

Quoad secundum. Contra hanc veritatem tria sunt argumenta. Primum est. Species intelligibiles, quæ in substantijs separatis reperiuntur, sunt vniuersales; at vniuersale iuxta Arist. primo de anima tex. 8. aut nihil est, aut posterius est ipsa re; ergo illæ species intelligibiles, aut nihil sunt, aut rebus posteriores, tãquàm à rebus acceptæ. Respõdetur verbum Aristo. esse intelligendum de vniuersali, quatenus in nostra est intellectione, qua res naturales tantum cognoscimus; hoc namquè est à rebus acceptũ & ità est rebus naturalibus posterius; vniuersale autem, quod in nostra comprehensione, respectu artificialium inuenitur, non est posterius, sed prius; quandoquidem per vniuersales artis formas apud nostrum existentes intellectum, artificiata producimus. Itidem Deus per rationes æternas creaturas producit, à quibus æternis rationibus profluũt formæ in separato intellectu, quocircà formæ intelligibiles separati intellectus nõ sunt rebus naturalibus posteriores; verùm æternis rationibus posteriores sunt Hanc responsionem tradit D. Th. de ver. q. 8. ar. 9. ad septimum.

Secundum omne, quod intelligitur est in intelligente secundum aliquam similitudinem, at similitudo alicuius in altero existens, aut est ibi per modum exemplaris, ità vt illa similitudo rei causa sit, aut est ibi per imaginis modum, ità vt sit, à re causata, ac per hoc necesse est omnem intelligentis scientiam esse vel rei intellectæ causam, vel à re causatã; sed substantiæ separatæ scientia, nequaquam est rerum in natura existentium causa, quoniam hoc est diuinę scientię proprium; ergo omnes species, per quas substantiæ separatæ intelligunt, sunt à rebus acceptę. Respondetur, diuisionis sufficientiam negando, sunt enim in intellectu substantiæ separatæ naturaliũ rerum similitudines solummodo, vt repræsentatiuę.

Tertium. Lumen substantiæ separatæ lumine intellectus agẽtis in anima fortius est; sed intellectus agentis lumen species abstrahit intelligibiles à phantasmatibus: ergo lumen substantiæ separatæ species ab ipsis sensibilibus abstrahere potest, & ità substantia separata per species à rebus acceptas poterit intelligere. Respondetur ex doctrina D. Tho. 1. p. q. 55. ar. secundo ad secundum negãdo consequentiam; quæ cõsequentia potest, ità probari: quidquid potest agens minus fortè, potest etiam agens fortius. Respondetur hanc glossando propositionem, & dicimus eam veram esse, qñ vtrunquè agens omnia requisita, necessariò ad illius productionẽ effectus, habet, tunc negatur, substantiam separatã habere omnia necessariò requisita ad producendum ex sensibilibus intelligibilem speciem: cum substãtia separata, vt superius fuit probatum capite 29. minimè imaginationem habeat; quæ tamẽ imaginatio est necessario requisita, vt ex sensibilibus intelligibiles species eliciantur, quoniam de extremo ad extremum non peruenitur, nisi per medium vt assertum est in secunda conclusionis probatione, esse autem imaginabile ipsius formæ in imaginatione (quod quidẽ est esse, sine materia, nõ tamen sine materia-

teria-

terialibus conditionibus) est medium necessarium in causando, speciem intelligibilem à sensibilibus acceptam: est etiam medium necessarium, vt sensibilia moueant intellectum mediante specie intelligibili, vt superius explanatum est.

Species intelligibiles, in mentibus substantiarum separatarum existentes, non esse proprietates naturales naturali sequela ab earum essentia emanantes, sed esse à Deo actione à creatione distincta, simul tamen tempore infusas cum substantiarum creatione ostenditur: tùm secundum veritatem, tùm secundum Aristotelis doctrinam.

Cap. 33.

IVre optimo determinanda est hæc maxima controuersia inter Thomistas, an ad mentem D. Th. ac per hoc secundum veritatem, nec non ad aures Arist. species intelligibiles, per quas intelligunt substantiæ separatæ ab earum essentia fluãt, adeò vt sint ipsarum proprietates, sicut & intellectus aliæq; proprietates, an verò sint ipsis separatis infusæ à Deo, quadam actione ab actione creante ipsas distincta.

Circa hanc controuersiam quatuor agemus. Primò ostendemus in quo difficultas consistat. Secundò exponemus, quid D. Thom. circa hanc difficultatem senserit. Tertiò demonstrabimus, quid Arist. in hoc senserit. Quartò obiecta diluemus.

Quò ad primum, tria consideranda sunt. Primò considerandum est; duobus modis, (quantum ad nostrum attinet institutum) aliquam causam, aliquem producere effectum; vno modo, quia illa causa immediatè, immediatione suppositi illum producit effectum, & hoc modo homo generat hominem, & Deus vniuersum, substãtiasquè separatas creauit, necnon animam nostram quotidiè creat; alio modo, quia illa causa; aliquã naturam immediatè, immediatione suppositi producit, à qua natura, naturali resultantia emanat aliquis effectus, & ideò talis causa dicitur illum effectũ resultantem causare, non quidem immediatè, sed mediãtè illa natura & hoc modo Deus naturales rerum proprietates immediatè quidem virtutis immediatione, non autẽ immediatè immediatione suppositi. Vnaquæquè autem substantia suas proprietates naturali sequela producit, vt docet D. Th. 1. p. q. 77. ar. 6. ad tertium. Et hanc totam doctrinam explanat D. Th. de potentia quæst. 3. artic. septimo.

Secundò animaduertendum est, istis duobus modis nos intelligere posse, Deum in intellectu substantiæ separatæ species ꝑduxisse. Vno modo, vt duab. actionibus ex parte effectuum distinctis (simul tamen tempore) Deus substantiæ separatæ essentiam, suasquè species intelligibiles produxerit immediatè immediatione suppositi, nedũ virtutis, adeò vt actione creante substantiæ separatæ essentiam creauerit, alia autem actione infundente suas species intelligibiles infuderit. Alio modo possumus intelligere Deum vna actione sola substantiã separatam, suasquè species intelligibiles ꝑduxisse, hoc modo, vt immediatè immediatione suppositi illam essentiã produxerit Deus; deinde naturali sequela ex vi ipsius naturæ emanauerint species intelligibiles ab ipsa essentia tamquam verè, & propriè naturales proprietates.

Tertiò. Considerandum est, omnes Thomistas in hoc conuenire, vt decantent, intelligibiles species per quas, substantiæ separatę intelligunt, à Deo productas esse; discrepant autem, quoniam aliqui primum modum sustinent, alij verò secundum modum defendunt, tã ad mentem D. Thom. quàm ad mentem

Ari-

Aristot.& in hoc tota consistit difficultas.

Quòad secundum, duo agemus. Primò adducemus quorundam Thomistarum opinionem cum suis fundamentis, quam esse falsam existimamus. Secúdò opinionem, quàm iudicamus esse verã, adducemus.

Quoad primum. Sciendum est, Capræolum existimasse secundo sent. d.3. q. secunda ad octauum contra tertiam conclusionem, species intelligibiles substantiarum separatarum naturali seque la concomitari earum essentiam, eo modo, quo potentię animę ab eius essentia fluunt, & hanc opinionem secutus est Caiet. 1.p.quæst.55.articu. primo, & clarius 3 p.q.9.ar. 3. in tituli expositione, & hãc opinionem sustinet, & defendit Bannes, 1.p.q.55.artic. secundo, & sex adducit argumenta, quorum primũ tale est. D.Th.docet 1.p.q 54.articu.4.ad primum scientiam non generari in Angelo, sed naturaliter adesse, ac p hoc non dari in ipso intellectum agentem, sed si speciali actione, (quæ non est creatio) Deus in Angeli intellectu species intelligibiles imprimeret, non esset hoc assertum D. Thom. verum, scilicet scientiam non generari in Angelo, sed ei naturaliter adesse: ergo &c.

Secundum. Si species intelligibiles ab Angeli substantia naturali sequela, minimè profluũt; ergo homo est perfectioris naturę intellectualis, quàm sit Angelus; consequentia probatur; Illa natura est perfectior, quæ per se ipsam proprijs viribus suam potest acquirere perfectionem, quàm illa, quæ non potest; at homo per proprium agentis intellectus lumen, proprias species intelligibiles acquirere potest, nõ autem Angelus, si nõ emanant naturali sequela ab eius essentia, sed solum à Deo, qui extrinsecum est principium, producuntur: ergo &c.

Tertium. Si quis Angeli quidditatem distinctè cognosceret, consequenter cognosceret quod est naturæ intellectiuæ aliarum rerum in potentia proxima; ergo ex natura sua habet principia necessaria, & sufficientia ad rerum cognitionem, alias esset in potẽtia remota, quod est falsum.

Quartum. Ex duobus corporibus diaphanis illud est perfectius, quod habet à se ipso lucem, quàm illud, quod illam à se ipso nõ habet, vt Sol, & qui à se ipso lumen, habet, est nobilior cęteris astris; sed Angeli sunt naturæ spirituales, & lucidæ: ergo ab intrinseco habent species intelligibiles emanantes.

Quintum. Si Deus vnicum crearet Angelum, & nihil aliud: ergo non imprimeret Deus aliquam speciem intelligibilem, hoc autem videtur absurdum; consequentia probatur, quia secundum nos (ait ipse) non datur Angelo species, nisi ad aliarum rerum cognitionẽ, quæ sunt in vniuerso, nam seipsum per se ipsum intelligit.

Sextum. Si potentia Angeli intellectiua de se non est completa per istas species intelligibiles: ergo eius naturalis potentialitas non est completa, hoc autem videtur esse contra D.T. asserentem 1.p. q.55.ar. secundo, potentiam intellectiuã in Angelis esse naturaliter per species intelligibiles connaturales completam. Hæc etiam argumenta ex naturali ratione desumpta vim habent ad suadendũ ad mentem Arist. species intelligibiles substantiarum separatarum non emanare, naturali sequela ab essentijs ipsarũ. hęc quoad primum.

Quò ad secundum. Nos sustinemus, species intelligibiles, in mentibus substãtiarum separatarum existentes, non esse proprietates naturales naturali seque la ab earum essentia emanantes, sed esse a Deo infusas actione, à creatione distincta, simul tamen tempore adeò vt Deus simul tempore, non autem natura creauerit substantias, earumquè species intelligibiles infuderit. Hãc opinionem esse D. Thom. quatuor eius potissimis auctoritatibus ostenditur.

Prima auctoritas hæc est. Contestatur tertia parte q.9.ar.3. per verbum Dei ani-

animæ Christi sibi personaliter vnitæ impressæ sunt species intelligibiles, ad omnia ad quæ intellectus possibilis est in potentia, sicut etiam per verbum Dei impressę sunt species intelligibiles menti Angelicæ in principio creationis rerũ; at cõspicuũ est aię Christi impressas fuisse species intelligibiles per actionẽ à creationis actione distinctã; ergo &c.

Secunda est. Scribit 1.p.q.89.ar.1. ad tertium, animam separatam, intelligere per species ex influentia diuini luminis participatas, quarũ anima fit particeps, sicut & aliæ substantiæ separatæ, quamuis inferiori modo; at istæ species intelligibiles ab animę essentia non fluunt, sed causantur in anima à Deo mediantibus Angelis, non per creationis modũ, sed sicut id, quod in actu est aliquid sui generis de potẽtia ad actum reducit, vt docet ipse D.Tho. quæstio. de Anima a.20. ad vndecimũ; ergo pari modo &c.

Tertia desumitur ex 1.p.q.89.a.3. vbi asserit, Angelos sic recipere species intelligibiles ex influentia diuini luminis, sicut animæ separatæ suas recipiunt species, per quas intelligunt; vnde verba sua ista sunt. Anima separata intelligit per species separatas, ex influentia diuini luminis, sicut etiam Angeli; tunc subsumitur, alia propositio, at anima separata species intelligibiles recipit alia actione ab actione creatiua, vt ex præcedenti patet auctoritate; cum istas species immediate ab Angelis recipiat, Angeli autem non possunt ad creationẽ cõcurrere, vt docet D.Th.1.p.q.45.a.5. ergo & Angeli species intelligibiles à Deo recipiunt actione à creatione distincta.

Quarta auctoritas. Istæ species Angelicę appellantur à D.Tho. multis in locis species infusę, vt manifestum est in qõne de Aīa arti. 18. & 20. in c. & ad quartum & vndecimum; at secundum Caieta.3.p.q.9.a.3. in tituli expositione, scientia proprie loquendo nuncupatur infusa, quæ producitur actione alia ab actione creãte; Indita autẽ vocatur sciẽtia, quæ naturam naturali sequela concomitatur, & eadem actione producitur, qua rei essentia producitur; ergo si volumus D.Thom. propriè loqui, asserendũ est, Angelorum sciẽtiam esse à Deo productã aliqua actione à creatiua actione distincta. Hæc de secũdo prĩcipali &c.

Quò ad tertium principale. Secundũ Arist. intelligibiles species, per quas intelligũt substãtię separatę, ab earũ essentia minimè profluũt naturali sequela, tãquàm naturales ipsarum proprietates sed immediatè à Deo causantur actione ab ipsa creationis actione distincta. Hæc conclusio vna pulcherrima ratione demonstratur, desumpta ab Aris. 12. Met.tex.39. qui sermonem habẽs de primi mobilis intellectu, hoc est de substãtia separata coniuncta primo mobili, ipsumquè mouente, docet, hunc intellectum fieri intelligibilem per contactũ, participationemquè primæ substantiæ intelligibilis, quàm illo in loco appellat Deum. Et verba Aristotel. sunt ista. *Se ipsum autem intelligit intellectus, secundum transumptionem intelligibilis, intelligibilis enim fit, attingens, & intelligens*; quæ verba interpretans D. Th. eò loci asserit, secundum Aris. talem esse comparationem intellectus primi nobilis ad primã substantiã intelligibilem mouentem, qualis est secundũ Platonicos cõparatio intellectus nostri, ad species ĩtelligibiles separatas, secundum quarũ contactũ, & participationẽ intellectus noster fit in actu; at sm Platonicos, species intelligibiles, per quas noster intellectus intelligit, non emanãt naturali cõsequutione à substãtia aīæ nrę, sed immediatè à specieb. separatis (quas Ideas vocabãt) cãntur actione distincta ab actione productiua essentiæ ipsius aię; ergo & species, per quas intelligit intellectus primi mobilis (hoc est, substãtię separatę primũ mobile, mouẽtis) naturali sequela ab essẽtia intellectus primi mobilis nequaquã profluunt; verum immediatè producũtur à Deo, qui est prima substantia intelligibilis; & cum non sit maior rõ de intellectu primi mobilis, quàm de aliorũ mobilium intellectibus; cũ oẽs eiusdẽ sint

gônis secûdû Arist.12.Met.tex.43 species oium itellectuû oium mobiliû sépiternorû (hoc est substátiarû separatarum, omnia sempiterna mouentiû) sunt immediatè à Deo productæ, non autem ab essentijs ipsorum mouentium sempiternorû naturali profluunt consequutione: At vt demonstratum est, sup.cap. 35.omnes substantię separatæ (excepta prima) non sunt ad mentem Arist. nisi intellectus ipsorum mobilium sempiternorum, hoc est substantiarum separatarum, mobilia sempiterna mouentium; ergo ad mentê Arist. species substâtiarû separatarû ab ipsarû essentijs minimè emanât naturali sequela; verû à Deo immediate producuntur. Omnia apertissima sunt dempta illa propositione, scilicet, secundum Platonicos species per quas noster intellectus intelligit ab essentia nostræ animę non emanât; sed immediatè ab Ideis causantur. Quę demonstratur esse vera secundum Diu. Tho. sententiâ, quæstione de Anima ar. 15. ad primum, quo in loco affirmat apertè, nullum esse discrimen inter Catholicos, & Platonicos, de animę separatæ cognitione; nisi in hoc: q̃nquidê Platonici asserunt, aîam separatam intelligere per species à substâtijs superiorib⁹ influxas, cum esse inceperit; Catholici vero autumant, aîam separatam intelligere per species influxas à superioribus substâtijs cum ipsa animæ separatione, & non à principio, quando incepit esse; sed vt demonstratum est in illo capite, istę species per quas intelligit anima separata, à superioribus substantijs immediatè causantur, non autem naturali consequutione profluunt ab essentia animæ separatæ, quod erat probandum. Operepreciumq; est conspicere ea, quæ à nobis supra lib.1.c. 31. explanata fuerunt, quoniam multum conferût ad intelligentiam istius pulcherrimæ auctoritatis, ex 12. Met. hanc nostram fundantis conclusionem.

Quò ad quartum. Pro responsionû fundamento ad argumenta aduersariorum, & præsertim ad primum, animaduertendum est, ex D Tho. doctrina prima secundę q.6 ar.5. ad secundum, duobus modis aliquid naturale appellari. Altero modo aliq̃d nûcupatur naturale, qa est à natura sicut ab actiuo principio, quemadmodû calefacere, dr̃ esse igni naturale. Altero modo, lic̃dr̃ passiuû principiû; quoniâ inclinatio rei innata est ad illud recipiêdû ab extrinseco principio; & hoc modo circularis motus è Cęlo naturalis, hocque pacto species intelligibiles separatarû substantiarû appellant cônaturales, qm̃ separatę substâtię naturalê hn̄t inclinationê (pp ipsarû pfectionê i gn̄e intelligibiliû) vt eas simul à Deo immediatè recipiât, cû suo esse naturali: nô aût vocâtur, naturales, primo modo; cû ab earû essentijs tanq̃ ab actiuo principio, nô aliquo mô profluât. Et ideo ad primû argm̃ imus inficias, si speciali actione Deus ipse species intelligibiles in Angeli itellectu imprimat, nô esse verû illud D.Th. assertû, q̃ sciêtiâ nô gn̄ari in substâtia separata, sed naturaliter ei adesse, q̃nquidê sciêtia vocitatur ,ppriè gn̄ari, qn̄ lumine intellectus agêtis acquritur, nô aût qn̄ à Deo infundit; & hoc hêtur ex auctoritate D.Th. allegata, qua demôstrat, intellectû agêtem in substâtia separata minimè dari, qm̃ sciêtia in ipsa nô gn̄atur. Itidem dato sciêtiâ actione speciali à creatione distincta à Deo imprimi, dr̃ tamen naturaliter adesse, pp naturalê inclinationê, q̃ hêt substantia separata ad recipiendum huiusmodi species intelligibiles.

A secûdû negatur sequela, ad probationê negatur assumptum; qm̃ vt docet Arist.2.de Cęlo, & D.Th. 1 2.q.5.a.5 ad scdm; nobilior natura est illa, q̃ bonû perfectû côsequi pôt (licet exteriori auxilio ad illud côsequêdum indigeat) q̃ natura, q̃ bonû perfectû nuncmè côseq pôt, sed qddâ imperfectû bonû côsequitur, licet ad eius côsequutionê exteriori nô indigeat auxilio; sicut melius dispositus est ad sanitatê, q̃ perfectâ sanitatê pôt côseq, licet hoc fit p medicinę auxiliû, q̃ qui solû quádâ imperfectâ sanitatê sine auxilio medicinę côsequi pôt. Ex

quib.

quib. colligitur falsũ esse illã naturã esse perfectiorẽ, q̃ proprijs viribus suã põt cõsequi perfectionẽ; verùm ista est vera propositio; Illa natura est perfectior, q̃ nobiliorẽ assequitur pfectionẽ; sed tũc negat minor ꝓpositio subsumẽda, s. homo lumine intellectus agẽtis nobiliorẽ cõsequitur perfectionẽ, q̃ separata substãtiæ quæ immediatè Dei actione suã assequitur perfectionẽ, imò lõgè nobilior est substãtię separatæ cognitio, q̃ hominis cognitio, vt oẽs Phyloso. cõtestãtur.

Ad tertiũ r̃ndetur. Si aliquis quidditatẽ Angeli distinctè cognosceret, ẽt ipsũ esse naturę intellectualis, aliarũ rerũ in potẽtia proxima cognosceret, pp species intelligibiles ab instãti suæ creationis à Deo ĩditas; ad quas naturalẽ inclinationẽ hẽt, nõ aũt quia species intelligibiles ab ipsiꝰ Angeli natura naturali cõsequutione profluãt; quocirca Angelus dr̃ hr̃e in se naturaliter istas intelligibiles species, pp naturalẽ inclinationẽ ad ipsas, sicut & Cęlũ dr̃ in se naturaliter hr̃e circularẽ motũ, pp naturalẽ ad illũ inclinationẽ; licet tã illę species intelligibiles, quã motus circularis sint à principio actiuo extrinseco; & ideo ad argm̃ r̃ndetur totũ cõcedẽdo argm̃, vt iacet; verũ negat cõsequẽtia subinferẽda: ergo huiusccemodi species ab Angeli natura emanãt veluti eius proprietates. Nã satis est vt in se naturalẽ inclinationẽ ad illas habeãt, ad hoc vt ex sua natura dicãtur prĩcipia necessaria, & sufficiẽtia ad rerũ cognitionẽ.

Ad quartum r̃ndetur, vt ad secundum r̃nsum fuit; illud enim corpus diaphanũ est altero perfectius nõ quia pręcisè lucem ex seipso habeat, sed quia lucẽ perfectiorem potitur.

Ad quintum negatur cõsequẽtia, qm̃ si Deus vnũ crearet Angelũ, & nil aliud imprimeret, Angelus hr̃et illas species intelligibiles oẽs, ad quas naturalẽ hẽt inclinationẽ p quas posset res alias creatas si crearẽtur intelligere. Ad probationẽ aũt r̃ndetur. Angelo dari species ad cognitionẽ aliarũ rerũ, quæ sunt in vniuerso, vel in actu, vel de possibili.

Ad sextum r̃ndetur. Licet species intelligibiles ab Angeli natura minimè profluãt, sed immediatè à Deo producãtur; attamẽ naturalẽ Angeli potẽtiã cõplẽt, & perficiũt, sicut & circularis motus Cęli dr̃ naturaliter perficere, & cõplere naturalẽ Cęli potentiã; licet non fit à Cęlo effectiuè, sed immediatè ab eius motore, vnde ad argm̃ cõsequẽtia negatur.

Substantiæ separatæ, quanto superiores sunt, tãto per vniuersaliores species intelligũt ad mentẽ Arist.

Cap. 34.

CONsequitur ad præcedentes difficultates hæc alia difficultas, an substantiæ superiores per species intelligãt vniuersaliores secundũ Arist. doctrinã.

Circa hanc controuersiã quatuor agẽda sunt. Primò titulus difficultatis expenendus est. Secundò quædã fundamenta ponenda sunt Tertio controuersię respondendum est. Quarto est obiectis satisfaciendum.

Quò ad primũ. Primò aĩaduertendũ est, vniuersale trifariã sumi. s. in prædicando, vt genus & species; in cãdo, vt Sol, & corpora cęlestia; & in representãdo, vt intelligibilis species gñis, & speciei; quę oĩa sub specie contenta representat; & de ista vniuersalitate sermonẽ instituimus. Nũcupaturquè species magis vniuersalis, quæ plura representat, & minus vniuersalis, quæ pauciora.

Secundò. Considerandũ est, duob. accidere modis aliquã speciem esse magis vniuersalem in representando. Vno modo quia est rei magis vniuersalis representatiua, & hoc modo species tantũ generis representatiua est vniuersalior specie tãtũ representatiua speciei. Alio mõ qm̃ est pluriũ in actu representatiua, & hoc mõ species aĩalitatis, oĩumq; per se differentiarũ eius in actu ẽ vniuersalior species, q̃ illa q̃ tm̃ aĩalitatem, vel tantũ humanitatem representat. Hocq; mõ accipit vniuersalior in p̃senti cõtrouersia, minimè aũt primo. Hæc de primo &c.

Quò ad secũdũ. Duo fundamẽta ponenda sunt ad mentem Aris super quib nostram fabricamus intentionem.

Primum fundm̄ ad aures Arif.eft hoc. Subftantię feparatę ad mēté Arif.quāto funt fuperiores,tāto funt Deo fimiliores,tùm in perfectione intelligēdi, tùm in modo intelligēdi;qđ quidē fundamē tū colligitur ex Arif. doctrina; nam 12. Me t.tex 44.concludit Arif. lā fubftantiā feparatā effe primā,quæ primū orbē mouet,& fecū dā,q̄ fm.& ità de alijs fubftātijs alios orbes mouētib. Vñ ità fcribit: *q quidē ergo fint fubftātia,& harū q̄ prīma fedm ordinē eūdē,lationib.aftrorū Palam.* Hæc Arif.& ifte ordo procul dubio attēditur penes naturę perfectionē: adeò vt fubftātia, quæ primū orbē mouet,fit nobilior illa,quæ mouet fecūdū, & fecunda eft nobilior illa, quæ tertiū mouet, & ita de alijs,& hanc veritatem expreffe docet D.Tho. eò loci,qui ità afferit in illius Cōmēti fine. Et cum corpora cęleftia fint quafi inftra fubftantiarū feparatarū mouētiū fequitur, quod fubftantia, quæ mouet fuperiorē orbē , fit vniuerfalioris conceptionis,& virtutis; hāc eādē veritatē explanat Cō.fupradicto Com.ità fcribēs; prioritas.n.ī loco eorū,& ī magnitudine,facit eos priores ī nobilitate. Hæc Com. Qua de re,quāto fubftātia feparata erit fuperior, tātò erit nobilior,& pfectior, & iō fimilior Deo maximè intelligenti,tùm in intelligendo,tùm in modo intelligendi, & ità primum fundamentum,confpicuum eft.

Secundū fundm̄. Secūdum Arif.fubftantiæ feparatæ quāto funt Deo fimiliores,tātò per pauciores intelligūt fpecies. Hoc fundm̄ ex duplici tex oftenditur effe ad mēté Arif.Primus eft. 51. 12. Met quo in loco oftendit Arift.Deū intelligere q̄ qđ ītelligit per feipfum,hoc eft per fuā effentiā, & cū fit vna in fine Met ità cōcludit : vnus ergo Princeps, idcircò neceffario cōfequitur Deū oīa per vnū intelligere,qua de re optimè ēt cōfequitur,illū intellectū eē Deo fimiliorē. q oīa per pauciora diftinctè intelligit,q̄ q per plura; qm̄ quidē minor paucitas eft vnitati propinquior,& fimilior,quàm multitudo. Secundus tex.eft tex.44.ex quo colligitur hæc veritas, quātò aliqs intellectus ē fuperior, tāto eft pfectior, & qm̄ virtus vnita eft maior,& perfectior ēt feipfa , cū indiuifibilitas fit de rōne perfectionis vt docet Commē.7. Phif.Com.18.& ideò,quātò aliquis intellectus eft perfectior , tātò eft magis vnitus,at intellectus eft magis vnitus,q̄ eft minus per fpecies intelligibiles diuifus ad intelligēdū,quā q per plures fpecies,& ideo quāto aliquis intellectus eft perfectior,tātò eft per pauciores fpecies diuifus,per illafq; pauciores intelligit; quāto aūt eft pfectior,tāto eft Deo fimilior, quapp de primo ad vltimū quāto fubftātia feparata eft Deo fimilior tāto p pauciores fpecies ītelligit Hæc de fecūdo.

Quo ad tertium.Conclufio tñ.dēs hęc eft Ad aures Arif.quātò fubftantiæ feparatæ fuperiores funt,tātò per fpecies vniuerfaliores intelligūt,q̄ facillimè ex prę iactis fundamētis fuadetur hūc in modum. Quantò fubftātiæ feparatę funt Deo fimiliores,tāto per pauciores ītelligūt fpecies Hæc propofitio ex fecūdo fundamēto nota eft; at fubftātiæ feparatæ quātò funt fuperiores,tātò funt fimiliores Deo, vt ex primo cōftat fundamēto:ergo fubftātiæ feparatæ quāto fūt fuperiores,tāto per fpecies pauciores intelligūt;fed oīa nō pofsūt intelligi p fpecies pauciores nifi fint vniuerfaliores,plura actu repńtātes, vt de fe cōpertiffimū ē;ergo fubftantiæ feparatæ quantò funt fuperiores,tantò per uniuerfaliores fpecies intelligunt.Hæc de tertio.

Quò ad quartū.Cōtra hāc veritatē fūt duo argumēta, quorū primū ē.Vniuerfale à particularib.abftrahitur,vt innuit Arif.2.de Aīa tex.8.affirmās,vniuerfale eē qđ pofteri°re ī natura rerū exiftēre , q iō ē,qm̄ vniuerfale formaliter fit ab ipfo ītellectu,fpecies vniuerfales ab ipfis reb. abftrahēre, fed vt probatū fuit fuperius c.51.fubftātię feparatę à reb.cognitionē minimè accipiūt;ergo p vniuerfales nō ītelligūt fpecies.Rñdetur negādo primā propofitionē vniuerfaliter;qm̄ folummodo vera eft de vniuerfali fpecie intellectus,qui à rebus cognitionem accipit,cuiufmodi eft nofter intellectus, &

hos

hoc modo intelligẽdus est Arist. minimè autem vera est de intellectu à rebus nequaquã cognitionem accipiente, qualis est intellectus substãtiæ separatæ. Tale enim vniuersale, non est rebus posterius, sed ante res, saltem secundum naturæ ordinem.

Secũdum. Docet Arist. 1. Phis. tex. 3. & 4. vniuersaliora esse confusiora, ex consequẽti vr; cognitionẽ quæ est per vniuersaliores species esse imperfectiorẽ, at substãtię superioris cognitio nõ est imperfectior cognitione substãtiæ inferioris; ergo cognitio substãtię superioris nõ vr esse p species vniuersaliores. Rñdetur vniuersalius dr duob. modis, altero modo ex parte rei cognitę, & itã obiecta vniuersaliora cognita in prędicãdo sunt cõfusiora, & hoc pacto Arist. loco citato intelligendus est; altero modo ex parte medii cognoscẽdi, & itã falsũ est, media cognoscẽdi vniuersaliora (quales sunt species intelligibiles) esse confusiora, & imperfectiora, imò sunt pfectiora, & magis distincta, & itã nos intelligimus.

Substantiæ separatæ semper actu intelligunt secundum Aristo. doctrinam. *Cap. 35.*

HOc in loco disputandũ est, an secũdum Arist. substãtię separatę semp actu itelligãt. Circa hãc difficultatẽ quatuor agẽda sũt. Primo difficultatis titul⁹ declarãdus est. Secũdò q̃dã fundamenta iaciẽda sũt. Tertiò difficultati rñdẽdũ ẽ. Quartò argumẽtis est satisfaciẽdũ ẽdñ.

Quò ad primũ. Primò cõsiderandũ est, nos sermonem habere de actu, tàm primo quã secundo, qui actus secundus est operatio. Secundo considerandũ est duplicẽ sensum habere posse huius difficultatis titulũ, alter nũ substantia separata semper actu intelligat oĩa, alter nõ quia actu oĩa intelligat, sed quia semper est in vna aliqua consideratione; & iste sensus intẽtus est, & ideo sensus difficultatis est, an substantiæ separatæ semper in ali qua cõsiderõne sint. Hęc de primo.

Quò ad secundum. Duo fundamẽta in Arist. doctrina notissima iacienda sunt. Primũ est, Cęli motũ esse ęternũ, causatũque ab ęterna substãtia. Hoc fundm̃ habetur octauo Phis. de gñatione, de Cęlo, & etiam in 12. Met. tex. 30. & 34.

Secundũ fundm̃ est. Substãtiæ separatæ scdm Arist. per intellectũ Cęlũ mouẽt. Hoc fundm̃ docet Arist. 12. Met. tex. 26. vbi docet primum mouens absolutè (quẽ postmodũ Deũ appellat tex. 39.) Mouere substãtias mouẽtes, vt appetibile, & intelligibile dicẽs: *Mouet aũt sicut appetibile, & intelligibile.* Hæc Arist. ex cõsequenti, alias separatas substãtias p intellectũ, & voluntatẽ mouer, adeò vt explicat D. Th. in dicto textu, motus Cęli est causatus à substãtijs, orbes p intellectũ, & appetitũ mouẽtibus pp ipsum primũ mouẽs sicut pp finẽ. Secũdo probatur. Hoc fundm̃ ad mẽtem Arist. ex his, quę explanata sunt sup. c. 29. etenim ibi assertũ fuit in substãtijs separatis nõ esse nisi cognitionẽ intellectiuam, nullo aũt modo sensitiuã. Demonstratũ est ẽt organũ corporale nequaquã in eis reperiri, ex quibus itã arguitur; Corpora Cęlestia à substãtijs mouent separatis, vel per organũ corporale, vel per sensum, vel per intellectũ, & intellectualẽ appetitũ; nõ per primũ, & secundũ, vt demõstratũ est; ergo per tertiũ, quod est intentum. Hæc de secundo.

Quò ad scdm. Cõtrouersie tali cõclusione rñdetur. Ad mẽtẽ Arist. substãtię separatę sẽper sunt in aliqua intellectus operõne; q̃ cõclusio triplici suadetur rõne, & prima fundatur sup. duobus pręiactis fundamẽtis. Qñ effectus est cõtinuus, & ęternus, illius ẽt cã est cõtinua; & ęterna. Hæc propositio colligitur ex 2. Phis. & 5. Met. tex. 3. & in particulari de motu manifestè hẽtur ista ppositio 12. Met. tex. 34. At intelligere substãtiæ separatę est cã continui, ęternique motus, vt cõstat ex fundamẽtis iactis: ergo & intelligere substãtiæ separatę continuum, ęternumquè est.

Secunda ratio. Quod aliqñ operatur, & aliquando non operatur moue-

tur, vel per se, vel per accidens. Hęc propositio colligitur ex 8. Phis. text 51. quo in loco, Arist. ostē si aīalia ex se qñ quē moueri, qñq; verò quiescere, quatenus ipsoru n motor ab aliquo qñ q; mouet, qñ q; non mouetur. Tunc alia subsumitur propositio; sed substantiæ separatæ non mouentur per se, nec per accidens, vt docet Arist. 8. Phis. tex. 12. affirmans, intelligentiam primi orbis non moueri per accidens, nec per se, sed intelligentiæ alios orbes mouentes, sunt eiusdem rationis cum intelligentia primum orbem mouente; ergo omnes intelligentiæ orbibus applicatæ non mouentur per se, nec per accidēs, vt docet D. Th. ad mentem Arist. 1. sent. d. 37. q. 4. ar. 1. ad quartum & 2. sent. d. 8. q. 1. art 4. ad quartum, & 1. p. q. 51. a. 3. ad tertiū; ergo substantiæ separatæ semper operantur; sed ipsarum operatio est intelligere, & velle; ergo semper intelligunt, & volunt.

Tertia ratio. Aris. 3. de Anima tex. 16. apertè contestatur nostrū intellectū nō semper intelligere, quia in potētia est; ergo ille intellectus, qui est in actu semper intelligit; at intellectus substātiæ separatæ est in actu, vt ex assertis notum est; ergo semper intelligit. Prima consequētia constat ex illa regula posterioristica: si affirmatio est vera affirmationis causa, negatio causa negationis erit. Hæc de tertio.

Quò ad quartum. Arguitur supponēdo Cœli intelligentiam esse aīam informantem. (Nam vtrāquē partem lib. 1. c. 53 defendimus) hoc supposito, tale conficitur argumentum. Aris. 2. de Aīa tex. 6. in diffinitione aīę docet, Aīam esse actum primum, quod dictum à pluribus expositoribus exponitur, animam esse actum primum, inseparabilem à secūdo; ergo &c. Respondet Caie. eò loci duob. modis. Primo hūc in modum. Illam diffinitionem conuenire aīæ non repugnāter, non aūt positiuè: quæ aūt alicui subiecto conueniūt non repugnanter, nō est necesse conuenire omni sub illo cōtento; verū satis est aliquib. cōuenire. Vide Caiet. ibi. Secundo rñdet illam aīæ diffinitionē solùmodo dari de Aīa horum inferiorū, vt ex ipso tex conspicuū est; nam ibi Aīam diffinit, per esse corporis organici actum, modò autem, vt demonstratum est sup. c. 29. corpus cęleste minimè organicū est, quadere illa animæ diffinitio de horum inferiorum animabus solummodo datur.

Substantiam separatam seipsam intelligere ad mentem Arist. ostenditur. Cap. 36.

Difficultas etiā est, an ad mentem Arist. substantia separata seipsam intelligat. Circa hāc difficultatē duo agenda sunt. Primo difficultati rñdendū est. Secundò obiectis est satisfaciendū.

Quò ad primum ità difficultati rñdeo substantia separata seipsam intelligit. Hęc conclusio trib. suadetur rationib. ex Aris. collectis.

Prima rō. Aristo. 3. de Anima tex. 8. affirmat clarissimè, intellectū in actu posse seipsum intelligere. Et licet loquatur de nostro intellectu, & non de substantia separata; attamē quia eadē est rō immo maior, de substantia separata, q̄ de nřo intellectu, ideo multo magis vera est de intellecta substātię separatę. Nā intellectus noster hāc habet pfectionē, vt in actu factus seipsū intelligat; multò magis separata substātia hāc habebit perfectionē, quę est nostro intellectu lōgè nobilior; idcircò illa propositio est vniuersaliter vera ad mentē Aris. Tunc subsumitur minor propositio, at separata substantia est intelligibilis in actu, vt ostentum est supra c. 28. ad aures Arist. ergo &c.

Secunda ratio. Aris. 2. de Aīa tex. 60. inter sentire in actu, & considerare in actu, discrimen ponit; nam sentiens nō potest sentire qñ vult, cum habeat sensibilia extra se, considerans autem quia habet intra se intelligibilia potest considerare, & intelligere, quando vult; at vt suasum est in supradicto capite, substātia separata est in actu intelligens, & ipsamet

famet est actu intelligibilis; ergo cū vult potest seipsam considerare.

Tertia ratio alijs fortior. Ait Arist. 3. de Anima tex. 15. *In separatis à materia idem est intellectus, & quod intelligitur.* sed substantiæ intelligibiles sunt à materia separatæ per Arist. 12. Met. tex. 30. ergo in ipsis idem est intellectus, & q̄ intelligitur; sed ipsamet substantia separata est intelligēs ad mentē Arist. vt sup. c. 18. demonstratū est; ergo ipsamet est illa, quæ intelligit proculdubio à seipsa.

Et confirmantur istę rationes per Aristo. 3. de Anima tex. 8. affirmantem, intellectum in actu seipsum intelligere posse.

Quò ad secundum. Contra hanc veritatē sunt duo argumenta ex Arist. excerpta. Primum; secundum Arist. primo post. c. 23. *sentire est singularium, intelligere verò vniuersalium*; at substātia separata est res singularis; quoniam agit, & actiones sunt singularium, vt ipsemet docet in prohęmio Met. ergo separata substantia non cognoscitur, nisi per sensum; sed in ipsis separatis non est cognitio sensitiua, vt ostensum fuit ad mentem Arist. c. 29. ergo &c. Ad hoc bifariā respōdetur. Primò singulare est duplex, alterum materiale, & alterum immateriale, propositio Aristotel. vera est de singulari materiali, eò quoniam cum sit materiale, non potest à nostro intellectu directè cognosci, cum abstrahēdo à singularib. cognoscat, singulare autem immateriale potest cognosci ab intellectu. Secūdò respondetur Arist. habere sermonem de nr̄a cognitione, vt conspicuum est illum textum intuenti.

Secūdū argm. Per Arist. 3. de Aīa, intelligere est quoddam pati, quadere intellectus mouetur ab intelligibili; at nihil mouetur, aut patitur à seipso; ergo separata substantia seipsam intelligere minimè pōt. Duob. modis rñdet Primo motus est duplex Phys. & Metaphy. secūda propositio vera est de motu Phis. nō aūt Metaphisico; modo aūt cōpertissimū est intelligere esse motū Metaphisicum. Secūdò respondetur intellectus est in duplici differētia; quidā est in potētia vt est noster, cuius intelligere est pati ab obiecto, ab ipsoquè moueri; quidā verò est in actu, vt est intellectus substantię separatæ, præcipuè respectu sui, & iste intellectus non propriè ab obiecto patitur, huiusquè intelligere non est pati; idcirco Aristo. propositio vera est, de nostro intelligere, non autem de intelligere substantiæ separatæ. Vide Diu. Thom. prima par. q. 66. ar. 1.

Substantiæ separatæ ad aures Aristot. intelligunt seipsas per seipsas. Cap. 37.

Hoc in loco necessario quęrendum est, an medium, per quod substantia separata seipsam intelligit, sit propria essentia, vel species superaddita.

Circa hāc difficultatē tria sunt agēda. Primò, quædā fundamēta ponēda sunt ad aures Arist. Secūdo rñdendū est difficultati. Tertio argumēta diluenda sunt.

Quò ad primum, duo fundamenta sunt ponenda. Primum fundamentum. Illud quod in gñe intelligibilium se habet vt forma intelligibilis subsistens, intelligit seipsum per seipsum: hoc fundamentum demōstratur auctoritate Arist. 3. de Anima text. 15. ita contestantis. *In his enim, quæ sunt sine materia, idem est intellectus, & quod intelligitur.* horū verborum sensus est. In separatis à materia idem est intelligens, & id per quod intelligit, quod nuncupatur, id qđ intelligitur; quia id per qđ intelligens intelligit, est ēt id. qđ intelligit, vel tanq̄ quo, respectu aliorum, vel tanquā qđ, respectu sui: tunc vltra sed intelligens est substantia intelligētis; ergo id, per quod intelligit est substantia; sed separata à materia sunt per se subsistentia in gñe intelligibilium iuxta Arist. 12. Met. tex 43. & 44. quo in loco separata à materia nuncupantur substantiæ (ex consequenti, per se subsistentes) sempiternæ, immobiles, & sine magnitudine. Hinc interpretationem docet D. Thom. 3. de Anima

tex.15.ità astruens. Intellectus possibilis, qui est tantum in potentia in ordine intelligibilium, non intelligit, neque intelligitur nisi per speciem, in eo susceptam; Deus autem qui est purus actus in ordine intelligibilium, & aliæ substātiæ separatæ, quæ sunt mediæ inter potētiam & actum, per suam essentiam intelligunt, & intelliguntur. Itidem Commen eodem tex. pari modo exponit scribens: formare per intellectum, & formatum idem est in rebus non materialibus; modo autem constat formare per intellectum esse intelligere per Cōment. eò loci, & formatum esse id, per quod intellectus intelligit; sunt itaq; ad aures Commen. idem intelligens, intellectū, & id per quod intelligunt separata à materia, intelligendo semper in esse intelligibili. Caietanus pari modo 3. de Anima capite primo, circa responsionem ad secūdam quæstionē exponit.

Secundum fundamentum. Vnumquodquè eo modo, quo est, vel fit in actu in genere intelligibilium, eo modo seipsum intelligit, adeò si per species à rebus acceptas fit, vel est in actu in genere intelligibilium, intelligit etiam se ipsum per huiusmodi species; si autem est in actu in genere intelligibilium suā per essentiam, seipsum etiam intelligit per suam essentiā; hoc fundamentum ostenditur esse ad mentem Arist. ex prædicto tex. 15 tertij de Anima; quo in textu ostendit, nrūm intellectum possibilem esse intelligibilem, sicut alia intelligibilia, ità scribens. *Et ipse autem intelligibilis est, sicut intelligibilia.*

Fundamentum huius veritatis nil aliud est, nisi nostrum secundum fundamentum; nam quia vnumquodquè, eo modo est intelligibile, quo est in actu in genere intelligibilium, tunc subsumitur minor propositio; at noster intellectus fit in actu per species à rebus acceptas, vt docet ipse 3. de Anima text. 6. 7. & 8. ergo noster intellectus est intelligibilis, per species à rebus acceptas, & ideo intelligit seipsum, per huiusmodi species, sicut etiam alia à se intelligit, & hoc intendit Arist. iuxta omnium expositionem. Ecce itaq; radicem, & fundamentum huius propositionis, scilicet intellectus est intelligibilis, sicut alia intelligibilia, hoc est, per species à rebus acceptas, fundatur supra nostrum secūdum fundamentum, vt patet ex ratione adducta. Hæc de primo.

Quò ad secundum, respondemus ad difficultatem hoc modo. Substantiæ separatæ ad mentem Aristo. intelligunt se ipsas per seipsas. Quæ conclusio bifariā demonstratur ex preiactis fundamētis.

Primò hoc modo. Illud quod in ordine intelligibilium se habet vt forma subsistens, illud inquam intelligit seipsum per seipsum; at separatæ substantiæ sunt in ordine intelligibilium formæ subsistentes; ergo &c. Prima propositio ex primo fundamento nota est. Secūda autem conspicua est ex cap. 28.

Secundo. Vnumquodquè eo modo, quo est, vel fit actu intelligibile, eo intelligit seipsum; at substātiæ separatæ sunt actu per essentiam propriam intelligibiles: ergo per essentiam propriam intelligunt seipsas. Maior propositio est secundum fundamentum. Minor autē comperta est ex supradicto cap. 28. Hæc quò ad secundum.

Quatuor argumenta diluuntur. *Cap.* 38.

QVò ad tertium, contra præfatam veritatem sunt quatuor argumenta, primò adducenda, subinde soluenda.

Primum argm̄. Si substantiæ separatæ seipsas per suas essentias, tanq̄ per intelligibiles species intelligūt; ergo substātiarū essentiæ separatarū se hn̄t veluti formalia principia, q̄b. intelligunt, consequens est falsum, ergo & antecedēs; cōsequētia suad. ex D. Th. asserente 1. p. q. 56 a. 1. speciē intelligibilem esse formale intellectionis principium. Et ex eodem loco confirmatur cōsequentia; nā eò loci docet oē intelligibile esse intellectiuę potētię ad intellectionē vnitū, sicut forma, q̄ est

est in a'i agēdi actionis principiū; si ita que substātię separatę essētia est id, p q̄ substātia separata ītelligit, tūc essētia ītelligibilis obiecti rationē habebit, ex cōsequēti erit ipsi itellectui vnita, tāquā formale principiū, q̄ erat probādū. Consequentis aūt falsitas ità ostenditur. Illud qđ est formale potētię principiū, quo potētia operatur ipsā īformat potētiā, ac p hoc est eius accidens; at separatę substantię essētia minimè est accidens, neq. ipsū ītellectū informat, immò totū est oppositū; nā eius intellectus, vt demōstratū fuit sup. c. 24. 25. & 26 est accidens, substātię separatę essētiā informans; ergo essētia substātię separatę nequaquā principiū formale, quo, intellectionis esse potest, quod suadendum erat.

Secūdū arg. Docet Aris. 2. de Anima tex. 34. Animā esse corporis actū, eò q̄ est principiū quo viuimus, sentimus, intelligimus &c. Idcirco ad aures Aris. nil potest esse ratio, seu forma agēdi, nisi sit informans ipsū; at substātię separatę essētias. Secūdū Aris. non pōt esse forma ipsius intellectus informans, cū secūdū ipsū essētia substātię separatę sit per se subsistens ad aures ipsius, quod autem est per se subsistens nequaquam forma informans esse potest.

Tertiū. Anima nostra p suā essētiā minimè ītelligit, sed per species acquisitas, vt probatū fuit superius c. 28. & tamē est immaterialis p se subsistens, à materia minime depēdens, sēperq. ītellectui vnita, sicut etiā essētia substātię separatę, vt docet Aris. 3. de Anima tex. 19. ergo pari passu substātia separata seipsā p essentiā minimè ītelligit. Scotus his motus arg. sustinuit partē nostrę sētētię oppositā.

Quartū argu. formale principiū quo aliqua potētia operatur est illi potentiæ subordinatū, ab ipsaq. potētia depēdens, ac p hoc ipsa īferius potētia; at substātiæ separatę essētia nō esse principiū suo intellectui subordinatum, vel ab eo dependens, & eo esse īferius; ergo separatę substātię essentię formale principium, quo suus ītellectus intelligit nō pōt esse. Maior ità ostenditur. Alicuius forma potētiæ illi potētiæ in ratione operādi subordinatur; sed formale principium est forma, qua potētia operatur; ergo formale principiū, quo operatur potētia subordinatur illi potētię &c. Minor aūt ità suadetur. Sicut res se habēt ad esse, ità se habēt ad operari; sed intellectus substātiæ separatę secūdū suū esse actuale, à ppria pēdet essētia, cū sit eius propria passio; ergo & in operatione intellectuali, ītellectus ab ipsa depēdet essētia, illiquè subordinatur, nō autē essentia ab ipso dependet intellectu, neque illi subordinatur.

Licet ista arg. sint satis apparentia, facillimè tamen ex D. Th. doctrina ipsis responsa dabimus.

Ad primum trifariam respondemus. Primò imus inficias cōsequentis falsitatē. Et ad probationem resp. à D. Th. de veri. q. 8. at. 6. ad secundū & sextū, & art. 5. ad 4. & q. 10. art. 11. & 4. sent. d. 49. q. 1. tali distinctione. Substātiæ separatę essētia bifariā considerari potest, vnomodo in essēdo, aliomodo in intelligēdo, quo circa cōsiderando essētiā in intelligēdo (vt nos in præsenti cōsideramus) negamus illius probationis minorē, licet sit vera in essēdo. Essētia itaque substātiæ separatę in intelligēdo intellectū separatę substātię informat; nō tamen vt accidens, sed vt forma substātialis intelligibilis. Nā informare intellectū, vt intelligens est, nō cōuenit solū formę accidētali, verum etiam formę substantiali, & ideò intellectui accidit, vt accidentali forma informetur. Secundo respon. negando iterum consequentis falsitatē, & ad probationem resp. D. Th. alia distinctione. Intellectus substātię separatę duobus consideratur modis, vno, vt intellectus, alio, vt potentia. Itidē ista essentia substātiæ separatę duob. modis cōsideratur, vnomodo vt ītelligibilis, aliomodo vt substātia; essētia substātię separatæ vt ītelligibilis est in ītellectu, vt intellectus est, & ità est forma intellectus, hocq modo illius probationis minorē imus inficias. Intellectus autem, vt potentia est, est in essentia vt substātia est. Istas respōsiones sequuntur Capreolus 2. sent. d. 3. q. 2.

q. 2. ad primũ scoti cont. quintã conclusioné, & Ferra. 2. contra gent. cap. 48. Et istas distinctiones ad talé reducit distinctionem. Essentia substantiæ separatæ, eiusquè intellectus in duplici sunt genere. In genere entis, & in genere intelligibilis. Si in genere entium cõsiderentur, intellectus est in essentia tanquam accidens in proprio subiecto, & tanquam potentia in substantia, cuius est potentia; si considerentur, vt sunt in genere intelligibilium, hoc modo essentia comparatur ad intellectum, vt actus ad potentiã, & vt species intelligibilis ad essẽtiam intelligentem, non tamen sicut species inhærens, sed sicut species per se subsistens, vnũ tamẽ faciens cũ intellectu in esse intelligibili ad intelligendum, & ideò cõsequẽtia supposita in minori propositione in probatione falsitatis consequẽtis nil valet, quæ est ista, essentia intellectũ informat; ergo est eius accidens: hęc inquam consequentia nullã vim habet, quoniam vt nunc assertum est, informare intellectum per modum intelligibilis formæ non conuenit solum accidentali formæ, verum etiam substãtiali. Tertiò. Res. ad principale arg. à Caiet. 1. p. q. 54. art. 3. ante finẽ, & q. 56. art. 1. Et pro responsionis declaratione aduertendum est, duo esse munera formæ intelligibilis, quæ species intelligibilis nũcupatur. Primum est, vnire intimè obiectum cũ potentia, ac per hoc, constituere obiectũ intra potẽtiam in esse intelligibili. Hoc què est formæ propriissimum intelligibilis munus, ab ipsaquè inseparabile; & hoc munus conuenit essentiæ substãtiæ separatæ respectu proprij intellectus, propter istas causas, quia ista essentia est fons intellectus, cũ sit subsistens, & perfecta in esse immateriali: & quia est actu intelligibilis; idcircò ab ipsa fluit vis intellectiua qua intelligit respectu sui ipsius, & ideò intellectus, respectu sui ipsius, alia forma minimè eget verùm ipsa essentia actu intelligibili, cuiuscumquè speciei intelligibilis vicem supplet, & magis intimè, magisq; modificatiue, quàm quæcũq. alia species superaddita. Et propter has rationes separatæ substãtiæ essentia dicitur intelligibilis speciei vicem gerere Secundum speciei intelligibilis, seu formæ intelligibilis munus est informare intellectũ, ipsumquè perficere per inhærentis formæ modum. Hocquè munus non conuenit intelligibili formæ per se, sed per accidens, vel quia est forma accidentalis, vel quia intellectus est in pura potentia in genere intelligibiliũ, qua de re hoc munus multò, verè ab intelligibili forma remouet, quare propter essentia separatæ substãtiæ, forma intellectus esse potest absq; eo, quod ipsum informet intellectum, & absque; eò, quod sit accidens Facta ista Caiet. declaratione ad arg. formaliter respondetur, concedendo consequentiã, & negãdo cõsequẽtis falsitatem. Ad probationem maior negatur; quoniã ad hoc, vt aliquod sit formaliter intelligendi principium, non est necesse intellectũ eam informare potentiã, nec ipsi potentiæ per inhæsionem esse coniunctum; sed satis est, (vt constat ex declaratione nunc facta) vt sit illi potentiæ coniunctum, per identitatem per subsistẽtiã, & sicut fons, radix que ipsius.

Ad secundũ resp. vt ad primum. Primo admittendo primã propositioné, & negando minorem; & ad probationem damus primam, & secundam responsionem. Secundo respon. primam inficiando propositionem; Et ad probationem, Respõdet Caiet. vbi supra. Ad hoc, vt aliquid sit formale alicuius potentiæ principium, necesse est, vt illi cõiunctum sit, & hoc intendit Arist. illo in tex. verùm, esse coniunctum duob. modis cõtingit, vel per informationem, vel per modum magis intrinsecum, qui est per identitatem, & subsistentiam, hicq; modus est lõge nobilior perfectiorque primo sicut substãtia accidẽte; idcircò si primus sufficit, multo magis secundus sufficiens erit.

Ad tertiũ negatur consequẽtia, & ratio negationis est, quoniam anima, licet sit inmmaterialis, independensquè à corpore, est tamẽ in pura potẽtia

in

in genere intelligibilium, & ideò appellatur ab Arist. 3. de Anima tex. 14. tabula rasa, in qua nil est depictum; substantia autem separata est in actu in genere intelligibilium, & ideò se ipsam per seipsam intelligere potest. Anima autē nostra de potentia ad actum reducitur per species à rebus acceptas, vt docetur 3. de Anima text. 8. 9. 10. & 11. quocirca necesse est, vt seipsam intelligat per seipsam; quoniam vnumquodque eo modo fit actu in genere intelligibilium, quo modo seipsum intelligit, vt ostēsū fuit cap. præcedenti in secundo fundamento, quapropter non est eadem ratio de Anima nostra & de substantia separata.

Ad quartum bifariam respondetur. Primo secundum Caiet. 1. p. q. 12 art. 2. circa finem, & q. 79 art. 2. ad secūdā dubitationem, asserentem intelligere ad speciem intelligibilē comparari, quemadmodum esse existentiæ ad substantialem formam comparatur: adeò vt, intelligere se habeat tamquam formalis effectus speciei intelligibilis, procedendo ab ipsa, non tamquam à principio effectiuo, sed veluti (vt sic) à formali principio, & ideo secundo loco tria pulcherrima documenta colligit. Primum, Ad mentē D. Th. quol. 8. q. 2. art. 1. Intellectus noster secundum se totum ad intellectionem primò, & actiuè concurrit. Secundum est. Intellectum ad intellectionem actiue concurrere, non ex partiali ratione agendi, vt Scotus contra Arist. finxit, nec præcisè ex intelligibili specie, vt moderna ignorantia intelligit, verùm ex hoc ipso, quia est vis animalis in actu, adeò vt quia est vis animalis habet inchoatiuè, vt facta in actu sit uitus actiua, & ideò proprie loquendo intelligere nō est formaliter pati, nec formaliter agere, sed potius actiuè, passiuèque vitaliter operari. Tertium est secundi declaratiuum, reducitque ipsum ad veriorē dicendi modum, & est tale. Loquendo proprie apud sapientes, intelligere non est formaliter pati, vel agere, neque actiuè, passiuèque vitaliter operari, sed potius intelligere, est quoddam esse intelligibile per actiui, & passiui modum se habens, & ratio est, quoniam intelligere est actio immanens, actio autem immanens ad actionis prædicamētum minimè spectat, sed ad qualitatis prædicamētum: quapropter intelligere nil aliud est, nisi intelligentē esse actu intellectum; quo circa proprie loquendo intelligere non est actio, sed quoddam esse intelligibile intelligentis, ab intelligibili forma productum, non effectiue proprie, sed formaliter. Et ideò ad arg. prima ꝓpositio negat; ad ꝓbationē negatur speciem intelligibilem esse per quam intelligens intelligit, tamquam per principium effectiuum; verum formale est principium, potentiam intellectiuam constituens in suo complemento, i. suo esse intelligibili, i. in actuali cognitione, & ideò potius importat superioritas in ipsa specie, respectu potentię quam speciei subordinatio ad potentiā.

Verum Dominicus Banes 1. par. q. 56 art. 1. hanc Caiet. responsionem impugnat, non tamē expugnat, affirmans esse cōtra D. Th. multis in locis, & præcipue in citato articulo, vbi ait, sicut calor in igne est calefactionis principium, ita intelligibilis species est intellectionis principium: At constat, calorem ignis esse principium calefactionis effectiuū; ergo secundum D. Th. intelligibilis species est actiuum intellectionis principium.

Ad hoc arg. de facili respondemus duplici responsione pro Caiet. desfensione. Primo D. Th. loquitur per similitudinē, similitudo autem non in omnib. tenet. D. Th. itaquè loquitur quo ad modum, vt à Caiet. in illis trib. assertis expositum fuit. Et ita expendandæ sunt omnes aliæ auctoritates si quæ reperiūtur, & hæc dicendi subtilitas, circa ipsius intelligere naturam non potest melius explicari apud communiter addiscentes, quàm per causam effectiuam, idcircò communiter ipsam explicat per effectricem causam, apud sapientes verò ipsius intelligere naturam explicat per esse formale

male ab ipsa forma formaliter productum, quando docet intellectum in actu nihil aliud esse, nisi intellectum in actu, & intelligere aliquid, nil aliud esse, quàm esse illud in actu completo, & istæ propositiones passim in D. Thom. doctrina habentur quæ nil aliud præseferūt, nisi id omne, quod à Caietā assertum fuit, qua de re eius responsio tamquàm subtilissima doctissimaquè amplectenda est.

Secūda responsio. Prima propositio vera est, quando potētia per formam inhærentem in esse actuali operatur, non autem quando illa forma minime potentiam actuat in esse reali, seu entitatiuo, neque illi inhæret, tunc enim talis forma cum potentia concurrit, vt formale principium, non autem vt effectiuum principium, & ideò talis forma illi potentiæ minime subordinatur; immò potius super illam potentiam superioritatem habet, sicut formale principium actuans est nobilius, & eminentius, vt sic, re actuata.

Vnam Intelligentiam aliam cognoscere ad aures Arist. ostenditur. Cap. 39.

APud Metaph. difficultas est, an vna substantia separata aliam cognoscat, & de cognitionis modo. Circa hāc controuersiam, tria agenda sunt, Primo titulus est exponendus. Secundo difficultati respondendum est. Tertiò obiectis est occurrendum.

Quoad primum Considerādum est, cognitionem in duplici esse discrimine, altera est perfecta cognitio; altera verò imperfecta. Perfecta cognitio est, quādo prædicata propria, vltimequè rei differentiæ cognoscuntur. Imperfecta autem cognitio est, quando de re tantū communia, prædicata, non vltimequè differētiæ solummodo habentur, nunc sermo est de vtraq. cognitione, sed potissime de perfecta.

Quoad secundum. Resp. tali conclusione: Vna intelligentia aliam cognoscit perfectè, nedū imperfectè. Quæ conclusio ità ad mentē Arist. demonstratur. Secundū Aris. secūdo de Anima tex. 123. 143. & 3. de Anima tex 31. & 32 potentia cognoscitiua perfectè obiectum sibi proportionatum cognoscit; at secundū ipsum & Arist. quælibet intelligētia est obiectum alterius intelligentiæ proportionatum, quoniam secūdum ipsum 12. Metaph. tex. 41. & 43. omnes sūt sine materia, esse autem à materia separatum est esse intelligibile; & sicut est à materia separatum ità est intelligibile, vt asserit 3. de Anima tex. 11. ergo omnes intelligentiæ, adinuicem sunt obiecta intelligibilia proportionata; ergo vna aliam perfectè intelligit secundum Aris.

Quoad tertium. Contra hanc veritatem adsunt duo argumenta, quorum primum tale est. Docet Arist 3 de Anima text. 4. intus existens prohibere extraneum, hoc idem declarat tex. 5. & 6. affirmans, si humanus intellectus in se aliquam sensibilem, & corpoream haberet naturamn, illa natura intus existens, extranea prohiberet, & si aliquod organum alicuius potētiæ sensitiuæ aliquam determinatam qualitatem in se haberet, alias qualitates minimè cognosceret. Hoc supposito ad aures Arist. ità formatur argumentum Quemadmodū se habet humanus intellectus ad res corporeas dignoscendas, ità se habet intellectus intelligentia ad percipiendas res incorporeas, & immateriales; sed humanus intellectus in se habens corporeā naturam alia corpora nequaquam intelligere potest; ergo & intelligentia naturam immateriale in se habens alias substantias immateriales nequaquam intelligere potest; sed de facto, quælibet intelligentia habet in se immaterialem naturam, ad mentem Arist. locis adductis in conclusionis probatione; ergo vna intelligentia aliam minimè cognoscere potest. Secundum argumentum Arist. 12. Metaph. tex. 51. autumat, primā intelligētiam nil extra se intelligere; ergo ad mentem Arist. prima intelligentia seipsam

tantum

tantum intelligit, & nō alias; ergo mul to minus aliæ intelligētię alias intelligūt

Antequam respōdeamus ad primum argūm declaranda est propositio Arist. in ipso assumpta. s. intus existēs ꝓhibet &c. Pro cuius declaratione, sciendum est ex Caiet 1 p. q. 56. ar. 2. & q. 75. ar. 1. & 2. de anima locis citatis, quem sequitur Bannes 1. p. q. 56. ar. 2. duplicem esse naturā; altera est; quæ per alias naturas determinari potest; altera, quæ per alias minimè potest determinari. Propositio assūpta intelligitur de natura quæ per alias minimè determinari potest, non autem de natura quæ potest per alias determinari, vt sensus propositionis sit. Natura quæ non potest per alias determinari, intus existens alias ingredi prohibet, natura autem, quæ per alias determinari potest, existens in aliquo non prohibet extraneam. Hinc sequitur, quia corpus est natura determinata, quę per alia corpora minimè determinari potest, si in anima intellectiua existeret, secundum suū esse corporeum, alia corpora ingredi ꝓhiberet; Vnde noster intellectus alia corpora non posset intelligere, & ideò necesse est, vt noster intellectus sit ab omni mole corporea separatus: vt cōclusit Arist. tertio de aīa tex. 4. & 5. Qm̄ autem entis, & substantię naturæ sunt naturæ, quæ per alias naturas determinari possunt, idcircò istę naturæ entis, & substātiæ possunt esse intus in aliquo, & tamē extranea non prohibere; quapropter, licet anima intellectiua, substantiaquè separatæ sint substantiæ, & entia; omnia tamen entia, oēsq; intelligentias intelligere possunt. Ista propositione declarata, triplex damus responsum.

Primū responsū. Negaꝰ similitudo assumpta s. queadmodū se hēt &c. vt explanatū fuit nūc, quoniā nō est idē iudicium de corporeis, & spiritualibus.

Secundum responsum colligitur ex D. Th. 1. p. q. 56. ar. secundo, ad primum & declaratur à Caietan. & à Dominico Bannes eo loci, & tale est. Res cognoscibiles in duplici sunt differentia; quędam sunt cognoscibiles, & cognoscitiuæ simul, vt sunt intelligentię, nostraquè anima; quædam verò sunt solummodo cognoscibiles, vt sunt ista sensibilia, & corporalia. Propositio Arist. vera est de cognoscibili natura tantum, quæ intus existens extranea prohibet, nō aūt de cognoscibili natura, & cognoscitiua simul; nā talis extranea minimè ꝓhibet, & istorū ratio est, qm̄ natura cognoscibilis tm̄ est determinata, & nō pōt per alias naturas determinari. Natura aūt cognoscibilis, cognoscitiuaq; simul pōt per alias determinari, qm̄ cognoscens est non tantum seipsum, sed etiam alia, vt inferius demonstrabitur: idcircò alia non impedit, dum in alia existit, immò magis adiuuat: cum omnis cognitio secundum omnes phylosophos per assimillationē fiat, quapropter quantò aliquid cognoscibile, & cognoscitiuum simul erit magis simile alicui cognoscibili, & cognoscitiuo, tantò magis se inuicem cognoscent; & quoniam intelligentię secundū Arist. differunt sola specie, vt supra cap. 16 ostensum est, idcircò magis se inuicē cognoscunt, & hæc responsio est D. Th. loco citato, vbi asserit, naturam vnius intelligentiæ non prohibere suum intellectum à cognoscendis naturis aliarum intelligentiarum; eò quoniam tàm superiores, quàm inferiores affinitatem habent cum natura intelligentiæ intelligētis, cum in genere vltimum conueniant, differentes inter se speciebus specialissimis, ac per hoc differant inter se differentijs specialissimis, & numero differant, vt exponit Caietanus eò loci, & ideò formaliter respondetur ad argumentū. Propositionem Arist. (supra quam tota ratio fundatur) intelligendā esse de naturis cognoscibilibus tantum, cuiusmodi sunt corpora, non autem de naturis cognoscibilibus, & cognoscitiuis, vt sunt intelligētię, & ideò negaꝰ similitudo, vt assertū fuit ī primo respōso:

Tertium responsum est Fer. secundo contra gent cap 98 circa vltimam illius capitis partem, declarantis responsum iam tactum D. Thom. & tale est. Propositionem Aristot. esse intelligendam

dam in naturis materialibus propter ea eum materialitatem, & distantiam: talis enim materialis natura intus existés prohibet extraneum, non auté vera est in spiritualibus naturis, in quibus solum distinctio secundum gradum perfectionis eiusdé speciei inuenit. Hoc tñ respõsum in Caietani doctrina super propositionem adductam ex Aristot. fundatur.

Ad secundum respondemus. Intelligere aliquid extrà se, vel non intelligere, bifariam cõtingit: Vno modo, vt medium, & ratio intelligendi, & ità Deus nihil intelligit extra se, tàmquam per rationem, & intelligendi medium; quoniam illud Deũ perficeret, & ità Deus non esset ex se perfectissimus; & in isto sensu loquitur Arist. vt eo loci videre est. Alio modo et fit illud, quod intelligitur, & ità Deus non solum se intelligit, verum etiam omnia alia à se, ad menté Aristo. vt demonstrabimus in materia de cognitione Dei ad mentem Arist. in tertio libro &c.

Vnam intelligentiam aliam intelligere, non per propriam essentiam ipsius intelligentis, nec ipsius intelligentiæ intellectæ, sed per speciem additam, secundũ Aristotelem demostratur.

Cap. 40.

SCiscitatur ab ipsis methaphysicis nũ vna intelligentia aliam intelligat per essentiam propriam ipsius intelligẽtis, vel per essentiam intelligentiæ intellectæ an per additam speciem ad aures Arist.

Circa hanc controuersiam, tria agẽda sunt. Primò suadendum est, vnam intelligentiam non intelligere aliam per propriam cognoscentis essentiam, nec p propriam essentiam substantiæ cognitę. Secundò ostendendum est intelligere aliam intelligentiam per additam speciem. Tertiò obiectis occurrendum est.

Quò ad primum. Talis ponitur conclusio ad mentem Arist. Vna intelligentia aliam minimè intelligit per essentiã, vel propriam, vel ipsius cognitæ intelligentiæ. Hæc conclusio tribus suadetur rationibus.

Prima ratio hæc est. Secundum Aristo. tertio de anima tex. 8. & 36. res intellecta in actu, & intellectus sunt idem, et ideo in tex. 8. ità cõtestatur. *Cum autem, scilicet intellectus, sic singula fiat*, fit ergo intellectus ipsa intelligibilia: quod autem fit aliquid est illud: & in tex. 36. ita scribit: *Omnino autem intellectus secundum actum intelligens res est ipse.* Hæc verba ità exponuntur à D. Thom. & Commentato. tertio de Anima Commento quinto, docet animam non ita cognoscibilia recipere, vt ex eis compositum fiat; sed anima efficitur ipsum cognoscibile; at vna intelligentia reipsa ab alia distinguitur secundũ Arist. quoniã (vt assertum fuit supra cap. 16.) numero inter se distinguuntur, & ideo, vna non est alia; ergo vna intelligentia aliam nõ cognoscit per essentiam, siuè propriam, siuè cognitæ intelligentiæ.

Secunda ratio probat in speciali, vnã superiorem intelligentiam non intelligere aliam per substantiam intelligentiæ inferioris cognitæ, talisquè est. Intellectum est perfectio intelligentis, & est Arist. duodecimo meth. tex. 51. iuxta interpretationem D. Thom. & Commeeo loci, & ideò Aristo. iuxta text. D. Th. appellat intelligibile, aliquod principale respectu intellectus, & aliquid dignius quàm intellectus, & iuxta textum Comm. appellat ipsum intelligibile dominum: at intelligentia inferior non est aliquid dignius, vel quid principale, quàm sit superior intelligentia, vel domina intelligentiæ superioris: ergo inferior intelligentia non potest esse ratio secundum se superioris intelligentiæ, vt per suam substantiam à superiori intelligatur substantia. Hoc loci aduertendum est sermonem Arist. in prima propositione

positione esse intelligendum de intelligibili, quod se habet vt ratio, seù vt mediū intelligendi. Ità exponunt D. Thom. & Comm.

Tertia ratio probat nullam intelligētiam, siuè superiorem, siuè inferiorem, intelligere aliam, (quæcūquè illa sit) per essentiam intelligentiæ cognitæ, siuè superioris, siuè inferioris, & est talis. Omne operans, & agens agit, & operatur p formam sibi inhærentem, vt probat Aristo. secundo physic. tex. 15. sed vna intelligentia non potest esse alterius forma, cum vnaquæquè habeat esse distinctum ab alia, vt nunc fuit assertum; ergo vna intelligentia nō intelligit aliam per substantiam, vel cognoscentis, vel cognitæ. Hancquè doctrinam tradit D. Tho. secundo, contrà gen. cap 98. & de ver. q. 8. art. 7.

Quò ad secundum ponitur talis conclusio. Vna intelligentia aliam intelligit per speciem intelligibilem connaturalem superadditam; hæcquè conclusio vnica ostenditur ratione, quæ hæc est. Dum vna intelligentia aliam intelligit, aut illam intelligit per essentiam ipsius intelligentis, aut per essentiam intelligētię cognitæ, aut per speciem acquisitam, aut per speciem connaturalem; non enim datur aliud membrum, non per essentiam substantiæ intelligentis, nec per essentiam rei cognitæ, vt nunc probatū est, nec per speciem acquisitam, vt ostensum est suprà cap. 30 & 31. ergo à sufficienti diuisione, huiusmodi intellectio fit per superadditas species intelligibiles connaturales.

Quoad tertium. Contrà hanc veritatem quinquè adducuntur argumenta.

Primum argumentum. Ait Arist. duodecimo meth. tex. 51. In separatis à materia sunt idem intellectus, & id quod intelligitur. Cuius verba ista sunt. *Non altero igitur existente eo, quod intelligitur, & intellectu, quæcunquè non habent materiam.* Hoc idem docet tertio de anima tex. 18. asserens. *In his, quę sunt sine materia idem est intellectus, & quod intelligitur:* ergo ratio intelligendi, seù mediū per quod fit intellectio est idem in separatis à materia. Consequutio probatur; quoniam Arist. iuxtà interpretationem D. Th. & Comm. eo loci, per id, quod intelligitur denotatur ratio, & medium intelligendi, vt nunc assertum est. Tunc vltrà, sed per Aristo. intelligentiæ sunt à materia separatæ, vt pluries fuit demonstratum, ad mentem Aristo. ergo omnes intelligentiæ per suam essentiam, tamquam per medium, seu rationem intelligendi intelligunt.

Secundum argumentum. Vt docet Aristot. tertio de anima text. 8 & tex. 16. Hac de causa videntur poni species intelligibiles; quia substantiæ sensibiles, & materiales non sunt actu per essentiam intelligibiles, quocirca necesse est, vt fiāt intelligibiles, actuquè intelligantur per species ab ipsis abstractas; at intelligentiæ sunt actu intelligibiles per suas essentias: ergo non est necesse, vt per species intelligibiles intelligantur.

Tertium. Lux sensibilis, & corporea, eò quoniam est actu visibilis per semet ipsam, actu etiam videtur absquè media specie, & maximè videretur, si per se esset subsistens; ergo intelligentiæ substantia, cum sit per se subsistens, & actu intelligibilis ad mentem Arist. vt pluries fuit demōstratum, & præcipuè ex textibus in primo argumento adductis, cum omnes sint sine materia, per se absquè media specie intelligitur.

Quartum. Substātia superioris intelligentię est immaterialior, & actualior, quàm essentia inferioris etiam in esse intelligibili: ergo essentia intelligentiæ superioris potest vniri intellectui īferioris in esse intelligibili, ac ideò intelligentia inferior intelligentiam superiorem per ipsius intelligentię superioris essentiam intelligere poterit.

Quintum. Intelligentia per eandem speciē, qua aliquod genus intelligit, omnes etiam naturas specificas illius generis intelligit; at quælibet intelligentia p propriam essentiam, tàmquam per intelligibilem speciem, omnium genus intel

ligen-

Primum fundm̄ ad aures Arif. eſt hoc. Subſtantię ſeparatę ad mẽtẽ Ariſ. quãto ſunt ſuperiores, tãto ſunt Deo ſimiliores, tùm in perfectione intelligẽdi, tùm in modo intelligẽdi; qđ quidẽ fundamẽtũ colligitur ex Ariſ. doctrina; nam 12. Me t. tex 44. concludit Ariſt. ĩlã ſubſtantiã ſeparatã eſſe primã, quæ primũ orbẽ mouet, & ſecũ. lã, q̃ ſm. & ità de alijs ſubſtãtijs alios orbes mouẽtib. Vñ ità ſcribit: *q, quidẽ ergo ſint ſubſtãtiæ, & harũ q̃ potẽtia ſcd̃m ordinẽ eũdẽ lationib. aſtrorũ Palam.* Hæc Ariſ. & iſte ordo proculdubio attẽditur penes naturę perfectionẽ; adeò vt ſubſtãtia, quæ primũ orbẽ mouet, ſit nobilior illa, quæ mouet ſecũdũ, & ſecunda eſt nobilior illa, quæ tertiũ mouet, & ita de alijs, & hanc veritatem expreſſe docet D. Tho. eò loci, qui ità aſſerit in illius Cõmẽti fine. Et cum corpora cęleſtia ſint quaſi inſtrumenta ſubſtantiarũ ſeparatarũ mouẽtiũ ſequitur, quod ſubſtantia, quæ mouet ſuperiorẽ orbẽ, ſit vniuerſalioris conceptionis, & virtutis; hãc eãdẽ veritatẽ explanat Cõ ſupradicto Com. ità ſcribẽs; prioritas. n. ĩ loco eorũ, & ĩ magnitudine, facit eos priores ĩ nobilitate. Hæc Com. Qua de re, quãto ſubſtãtia ſeparata erit ſuperior, tãtò erit nobilior, & pfectior, & iõ ſimilior Deo maximè intelligenti, tùm in intelligendo, tùm in modo intelligendi, & ità primum fundamentum, conſpicuum eſt.

Secundũ fundm̄. Secũdum Ariſ. ſubſtantiæ ſeparatæ quãto ſunt Deo ſimiliores, tãtò per pauciores intelligũt ſpecies. Hoc fundm̄ ex duplici tex. oſtenditur eſſe ad mẽtẽ Ariſ. Primus eſt. 51. 12. Met quo in loco oſtendit Ariſt. Deũ intelligere q̃ qđ ĩtelligit per ſeipſum, hoc eſt per ſuã eſſentiã, & cũ ſit vna in fine Met. ità cõcludit: vnus ergo Princeps, idcircò neceſſario cõſequitur Deũ oĩa per vnũ intelligere, qua de re optimè ẽt cõſequitur, illũ intellectũ eẽ Deo ſimiliorẽ, q oĩa per pauciora diſtinctè intelligit, q̃ q per plura; qm̄ quidẽ minor paucitas eſt vnitati propinquior, & ſimilior, quàm multitudo. Secundus tex. eſt tex. 44. ex quo colligitur hæc veritas, quãtò aliqs intellectus ẽ ſuperior, tãto eſt pfectior, & qm̄ virtus vnita eſt maior, & perfectior ẽt ſeipſa, cũ indiuiſibilitas ſit de rõne perfectionis, vt docet Commẽ. 7. Phiſ. Com. 18. & ideò, quãtò aliquis intellectus eſt perfectior, tãtò eſt magis vnitus, at intellectus eſt magis vnitus, q eſt minus per ſpecies intelligibiles diuiſus ad intelligẽdũ, quã q per plures ſpecies, & ideo quãto aliquis intellectus eſt perfectior, tãtò eſt per pauciores ſpecies diuiſus, per illaſq; pauciores intelligit; quãto aũt eſt pfectior, tãto eſt Deo ſimilior, quapp de primo ad vltimũ quãto ſubſtãtia ſeparata eſt Deo ſimilior tãto p pauciores ſpecies ĩtelligit. Hæc de 2. do.

Quo ad tertium. Concluſio tñ̄ dẽs hęc eſt. Ad aures Ariſ. quãtò ſubſtantiæ ſeparatæ ſuperiores ſunt, tãtò per ſpecies vniuerſaliores intelligũt, q̃ facillimè ex pręiactis fundamẽtis ſuadetur hũc in modum. Quantò ſubſtãtiæ ſeparatę ſunt Deo ſimiliores, tãto per pauciores ĩtelligũt ſpecies. Hæc propoſitio ex ſecũdo fundamẽto nota eſt; at ſubſtãtiæ ſeparatæ quãtò ſunt ſuperiores, tãtò ſunt ſimiliores Deo, vt ex primo cõſtat fundamẽto: ergo ſubſtãtiæ ſeparatæ quãto sũt ſuperiores, tãto per ſpecies pauciores intelligũt; ſed oĩa nõ poſsũt intelligi p ſpecies pauciores niſi ſint vniuerſaliores, plura actu repñ̄ſentãtes, vt de ſe cõpertiſſimũ ẽ; ergo ſubſtantiæ ſeparatæ quantò ſunt ſuperiores, tantò per uniuerſaliores ſpecies intelligunt. Hæc de tertio.

Quò ad quartũ. Cõtra hãc veritatẽ sũt duo argumẽta, quorũ primũ ẽ. Vniuerſale à particularib. abſtrahit, vt innuit Ariſ. 2. de Aĩa tex. 8. affirmãs, vniuerſale eẽ qđ poſteriꝰ re ĩ natura rerũ exiſtẽre, q iõ ẽ; qm̄ vniuerſale formaliter fit ab ipſo ĩtellectu, ſpecies vniuerſales ab ipſis reb. abſtrahẽte, ſed vt probatũ fuit ſuperius c. 71. ſubſtãtię ſeparatę à reb. cognitionẽ minimè accipiũt; ergo p vniuerſales nõ ĩtelligũt ſpecies. Rñ̄detur negãdo primã propoſitionẽ vniuerſaliter; qm̄ ſolummodo vera eſt de vniuerſali ſpecie intellectus, qui à rebus cognitionem accipit, cuiuſmodi eſt noſter intellectus, & hoc

hoc modo intelligẽdus est Arist. minimè autem vera est de intellectu à rebus nequaquã cognitionem accipiente, qualis est intellectus substãtiæ separatæ. Tale enim vniuersale, non est rebus posterius, sed ante res, saltem secundum naturæ ordinem.

Secũdum. Docet Arist. 1. Phis. tex. 3. & 4 vniuersaliora esse confusiora, ex consequẽti vr; cognitionẽ quæ est per vniuersaliores species esse imperfectiorẽ, at substãtię superioris cognitio nõ est imperfectior cognitione substãtiæ inferioris; ergo cognitio substãtię superioris nõ vr esse per species vniuersaliores. Rñdetur vniuersalius dr duob. modis, altero modo ex parte rei cognitę, & ità obiecta vniuersaliora cognita in prędicãdo sunt cõfusiora, & hoc pacto Arist. loco citato intelligendus est; altero modo ex parte medij cognoscẽdi, & ità falsũ est, media cognoscẽdi vniuersaliora (quales sunt species intelligibiles) esse confusiora, & imperfectiora, imò sunt pfectiora, & magis distincta, & ità nos intelligimus.

Substantiæ separatæ semper actu intelligunt secundum Aristo. doctrinam. Cap. 35.

HOc in loco disputandũ est, an secũdum Arist. substãtię separatę semp actu intelligãt. Circa hãc difficultatẽ quatuor agẽda sũt. Primo difficultatis titul⁹ declarãdus est. Secũdò q̃dã fundamenta iaciẽda sũt. Tertiò difficultati rñdẽdũ ẽ. Quartò argumẽtis est satisfaciẽdũ.

Quò ad primũ. Primò cõsiderandũ est, nos sermonem habere de actu, tàm primo quã secundo, qui actus secundus est operatio. Secundo considerandũ est duplicẽ sensum habere posse huius difficultatis titulũ, alter nũ substantia separata semper actu intelligat oĩa, alter nõ quia actu oĩa intelligat, sed quia semper est in vna aliqua consideratione; & iste sensus intẽtus est, & ideo sensus difficultatis est, an substantiæ separatæ semper in aliqua cõsiderõne sint. Hęc de primo.

Quò ad secundum. Duo fundamẽta in Arist. doctrina notissima iacienda sunt. Primũ est, Cęli motũ esse ęternũ, causatũque ab ęterna substãtia. Hoc fundm̃ habetur octauo Phis. de gñatione, de Cęlo, & etiam in 12. Met. tex. 30. & 34.

Secundũ fundm̃ est. Substãtiæ separatæ scdm Arist. per intellectũ Cęlũ mouẽt. Hoc fundm̃ docet Arist. 12. Met. tex. 26. vbi docet primum mouens absolutè (quẽ postmodũ Deũ appellat tex. 39.) Mouere substãtias mouẽtes, vt appetibile, & intelligibile dicẽs: *Mouet aũt sicut appetibile, & intelligibile.* Hæc Arist. ex cõsequenti, alias separatas substãtias p intellectũ, & voluntatẽ mouer, adeò vt explicat D. Th. in dicto textu, motus Cęli est causatus à substãtijs, orbes p intellectũ, & appetitũ mouẽtibus pp ipsum primũ mouẽs sicut pp finẽ. Secũdo probatur. Hoc fundm̃ ad mẽtem Arist. ex his, quę explanata sunt sup. c. 29. etenim ibi assertũ fuit in substãtijs separatis nõ esse nisi cognitionẽ intellectiuam, nullo aũt modo sensitiuã. Demonstratũ est ẽt organũ corporale nequaquã in eis reperiri, ex quibus ità arguitur; Corpora Cęlestia à substãtijs mouent separatis, vel per organũ corporale, vel per sensum, vel per intellectũ, & intellectualẽ appetitũ; nõ per primũ, & secundũ, vt demõstratũ est; ergo per tertiũ, quod est intentum. Hæc de secundo.

Quò ad scdm. Cõtrouersie tali cõclusione rñdetur. Ad mẽtẽ Arist. substãtię separatę sẽper sunt in aliqua intellectus operõne; q̃ cõclusio triplici suadetur rõne, & prima fundatur sup. duobus pręiactis fundamẽtis. Qñ effectus est cõtinuus, & ęternus, illius ẽt cã est cõtinua; & ęterna. Hæc propositio colligitur ex 2. Phis. & 5. Met. tex. 3. & in particulari de motu manifestè hẽtur ista ppositio 12. Met. tex. 34. At intelligere substãtiæ separatę est cã continui, ęterniq; motus, vt cõstat ex fundamẽtis iactis; ergo & intelligere substãtiæ separatę continuum, ęternumquè est.

Secunda ratio. Quod aliqñ operatur, & aliquando non operatur mouetur,

tur, vel per se, vel per accidens. Hęc propositio colligitur ex 8. Phis. text 51. quo in loco, Arist. ostē in aīalia ex se qñ què moueri, qñq; verò quiescere, quatenus ipsorum motor ab aliquo qñ; mouet, qñ; non mouetur. Tunc alia subsumitur propositio; sed substantiæ separatæ non mouentur per se, nec per accidens, vt docet Arist. 8. Phis. tex. 12. affirmans, intelligentiam primi orbis non moueri per accidens, nec per se, sed intelligentiæ alios orbes mouentes, sunt eiusdem rationis cum intelligentia primum orbem mouente; ergo omnes intelligentiæ orbibus applicatæ non mouentur per se, nec per accidēs, vt docet D. Th. ad mentem Arist. 1. sent. d. 37. q. 4. ar. 1. ad quartum & 2. sent. d. 8. q. 1. art 4. ad quartum, & 1. p. q. 51. a. 3. ad tertiū; ergo substantiæ separatæ semper operantur; sed ipsarum operatio est intelligere, & velle; ergo semper intelligunt, & volunt.

Tertia ratio. Aris. 3. de Anima tex. 16. apertè contestatur nostrū intellectū nō semper intelligere, quia in potētia est; ergo ille intellectus, qui est in actu semper intelligit; at intellectus substātiæ separatæ est in actu, vt ex assertis notum est; ergo semper intelligit. Prima consequētia constat ex illa regula posterioristica: si affirmatio est vera affirmationis causa, negatio causa negationis erit. Hæc de tertio.

Quò ad quartum. Arguitur supponēdo Cęli intelligentiam esse aīam informantem. (Nam vtrāquè partem lib. 1. c. 53 defendimus) hoc supposito, tale conficitur argumentum. Aris. 2. de Aīa tex. 6. in diffinitione aīę docet, Aīam esse actum primum, quod dictum à pluribus expositoribus exponitur, animam esse actum primum, inseparabilem à secūdo; ergo &c. Respondet Caie. eò loci duob. modis. Primo hūc in modum Illam diffinitionem conuenire aiæ non repugnāter, non aūt positiuè: quæ aūt alicui subiecto conueniūt non repugnanter, nō est necesse conuenire omni sub illo cōtento; verū satis est aliquib. cōuenire. Vide Caiet. ibi. Secundo rñdet illam aīæ diffinitionē solūmodo dari de Aīa horum inferiorū, vt ex ipso tex conspicuū est; nam ibi Aīam diffinit, per esse corporis organici actum, modò autem, vt demonstratum est sup. c. 29. corpus cęleste minimè organicū est, quadere illa animæ diffinitio de horum inferiorum animabus solummodo datur.

Substantiam separatam seipsam intelligere ad mentem Arist. ostenditur. Cap. 36.

Difficultas etiā est, an ad mentem Arist. substantia separata seipsam intelligat. Circa hāc difficultatē duo agenda sunt. Primo difficultati rñdendū est. Secundò obiectis est satisfaciendū.

Quò ad primum ità difficultati rñdeo substantia separata seipsam intelligit. Hęc conclusio trib. suadetur rationib. ex Aris. collectis.

Prima rō. Aristo. 3. de Anima tex. 8. affirmat clarissimè, intellectū in actu posse seipsum intelligere. Et licet loquatur de nostro intellectu, & non de substantia separata; attamē quia eadē est rō immo maior, de substantia separata, q̃ de nr̃o intellectu, ideo multo magis vera est de intellecta stubātię separatę. Nā intellectus noster hāc habet pfectionē, vt in actu factus seipsū intelligat; multò magis separata substātia hāc habebit perfectionē, quę est nostro intellectu lōgè nobilior; idcircò illa propositio est vniuersaliter vera ad mentē Aris. Tunc subsumitur minor propositio, at separata substantia est intelligibilis in actu, vt ostensum est supra c. 28. ad aures Arist. ergo &c.

Secunda ratio. Aris. 2. de Aīa tex. 60. inter sentire in actu, & considerare in actu, discrimen ponit; nam sentiens nō potest sentire qñ vult, cum habeat sensibilia extra se, considerans autem quia habet intra se intelligibilia potest considerare, & intelligere, quando vult; at vt suasum est in supradicto capite, substātia separata est in actu intelligens, & ipsamet

famet est actu intelligibilis; ergo est vult potest seipsam considerare.

Tertia ratio alijs fortior. Ait Arist. 3. de Anima tex. 15. *In separatis à materia idem est intellectus, & quod intelligitur.* sed substantiæ intelligibiles sunt à materia separatæ per Aris. 12. Met tex. 30. ergo in ipsis idem est intellectus, & quod intelligitur; sed ipsamet substantia separata est intelligēs ad mentē Aris. vt sup. c. 18. demonstratū est; ergo ipsamet est illa, quæ intelligit procul dubio à seipsa.

Et confirmantur istę rationes per Aristo. 3. de Anima tex. 8. affirmantem, intellectum in actu seipsum intelligere posse.

Quò ad secundum. Contra hanc veritatē sunt duo argumenta ex Arist. excerpta. Primum; secundum Aris. primo post. c. 23. *sentire est singularium, intelligere verò vniuersalium*; at substātia separata est res singularis; quoniam agit, & actiones sunt singularium, vt ipsemet docet in prohęmio Met. ergo separata substantia non cognoscitur, nisi per sensum; sed in ipsis separatis non est cognitio sensitiua, vt ostensum fuit ad mentem Aris. c. 29. ergo &c. Ad hoc bifariā respōdetur. Primò singulare est duplex, alterum materiale, & alterum immateriale, propositio Aristotel. vera est de singulari materiali, eò quoniam cum sit materiale, non potest à nostro intellectu directè cognosci, cum abstrahēdo à singularib. cognoscat, singulare autem immateriale potest cognosci ab intellectu. Secūdò respondetur Aris. habere sermonem de nr̄a cognitione, vt conspicuum est illum textum intuenti.

Secūdū argm̄. Per Aris. 3. de Aīa, intelligere est quoddam pati, quadere intellectus mouetur ab intelligibili; at nihil mouetur, aut patitur à seipso; ergo separata substantia seipsam intelligere minimè pōt. Duob. modis rñdet Primo motus est duplex Phys. & Metaphy. secūda propositio vera est de motu Phis. nō aūt Metaphisico; modo aūt cōpertissimū est intelligere esse motū Metaphisicum. Secūdò respondetur intellectus est in duplici differētia; quidā est in potētia vt est noster, cuius intelligere est pati ab obiecto, ab ipsoquè moueri; quidā vero est in actu, vt est intellectus substantię separatæ, præcipuè respectu sui, & iste intellectus non propriè ab obiecto patitur, huiusquè intelligere non est pati; idcircò Aristo. propositio vera est, de nostro intelligere, non autem de intelligere substantiæ separatæ. Vide Diu. Thom. prima par. q. 66. ar. 1.

Substantiæ separatæ ad aures Aristot. intelligunt seipsas per seipsas. Cap. 37.

HOc in loco necessario quęrendum est, an medium, per quod substantia separata seipsam intelligit, sit propria essentia, vel species superaddita.

Circa hāc difficultatē tria sunt agēda. Primò, quędā fundamēta ponēda sunt ad aures Aris. Secūdo rñdendū est difficultati. Tertio argumēta diluenda sunt.

Quò ad primum, duo fundamenta sunt ponenda. Primum fundamentum. Illud quod in gn̄e intelligibilium se habet vt forma intelligibilis subsistens, intelligit seipsum per seipsum: hoc fundamentum demōstratur auctoritate Aris. 3. de Anima text. 15. ita contestantis. *In his enim, quæ sunt sine materia, idem est intellectus, & quod intelligitur.* horū verborum sensus est. In separatis à materia idem est intelligens, & id per quod intelligit, quod nuncupatur, id qđ intelligitur; quia id per qđ intelligens intelligit, est ēēd. qđ intelligit, vel tanq̄ quo, respectu aliorum, vel tanquā qđ, respectu sui: tunc vltra sed intelligens est substantia intelligētis; ergo id, per quod intelligit est substantia; sed separata à materia sunt per se subsistentia in gn̄e intelligibilium iuxta Aris. 12. Met. tex 43. & 44. quo in loco separata à materia nuncupantur substantiæ (ex consequenti, per se subsistentes) sempiternæ, immobiles & sine magnitudine. Hanc interpretationem docet D. Thom. 3. de Anima

M 4 tex.

est in ᵛ'᷎ ... actionis principiū, si itaque substātię separatę esſētia est id, p quod substātia separata ītelligit, tūc esſētia intelligibilis obiecti rationē habebit, ex cōsequēti erit ipsi intellectui vnita, tāquā formale principiū, quod erat probādū. Consequentis aūt falsitas ità ostenditur. Illud qd est formale potētię principiū, quo potētia operatur ipsā īformat potētiā, ac p hoc est eius accidens; at separatę substantię esſētia minimè est accidens, neq. ipsū ītellectū informat, immò totū est oppositū; nā eius intellectus, vt demōstratū fuit sup. c. 24. 25. & 26 est accidens, substātię separatę esſētiā informans; ergo esſētia substātię separatę nequaquā principiū formale, quo, intellectionis esse potest, quod suadendum erat.

Secūdū arg. Docet Arist. 2. de Anima tex. 34. Animā esse corporis actū, eò qa est principiū quo viuimus, sentimus, intelligimus &c. Idcirco ad aures Arist. nil potest esse ratio, seu forma agēdi, nisi sit informans ipsū; at substātię separatę esſētias. Secūdū Ari. non pōt esse forma ipsius intellectus informans, cū secūdū ipsū esſētia substātię separatę sit per se subsistens ad aures ipsius, quod autem est per se subsistens nequaquam forma informans esse potest.

Tertiū Anima nostra p suā esſētiā minimè ītelligit, sed per species acquisitas, vt probatū fuit superius c. 28. & tamē est immaterialis p se subsistens, à materia minime depēdens, sēperq. ītellectui vnita, sicut etiā esſētia substātię separatę, vt docet Arist. 3. de Anima tex. 19. ergo pari passu substātia separata seipsā p esentiā minimè ītelligit. Scotus his motus arg. sustinuit partē nostrę sētētię oppositā.

Quartū argu. formale principiū quo aliqua potētia operatur est illi potentiæ subordinatū, ab ipsaq. potētia depēdens, ac p hoc ipsa īferius potētia; at substātiæ separatę esſētia nō esse principiū suo intellectui subordinatum, vel ab eo dependens, & eo esse īferius; ergo separatę substātię esentię formale principium, quo suus ītellectus intelligit nō pōt esse. Maior ità ostenditur. Alicuius forma potētiæ illi potētiæ in ratione operādi subordinatur; sed formale principium est forma, qua potētia operatur; ergo formale principiū, quo operatur potētia subordinatur illi potētię &c. Minor aūt ità suadetur. Sicut res se habēt ad esse, ità se habēt ad operari; sed intellectus substātiæ separatę secūdū suū esse actuale, à ppria pēdet esſētia, cū sit eius propria passio; ergo & in operatione intellectuali, ītellectus ab ipsa depēdet esſētia, illiquè subordinatur, nō autē essentia ab ipso dependet intellectu, neque illi subordinatur.

Licet ista arg. sint satis apparentia, facillimè tamen ex D. Th. doctrina ipsis responsa dabimus.

Ad primum trifariam respondemus. Primò imus inficias cōsequentis falsitatē. Et ad probationem resp. à D. Th. de veri. q. 8. ar. 6. ad secundū & sextū, & art. 5. ad 4. & q. 10. art. 11. & 4. sent. d. 49. q. 1. tali distinctione. Substātiæ separatę esſētia bifariā considerari potest, vnomodo in esſēdo, aliomodo in intelligēdo, quocirca cōsiderando esſētiā in intelligēdo (vt nos in præsenti cōsideramus) negamus illius probationis minorē, licet sit vera in esſēdo. Esſētia itaque substātiæ separatę in intelligēdo intellectū separatę substātię informat; nō tamen vt accidens, sed vt forma substātialis intelligibilis. Nā informare intellectū, vt intelligens est, nō cōuenit solū formę accidētali, verum etiam formę substantiali, & ideò intellectui accidit, vt accidentali forma informetur. Secundo respon. negando iterum consequentis falsitatē, & ad probationem resp. D. Th. alia distinctione. Intellectus substātię separatę duobus consideratur modis, vno, vt intellectus, alio, vt potentia. Itidē ista essentia substātiæ separatę duob. modis cōsideratur, vnomodo vt ītelligibilis, aliomodo vt substātia; esſētia substātię separatæ vt ītelligibilis est in ītellectu, vt intellectus est, & ità est forma intellectus, hocq modo illius probationis minorē imus inficias. Intellectus autem, vt potentia est, est in essentia vt substātia est. Istas respōsiones sequuntur Capreolus 2. sent. d. 3. q. 2.

q.2.ad primũ Scoti cont. quintã conclusioné, & Ferra.2 contra gent.cap.48. Et istas distinctiones ad talé reducit distinctionem. Essentia substantiæ separatæ, eiusquè intellectus in duplici sunt genere. In genere entis, & in genere intelligibilis. Si in genere entium cõsiderentur, intellectus est in ea, non tamquam accidens in proprio subiecto, & tanquam potentia in substantia, cuius est potentia; si considerentur, vt sunt in genere intelligibilium, hoc modo essentia comparatur ad intellectum, vt actus ad potentiã, & vt species intelligibilis ad essẽtiam intelligentem, non tamen sicut species inhærens, sed sicut species per se subsistens, vnũ tamẽ faciens cũ intellectu in esse intelligibili ad intelligendum, & ideò cõsequẽtia suppofita i minori propositione in probatione falsitatis consequẽtis nil valet, quæ est ista, essentia intellectũ informat; ergo est eius accidens: hęc inquam consequentia nullã vim habet, quoniam vt nunc assertum est, informare intellectum per modum intelligibilis formæ non conuenit solum accidentali formæ, verum etiam substãtiali. Tertiò. Res. ad principale arg. à Caiet. 1. p.q.54.art.3 ante finé, & q.56.art.1. Et pro responsionis declaratione aduertendum est, duo esse munera formæ intelligibilis, quæ species intelligibilis nũcupatur. Primum est, vnire intime obiectum cũ potentia, ac per hoc, constituere obiectũ intra potẽtiam in esse intelligibili. Hoc què est formæ propriissimum intelligibilis munus, ab ipsaquè inseparabile; & hoc munus conuenit essentiæ substãtiæ separatæ respectu proprij intellectus, propter istã causas, quia ista essentia est fons intellectus, cũ sit subsistens, & perfecta in esse immateriali: & quia est actu intelligibilis; idcircò ab ipsa fluit vis intellectiua qua intelligit respectu sui ipsius, & ideò intellectus, respectu sui ipsius, alia forma minimè eget verùm ipsa essentia actu intelligibili, cuiuscumquè speciei intelligibilis vicem supplet, & magis intime, magisq; modificatiue, quàm quæcũq. alia species superaddita.

Et propter has rationes separatæ substãtiæ essentia dicitur intelligibilis speciei vicem gerere. Secundum speciei intelligibilis, seu formæ intelligibilis munus est informare intellectũ, ipsumque perficere per inhærentis formæ modum. Hocquè munus non conuenit intelligibili formæ per se, sed per accidens, vel quia est forma accidentalis, vel quia intellectus est in pura potentia in genere intelligibiliũ, qua de re hoc munus multoties ab intelligibili forma remouet, quapropter essentia separatæ substãtiæ, forma intellectus esse potest absq; eo, quod ipsum informet intellectum, & absque; eò, quod sit accidens. Facta ista Caiet. declaratione ad arg. formaliter respondetur, concedendo consequentiã, & negãdo cõsequentis falsitatem. Ad probationem maior negatur; quoniã ad hoc, vt aliquod sit formaliter intelligendi principium, non est necesse intellectiuam informare potentiã, nec ipsi potentiæ per inhæsionem esse coniunctum; sed satis est, (vt constat ex declaratione nunc facta) vt sit illi potentiæ coniunctum, per identitatem per subsistẽtiã, & sicut fons, radix que ipsius.

Ad secundũ resp. vt ad primum. Primo admittendo primã propositioné, & negando minorem; & ad probationem damus primam, & secundam responsionem. Secundo respon. primam inficiando propositionem: Et ad probationem, Respõdet Caiet. vbi supra. Ad hoc, vt aliquid sit formale alicuius potentiæ principium, necesse est, vt illi cõiunctum sit, & hoc intendit Arist. illo in tex. verùm, esse coniunctum duob. modis cõtingit, vel per informationem, vel per modum magis intrinsecum, qui est per identitatem, & subsistentiam, hicquè modus est lõge nobilior perfectiorque primo sicut substãtia accidẽte; idcircò si primus sufficit, multo magis secundus sufficiens erit.

Ad tertiũ negatur consequẽtia, & ratio negationis est, quoniam anima, licet sit inmmaterialis, independensquè à corpore, est tamẽ in pura potẽtia

in

in genere intelligibilium, & ideò appellatur ab Arist. 3. de Anima tex. 14. tabula rasa, in qua nil est depictum; substantia autem separata est in actu in genere intelligibilium, & ideò se ipsam per seipsam intelligere potest. Anima autẽ nostra de potentia ad actum reducitur per species à rebus acceptas, vt docetur 3. de Anima text. 8. 9. 10. & 11. quocirca necesse est, vt seipsam intelligat per seipsam; quoniam vnumquodque eo modo fit actu in genere intelligibilium, quo modo seipsum intelligit, vt ostẽsũ fuit cap. præcedenti in secundo fundamento, quapropter non est eadem ratio de Anima nostra & de substantia separata.

Ad quartum bifariam respondetur. Primo secundum Caiet. 1. p. q. 12 art. 2. circa finem, & q. 79 art. 2. ad secũdã dubitationem, asserentem intelligere ad speciem intelligibilẽ comparari, quemadmodum esse existentię ad substantialem formam comparatur: adeò vt, intelligere se habeat tamquam formalis effectus speciei intelligibilis, procedendo ab ipsa, non tamquam à principio effectiuo, sed veluti (vt sic) à formali principio, & ideo secundo loco tria pulcherrima documenta colligit. Primum, Ad mentẽ D. Th. quol. 8. q. 2. art. 1. Intellectus noster secundum se totum ad intellectionem primò, & actiuè concurrit. Secundum est. Intellectum ad intellectionem actiue concurrere, non ex partiali ratione agendi, vt Scotus contra Arist. finxit, nec præcisè ex intelligibili specie, vt moderna ignorantia intelligit verùm ex hoc ipso, quia est vis animalis in actu, adeò vt quia est vis animalis habet inchoatiuè, vt facta in actu fit vitus actiua, & ideò proprie loquendo intelligere nõ est formaliter pati, nec formaliter agere, sed potius actiuè, passiuèquè vitaliter operari. Tertium est secundi declaratiuum, reducitquè ipsum ad veriorẽ dicendi modum, & est tale. Loquendo proprie apud sapientes, intelligere non est formaliter pati, vel agere, neque actiuè, passiuèquè vitaliter operari, sed potius intelligere, est quoddam esse intelligibile per actiui, & passiui modum se habens, & ratio est, quoniam intelligere est actio immanens, actio autem immanens ad actionis prædicamẽtum minimè spectat, sed ad qualitatis prædicamẽtum: quapropter intelligere nil aliud est, nisi intelligentẽ esse actu intellectum; quocirca proprie loquendo intelligere non est actio, sed quoddam esse intelligibile intelligentis, ab intelligibili forma productum, non effectiue proprie, sed formaliter. Et ideò ad arg. prima ꝓpositio negatur; ad ꝓbationẽ negatur speciem intelligibilem esse per quam intelligens intelligit, tamquam per principium effectiuum; verum formale est principium, potentiam intellectiuam constituens in suo complemento, i. suo esse intelligibili, i. in actuali cognitione, & ideò potius importat superioritas in ipsa specie, respectu potentię quam speciei subordinatio ad potentiã.

Verum Dominicus Bannes 1. par. q. 56 art. 1. hanc Caiet. responsionem impugnat, non tamẽ expugnat, affirmans esse cõtra D. Th. multis in locis, & præcipue in citato articulo, vbi ait, sicut calor in igne est calefactionis principium, ita intelligibilis species est intellectionis principium: At constat, calorem ignis esse principium calefactionis effectiuũ; ergo secundum D. Th. intelligibilis species est actiuum intellectionis principium.

Ad hoc arg. de facili respondemus duplici responsione pro Caiet. deffensione. Primo D. Th. loquitur per similitudinẽ, similitudo autem non in omnib. tenet. D. Th. itaquè loquitur quo ad modum, vt à Caiet. in illis trib. assertis expositum fuit. Et ita expendendæ sunt omnes aliæ auctoritates si quæ reperiũtur, & hæc dicendi subtilitas, circa ipsius intelligere naturam non potest melius explicari apud communiter addiscentes, quàm per causam effectiuam, idcircò communiter ipsam explicat per effectricem causam, apud sapientes verò ipsius intelligere naturam explicat per esse formale

male ab ipsa forma formaliter productum, quando docet intellectum in actu nihil aliud esse, nisi intellectum in actu, & intelligere aliquid, nil aliud esse, quàm esse illud in actu completo, & istæ propositiones passim in D. Tho. doctrina habentur quæ nil aliud præseferût, nisi id omne, quod à Caietā asser tum fuit, qua de re eius responsio tamquàm subtilissima doctissimaquè amplectenda est.

Secûda responsio. Prima propositio vera est, quando potētia per formam inhærentem in esse actuali operatur, non autem quando illa forma minime potentiam actuat in esse reali, seu entitatiuo, neque illi inhæret, tunc enim talis forma cum potentia concurrit, vt formale principium, non autem vt effectiuum principium, & ideò talis forma illi potentiæ minime subordinatur; immò potius super illam potentiam superioritatem habet, sicut formale principium actuans est nobilius, & eminentius, vt sic, re actuata.

Vnam Intelligentiam aliam cognoscere ad aures Arist. ostenditur. Cap. 39.

APud Metaph. difficultas est, an vna substantia separata aliam cognoscat, & de cognitionis modo. Circa hâc controuersiam, tria agenda sunt, Primo titulus est exponendus. Secundo difficultati respondendum est. Tertiò obiectis est occurrendum.

Quoad primum Considerādum est, cognitionem in duplici esse discrimine, altera est perfecta cognitio; altera verò imperfecta. Perfecta cognitio est, quādo prædicata propria, vltimequè rei differentiæ cognoscuntur. Imperfecta autem cognitio est, quando de re tantû communia, prædicata, non vltimequè differētiæ solummodo habentur, nunc sermo est de vtraq. cognitione, sed potissime de perfecta.

Quoad secundum. Resp. tali conclusione: Vna intelligentia aliam cognoscit perfectè, nedû imperfectè. Quæ conclusio ità ad mentē Arist. demonstratur. Secundû Aris. secûdo de Anima tex. 123. 143. & 3. de Anima tex 31. & 32 potentia cognoscitiua perfecte obiectum sibi proportionatum cognoscit; at secundû ipsum & Arist. quælibet intelligētia est obiectum alterius intelligentiæ proportionatum, quoniam secûdum ipsum 12. Metaph. tex. 41. & 43. omnes sût sine materia, esse autem à materia separatum est esse intelligibile; & sicut est à materia separatum ità est intelligibile, vt asserit 3. de Anima tex. 11. ergo omnes intelligentiæ, adinuicem sunt obiecta intelligibilia proportionata; ergo vna aliam perfectè intelligit secundum Aris.

Quoad tertium. Contra hanc veritatem adsunt duo argumenta, quorum primum tale est. Docet Arist 3 de Anima text. 4. intus existens prohibere extraneum, hoc idem declarat tex. 5. & 6. affirmans, si humanus intellectus in se aliquam sensibilem, & corpoream haberet naturamn, illa natura intus existens, extranea prohiberet, & si aliquod organum alicuius potētiæ sensitiuæ aliquam determinatam qualitatem in se haberet, alias qualitates minimè cognosceret. Hoc supposito ad aures Arist. ità formatur argumentum Quemadmodû se habet humanus intellectus ad res corporeas dignoscendas, ità se habet intellectus intelligentia ad percipiendas res incorporeas, & immateriales; sed humanus intellectus in se habens corporeā naturam alia corpora nequaquam intelligere potest; ergo & intelligentia naturam immaterialē in se habens alias substantias immateriales nequaquam intelligere potest; sed de facto, quælibet intelligentia habet in se immaterialem naturam, ad mentem Arist. locis adductis in conclusionis probatione; ergo vna intelligentia aliam minimè cognoscere potest. Secundum argumentum Arist. 12. Metaph. tex. 51. autumat, primā intelligē tiam nil extra se intelligere; ergo ad mentem Arist. prima intelligentia seipsam

tantum

tantum intelligit, & nō alias; ergo multo minus aliæ intelligētię alias intelligūt

Antequam respōdeamus ad primum argm̄ declaranda est propositio Arist. in ipso assumpta. Intus existēs ꝓhibet &c Pro cuius declaratione, sciendum est ex Caiet 1 p. q. 56. ar. 2. & q. 75. ar. 1. & 2. de anima locis citatis, quem sequitur Bannes 1. p. q. 56. ar. 2. duplicem esse naturā; altera est; quæ per alias naturas determinari potest; altera, quæ per alias minimè potest determinari. Propositio assūpta intelligitur de natura quæ per alias minimè determinari potest, non autem de natura quæ potest per alias determinari, vt sensus propositionis sit. Natura quæ non potest per alias determinari, intus existens alias ingredi prohibet, natura autem, quæ per alias determinari potest, existens in aliquo non prohibet extraneam. Hinc sequitur, quia corpus est natura determinata, quę per alia corpora minimè determinari potest, si in anima intellectiua existeret, secundum suū esse corporeum, alia corpora ingredi ꝓhiberet; Vnde noster intellectus alia corpora non posset intelligere, [& ideò necesse est, vt noster intellectus sit ab omni mole corporea separatus: vt cōclusit Arist. tertio de aīa tex. 4. & 5. Qm̄ autem entis, & substantię naturæ sunt naturæ, quæ per alias naturas determinari possunt, idcircò istę naturæ entis, & substātiæ possunt esse intus in aliquo, & tamē extranea non prohibere; quapropter, licet anima intellectiua, substantiæquè separatæ sint substantiæ, & entia; omnia tamen entia, oēsq; intelligentias intelligere possunt. Ista propositione declarata, triplex damus responsum.

Primū responsū. Negaꝛ similitudo assumpta ſ queádmodū se hēt &c. vt explanatū fuit nūc, quoniā nō est idē iudicium de corporeis, & spiritualibus.

Secundum responsum colligitur ex D. Th. 1. p. q. 56. ar. secundo, ad primum & declaratur à Caietan. & à Dominico Bannes eo loci, & tale est. Res cognoscibiles in duplici sunt differentia; quędam sunt cognoscibiles, & cognoscitiuæ simul, vt sunt intelligentię, nostraquè anima; quædam verò sunt solummodo cognoscibiles, vt sunt ista sensibilia, & corporalia. Propositio Arist. vera est de cognoscibili natura tantum, quæ intus existens extranea prohibet, nō aūt de cognoscibili natura, & cognoscitiua simul; nā talis extranea minimè ꝓhibet, & istorū ratio est, qm̄ natura cognoscibilis tm̄ est determinata, & nō pōt per alias naturas determinari. Natura aūt cognoscibilis, cognoscitiuaq; simul pōt per alias determinari, qm̄ cognoscens est non tantum seipsum, sed etiam alia, vt inferius demonstrabitur: idcircò alia non impedit, dum in alia existit, immò magis adiuuat: cum omnis cognitio secundum omnes phylosophos per assimillationē fiat, quapropter quantò aliquid cognoscibile, & cognoscitiuum simul erit magis simile alicui cognoscibili, & cognoscitiuo, tantò magis se inuicem cognoscent; & quoniam intelligentię secundū Arist. differunt tota specie, vt supra cap. 16 ostensum est, idcircò magis se inuicē cognoscunt, & hæc responsio est D. Th. loco citato, vbi asseruit, naturam vnius intelligentiæ non prohibere suum intellectum à cognoscendis naturis aliarum intelligentiarum; eò quoniam tàm superiores, quàm inferiores affinitatem habent cum natura intelligentiæ intelligētis, cum in genere vltimum conueniant, differentes inter se speciebus specialissimis, ac per hoc differant inter se differentijs specialissimis, & numero differant, vt exponit Caietanus eò loci, & ideò formaliter respondetur ad argumentū. Propositionem Arist. (supra quam tota ratio fundatur) intelligendā esse de naturis cognoscibilibus tantum, cuiusmodi sunt corpora, non autem de naturis cognoscibilibus, & cognoscitiuis, vt sunt intelligētię, & ideò negaꝛ similitudo, vt assertū fuit ī primo respōso.

Tertium responsum est Ferr. secundo contra gent cap 98 circa vltimam illius capitis partem, declarantis responsum iam tactum D. Thom. & tale est. Propositionem Aristot. esse intelligendam

dam in naturis materialibus propter ea rum materialitatem, & distantiam: talis enim materialis natura intus existẽs prohibet extraneum, non autẽ vera est in spiritualibus naturis, in quibus solum distinctio secundum gradum perfectionis eiusdẽ speciei inuenit. Hoc tñ respõsum in Caietani doctrina super propositionem adductam ex Aristot. fundatur.

Ad secundum respondemus. Intelligere aliquid extrà se, vel non intelligere, bifariam cõtingit: Vno modo, vt medium, & ratio intelligendi, & ità Deus nihil intelligit extra se, tàmquam per rationem, & intelligendi medium; quoniam illud Deũ perficeret, & ità Deus non esset ex se perfectissimus; & in isto sensu loquitur Arist. vt eo loci videre est. Alio modo et sit illud, quod intelligitur, & ità Deus non solum se intelligit, verum etiam omnia alia à se, ad mentẽ Aristo. vt demonstrabimus in materia de cognitione Dei ad mentem Arist. in tertio libro &c.

Vnam intelligentiam aliam intelligere, non per propriam essentiam ipsius intelligentis, nec ipsius intelligentiæ intellectæ, sed per speciem additam, secundũ Aristotelem demostratur.

Cap. 40.

SCiscitatur ab ipsis methaphysicis nũ vna intelligentia aliam intelligat per essentiam propriam ipsius intelligẽtis, vel per essentiam intelligentiæ intellectæ an per additam speciem ad aures Arist.

Circa hanc controuersiam, tria agẽda sunt. Primò suadendum est, vnam intelligentiam non intelligere aliam per propriam cognoscentis essentiam, nec p propriam essentiam substantiæ cognitę. Secundò ostendendum est intelligere aliam intelligentiam per additam speciem. Tertiò obiectis occurrendum est.

Quò ad primum. Talis ponitur conclusio ad mentem Arist. Vna intelligentia aliam minimè intelligit per essentiã, vel propriam, vel ipsius cognitæ intelligentiæ. Hæc conclusio tribus suadetur rationibus.

Prima ratio hæc est. Secundum Aristo. tertio de anima tex. 8. & 36. res intellecta in actu, & intellectus sunt idem, et ideo in tex. 8. ità cõtestatur. *Cum autem*, scilicet intellectus, *sic singula fiat*, fit ergo intellectus ipsa intelligibilia: quod autem fit aliquid est illud: & in tex. 36. ita scribit: *Omnino autem intellectus secundum actum intelligens res est ipse.* Hæc verba ità exponuntur à D. Thom. & Commentato. tertio de Anima Commento quinto, docet animam non ita cognoscibilia recipere, vt ex eis compositum fiat; sed anima efficitur ipsum cognoscibile; at vna intelligentia reipsa ab alia distinguitur secundũ Arist. quoniã (vt assertum fuit supra cap. 16.) numero inter se distinguuntur, & ideo, vna non est alia; ergo vna intelligentia aliam nõ cognoscit per essentiam, siuè propriam, siuè cognitæ intelligentiæ.

Secunda ratio probat in speciali, vnã superiorem intelligentiam non intelligere aliam per substantiam intelligentiæ inferioris cognitæ, talisquè est. Intellectum est perfectio intelligentis, & est Arist. duodecimo meth. tex. 51. iuxta interpretationem. D. Thom. & Comm. eo loci, & ideò Aristo. iuxta text. D. Th. appellat intelligibile, aliquod principale respectu intellectus, & aliquid dignius quàm intellectus; & iuxta textum Comm. appellat ipsum intelligibile dominum: at intelligentia inferior non est aliquid dignius, vel quid principale, quàm sit superior intelligentia, vel domina intelligentiæ superioris: ergo inferior intelligentia non potest esse ratio secundum se superioris intelligentiæ, vt per suam substantiam à superiori intelligatur substantia. Hoc loci aduertendum est sermonem Arist. in prima propositione

positione esse intelligendum de intelligibili, quod se habet vt ratio, seù vt mediũ intelligendi. Ità exponunt D. Thom. & Comm.

Tertia ratio probat nullam intelligẽtiam, siuè superiorem, siuè inferiorem, intelligere aliam, (quæcũquè illa sit) per essentiam intelligentiæ cognitæ, siuè superioris, siuè inferioris, & est talis. Omne operans, & agens agit, & operatur p formam sibi inhærentem, vt probat Aristo. secundo physic. tex. 15. sed vna intelligentia non potest esse alterius forma, cum vnaquæquè habeat esse distinctum ab alia, vt nunc fuit assertum; ergo vna intelligentia nõ intelligit aliam per substantiam, vel cognoscentis, vel cognitæ. Hancquè doctrinam tradit D. Tho. secundo, contrà gen. cap 98. & de ver. q. 8. art. 7.

Quò ad secundum ponitur talis conclusio. Vna intelligentia aliam intelligit per speciem intelligibilem connaturalem superadditam; hæcquè conclusio vnica ostenditur ratione, quæ hæc est. Dum vna intelligentia aliam intelligit, aut illam intelligit per essentiam ipsius intelligentis, aut per essentiam intelligẽtię cognitæ, aut per speciem acquisitam, aut per speciem connaturalem; non enim datur aliud membrum, non per essentiam substantiæ intelligentis, nec per essentiam rei cognitæ, vt nunc probatũ est, nec per speciem acquisitam, vt ostensum est suprà cap. 30 & 31. ergo à sufficienti diuisione, huiusmodi intellectio fit per superadditas species intelligibiles connaturales.

Quoad tertium. Contrà hanc veritatem quinquè adducuntur argumenta.

Primum argumentum. Ait Arist. duodecimo meth. tex. 51. In separatis à materia sunt idem intellectus, & id quod intelligitur. Cuius verba ista sunt. *Non altero igitur existente eo, quod intelligitur, & intellectu, quæcunquè non habent materiam.* Hoc idem docet tertio de anima tex. 18. asserens. *In his, quę sunt sine materia idem est intellectus, & quod intelligitur:* ergo ratio intelligendi, seù mediũ per quod fit intellectio est idem in separatis à materia. Consequutio probatur; quoniam Arist. iuxtà interpretationem D. Th. & Comm. eo loci, per id, quod intelligitur denotatur ratio, & medium intelligendi, vt nunc assertum est. Tunc vltrà, sed per Aristo. intelligentiæ sunt à materia separatæ, vt pluries fuit demonstratum, ad mentem Aristo. ergo omnes intelligentiæ per suam essentiam, tamquam per medium, seu rationem intelligendi intelligunt.

Secundum argumentum. Vt docet Aristot. tertio de anima text. 8 & tex. 16. Hac de causa videntur poni species intelligibiles; quia substantiæ sensibiles, & materiales non sunt actu per essentiam intelligibiles, quocirca necesse est, vt fiãt intelligibiles, actuquè intelligantur per species ab ipsis abstractas; at intelligentiæ sunt actu intelligibiles per suas essentias: ergo non est necesse, vt per species intelligibiles intelligantur.

Tertium. Lux sensibilis, & corporea, eò quoniam est actu visibilis per semet ipsam, actu etiam videtur absquè media specie, & maximè videretur, si per se esset subsistens; ergo intelligentiæ substantia, cum sit per se subsistens, & actu intelligibilis ad mentem Arist. vt pluries fuit demõstratum, & præcipuè ex textibus in primo argumento adductis, cum omnes sint sine materia, per se absquè media specie intelligitur.

Quartum. Substãtia superioris intelligentię est immaterialior, & actualior, quàm essentia inferioris etiam in esse intelligibili: ergo essentia intelligentiæ superioris potest vniri intellectui ĩferioris in esse intelligibili, ac ideò intelligentia inferior intelligentiam superiorem per ipsius intelligentię superioris essentiam intelligere poterit.

Quintum. Intelligentia per eandem speciẽ, qua aliquod genus intelligit, omnes etiam naturas specificas illius generis intelligit; at quælibet intelligentia p propriam essentiam, tàmquam per intelligibilem speciem, omnium genus intelligen-

ligentiarum cognoſcit: ergo per eãdem eſſentiam omnes intelligentiarum quidditates cognoſcit. Maior ita demõſtratur ſpecies quę repreſentant intellectui intelligentiæ, repreſentant etiam diſtinctè, clare, & perfectè; at illa ſpecies, quæ genus repreſẽtat, & nõ eius ſpecies, imperfectè, & confusè repreſentat; ergo ſpecies, per quam cognoſcit intelligentia aliquod genus, cognoſcit etiam omnes naturas illius generis ſpecificas. Minor primi ſyllogiſmi ità oſtenditur, intelligentia per eſſentiam propriam cognoſcit ſe ipſam perfectè; ergo etiã propriũ genus cognoſcit.

Ad primum reſpondet D.Th. ſecundo contra gentes cap. 98. & tertio de anima tex. 15. Ariſto. propoſitionem ſolummodo eſſe veram, quando intelligentia ſe ipſam intelligit, vt etiam oſtenſum fuit ſupra cap. 35 Secundò reſpondetur, illam propoſitionem eſſe intelligendam non repugnanter, non autem poſitiuè, quæ autem alicui conueniunt non repugnanter, non eſt neceſſe omnibus, vel multis conuenire, ſed ſatis eſt, illa vni cõuenire, & verè ſic eſt. Prima enim intelligentia (quæ eſt Deus) intelligit omnia perfectiſſimè per ſuam eſſentiam, tamquam per medium, & per rationem intelligendi, & hoc ſufficit ad illius propoſitionis veritatem.

Ad ſecundum reſpondetur. Illam cauſam minimè eſſe ſufficientem, eò quoniam ſpecies intelligibilis propter duo munera ponitur; Alterum eſt, vt res intelligibilis in potentia, fiat actu intelligibilis, & propter hoc nõ eſt neceſſe poni in intelligentijs, ſpeciem intelligibilẽ ad hoc, vt ſeinuicem intelligant. Alterũ eſt vt intelligibile intellectui actu intelligenti vniatur, & propter hoc, in ſubſtãtia ſeparata ponitur intelligibilis ſpecies, vt aliam perfectè cognoſcat.

Ad tertium bifariam reſpondetur. Primò imus inficias conſequentiam, & ratio eſt; quoniam lux eſt primarium viſiuæ potentiæ obiectum, necnon eſt etiam obiectum formale omnimodam habens proportionem cum ipſa potentia viſiua; quapropter poteſt immediatè illi vniri, in ratione viſibilis formæ; eſſentia autem vnius intelligentiæ non eſt formale, & primarium obiectum reſpectu alterius intelligentiæ; idcircò nõ poteſt alterius intelligentiæ intellectui, immediatè vniri. Secundò negatur antecedens, quandoquidem lux potentiæ viſiuæ vnitur, non per ſe ipſam, ſed per ſuam ſpeciem, quæ quidem ſpecies eſt lucis lumen. Prima reſponſio eſt Dominici Bannes 1. p. q. 56. art. 2. Secunda autem eſt Caiet. ſecundo de anima cap. 6. ad ſecundum argumentum contrà coloris diffinitionem.

Ad quartum negatur ſequela, & negationis ratio eſt, quoniam inter intellectiuam potentiam, & intelligibilem ſpeciem, neceſſe eſt, talem eſſe proportionem, vt potentia minimè ſpeciem excedat, in proportione immaterialitatis, & cognoſcibilitatis, neque, ſpecies, potẽtiã excedat ad hoc, vt ſpecies vniri poſſit in intellectiuæ potentiæ; modo eſſentia ſuperioris intelligentia excedit intellectum inferioris intelligentiæ in immaterialitate, & actualitate: quapropter naturali ordine non poteſt illi intellectui per ſe ipſam per modum ſpeciei intelligibilis vniri; ſubinde intellectus ſuperioris intelligentiæ excedit in eſſe intelligibili inferioris intelligentiæ eſſentiam, qua de re eſſentia inferioris intelligentiæ nõ poteſt intellectui ſuperioris intelligentiæ vniri, tàmquã improportionata, ſed debet aſcendere per ſpeciem intelligibilem ſui repreſentatiuã intellectui ſuperioris per modum recipientis, & intelligentis ad intellectum ſuperioris intelligentiæ.

Ad quintum. Maior hoc modo declaratur, ſpeciem aliquam repreſentare aliquod genus, bifariam cõtingit. Vno modo immediate, & abſquè aliqua limitatione totam generis eſſentiam, totamquè eius poteſtatem, & virtutem repreſentando, & ità ſpecies quæ genus repreſentat, omnia etiam repreſentata ab ipſo genere repreſentat, repreſentando etiam perfectè omnes eius ſpecies. Alio

modo contingit, aliquam speciem repræsentare immediatè aliquam specificam quidditatem, & tunc talis species genericam minimè repræsentat naturã, sicuti quoddam totum continens omnes inferiores species, sed repræsentat illam genericam naturam, tamquam in illa natura specifica contentam, quantum ad omnia, quæ ad intrinsecã illius naturæ genericæ pertinent diffinitionẽ; & ideo ad argumẽtum negatur minor, si in primo intelligatur sensu, nam intelligentia non per eandem speciem, qua se ipsam intelligit, immediatè genus intelligit. Et ad probationem negatur sequela, loquendo de generis cognitione in primo sensu, satis est ad hoc, vt intelligentia seipsam perfectè cognoscat, cognoscere genus vt contentũ in ipsamet natura, seu specifica natura, secũdum essentiam, & diffinitionem ipsius generis, non autem vt totam eius potestatem, & virtutem cognoscat. Si autem in secundo sensu maior intelligatur, ipsa negatur, & minor conceditur. Ad probationem negatur, speciem quæ repræsentat genus mediatè ipsum clarè, & perfectè repræsentare, absquè aliqua limitatione, quò ad omnem eius virtutem, & potestatem, verùm perfectè repræsentatur, non nisi eo modo, quo nũc assertũ est.

Intelligentiæ Deum cognoscunt ad mentem Aristot.

Cap. 41.

ORitur difficultas nùm intelligẽtiæ cognoscant Deum, & per quid ipsum cognoscant.

Circa hãc difficultatẽ tria agẽda sũt. Primò titulus difficultatis explicandus est, cognitionis modũ distinguendo. Secundò difficultati est respondendũ. Tertiò obiecta diluuenda sunt.

Quò ad primũ. Pro tituli explicatione quatuor cõsideranda sunt. Primò cõsiderãdũ est trib. modis aliquid posse cognosci ſm Arist. doctrinã. Vno modo ꝑ suæ essentiæ pręsentiã in cognoscente, sicuti dicimus lucẽ per suã essentiã in oculo videri, & hunc modũ docuit Aris. 2. de aĩa tex. 74. Dũ docuit, lumẽ per se videri. Alio mõ aliquid cognoscit, quia eius similitudo est in cognoscẽte, quo mõ lapis à visu vr̃, & ab intellectu intelligitur, quia eius species sensibilis, in visu ẽ, species verò eius intelligibilis in intellectu, & hũc modũ habemus ab Aris. 3. de aĩa tex. 38. docẽte eò loci, nõ lapidẽ, sed lapidis speciẽ in aĩa esse. Tertiò mõ aliquid cognoscitur per hoc, qm̃ rei cognitæ similitudo non accipitur immediatè ab ipsa re cognita, sed sua similitudo ab aliqua re accipitur, in qua resultat, & apparet sicuti ĩ speculo hominẽ videmus, hocq; modo causas ꝑ effectus cognoscimus; qm̃ non accipimus species ab ipsis causis immediatè, verum ab effectib. (in quibus causarũ similitudines resultant, & apparent) immediatè accipimus species similitudinesquè causarũ. Ex quib. post modũ in causarũ cognitionẽ deuenimus; Et hunc modũ de facto, in actu què exercito docuit Arist. 7. physic. tex. 1. 2. & 3. & seqq. dum per motum docuit dari primũ motorẽ immobilẽ, & 8. physic. tex. 78. & seqq. ex motu docens, primum motorẽ esse absquè magnitudine, & tex. vltimo 8. physic. ex motus sempiternitate, primi motoris infinitatem demonstrat, hoc idẽ facit 12. meth. tex. 35. Modo aũt cõstat motum esse primi motoris effectum, hanc doctrinam tradit etiã D. Th. 1. p. q. 56. ar. 3.

Secundò, cõsiderandũ est, nos in cõtrouersia de omnib. trib. modis habere sermonẽ, & iuxta, quẽcunq; modũ, respodẽdũ est, licet sermo noster primario sit instituendus de secundo modo.

Tertiò, animaduertendũ est iuxta doctrina D. T. 1. p. q. 56. ar. 3. de veri. q. 8. a. 3. 2. cõt. gent. c. 98. intelligentias ꝑ respectũ ad Deũ posse duob. modis considerari, vno mõ vt Dei effectus, alio mõ, vt Dei similitudines, ex cõsequenti, vt spẽs intelligibiles, Deũ repr̃sentãtes, & vtroq; mõ intelligẽtiæ, Deũ repræsentant, vt effectus cãm, & vt species intelligibiles, suũ obiectũ, qui tñ modi, sunt inter se valdè discrepantes, eò qm̃ species imme

diatè suum representat obiectũ, non ꝑsupposita primo sui cognitione, effectus autem quatenus effectus non immediatè, suam representat causam, sed mediante sui cognitione, adeò, vt primò effectus cognoscamus, subindè per effectus discurrendo in causæ cognitionem, deueniamus Hanc doctrinam secuti sunt Capreolus secundo sent. d 3 q. secunda, ad argumenta contra sex'ã conclusionem, Caiet. 1. p. q. 56 ar. 3 Ferr. secundo contra gen cap 98. Dominicus Bannes prima parte, quæstione 56 articulo 3.

Quar ò speculandum est. Cognitionem de re, in duplici esse differentia, quædam est confusa cognitio quædam distincta, cognitio confusa illa est, quæ de re habetur in communi, quatenus cũ alijs conuenit, quo ad communia prædicata, & illa per similitudinem, tantum communia representantem habetur; cognitio autem de re distincta est, quæ de re, quo ad ꝓpria ꝑdicata, vt sunt distincta, à prædicatis, cuiuscũque alterius rei habetur. Hæc autem distincta cognitio, subdiuiditur: nam quædam est, qua res cognoscitur sub propria ratione, à quacunque alia distincta, indicans perfectè, rei essentiam, per quam recognoscitur, eo modo, quo cognoscibilis est. Quædã vero est notitia alicuius obiecti, perfecta, per quam, ipsum obiectum cognoscitur sub aliqua propria ratione, ab alio distincta, non tamen indicans perfectè obiecti essentiam, eò pacto, quo cognoscibile est. Hanc doctrinam tradunt supradicti Thomistæ locis citatis, noster sermo præsertim est de notitia distincta secundi modi, licet aliqualis sermo sit, de alijs duabus notitijs habendus. Hæc de primo.

Quò ad secũdum. Tribus respõdetur conclusionib. quarũ prima hæc est. Ad mentẽ Arist. intelligẽtia p essentiã propriã, Deũ cognoscit perfectè, citrã tamẽ quidditatiuã cognitionẽ, quæ cognitio est primo modo diffinita, quę conclusio duplici medio, demonstratur. Ad mentẽ Arist. Deus est cã omnium intelligentiarũ effectiua, ergo ipsarum essentiæ sunt Dei intelligibiles similitudines: ergo Deũ perfectè representant, ergo per suã propriam essentiam, Deum cognoscere possunt, vt asserimus in conclusione. Antecedens demonstrabitur ad mentem Aristot. loco proprio, vbi ostendemus Deũ esse omnium incorruptibilium causam prima cõsequentia probatur ex 7. meth. tex. 29. 30. 31. & 32. vbi illa colligitur ꝓpositio; omne agens, agit sibi simile, si itaquè intelligentiæ sunt à Deo causatæ, sunt Dei similitudines, & cum sint actu intelligentes, & intelligibiles, erunt intelligibiles similitudines. Secunda consequentia suadetur, quia secundum Aristo. 3. de anima tex. 38. species in actu intelligibilis obiectum intellectui representat, constituitquè intellectum, esse quid vnum, cum suo obiecto intellecto, in esse intelligibili, si ergo substantiæ separatæ, secundum essentiam suam sunt Dei similitudines actu itelligibiles, necessariò perfectè (citrà nõ cognitionẽ, Dei quidditatiuam) Deum representant. Tertia autem consequentia, ex se notissima est. Secundum medium est auctoritas Aristot. 12 methaph. tex. 36. vbi contestatur, primum motorem, intelligentias orbium motrices, mouere sicut appetibile, & intelligibile, ex quo, apertè colligit, ipsas intelligentias orbiũ motrices, intelligere, & appetere Deũ.

Secunda conclusio, Intelligentia quæcũquè, & excellẽtissima ad mentẽ Arist. non pôt Deũ quidditatiuè intelligere, hoc est, eo modo, quo intelligibilis est, q̃ ità demõstratur. ſm Aristo. tertio de aĩa tex. 8. 16 36. & 38. intellectio fit, quatenus res intellecta est in intelligẽte. Et vt docet tex. 39. eiusdem libri, nec non in textibus nunc adductis, res intellecta est in intellectu secundũ modum intellectus intelligentis Ex quibus colligitur necessariò ad mentẽ Arist. si modus alicuius rei intellectæ intelligentis, modum, excedat, ille intellectus, minimè poterit illã rem excedentem, intelligere, at secundũ Arist. modus essendi Dei, oẽm essentiæ cuiuscunquè intelligentiæ modũ excedit, ergo intelligentia creata cuã excellẽ-

tissi-

tissima non pôt Deũ intelligere eo modo, quo intelligibilis est, ex consequenti nec quidditatiuè. Quod aũt, modus essendi Dei, oẽm essendi modũ cuiuscunque intellectus producti secundum Aristo. excedat, ostenditur in quæstione de primi motoris infinitate, & etiam fuit demonstratũ suprà cap. 13. cum ageremus de distinctione esse existentiæ ab essentia cuiuscunquè rei productæ; In solo autem Deo esse existentiæ esse reipsa idem cum sua essentia ostendentes: ex quo colligitur, institutum.s. Dei esse existentiæ infinitum esse; cuiuscunquè aũt rei creatæ esse existentiæ esse finitum, et determinatum, idcircò, secundum Aris. modus essendi Dei, modum cuiuscunq; intelligentis producti, excedit, quod suadendum erat.

Tertia conclusio. Intelligentia Deum cognoscit aliquo modo per species intelligibiles, quas apud se habet. Quæ conclusio itá demõstratur ad mentem Aristo. secũdum Arist. per effectũ in ipsius causæ cognitionem, deuenitur, vt fuit assertum in primo notato, sed species intelligibiles, quæ sunt in intelligentijs, vt supra demonstratum fuit cap. 32. sunt Dei effectus ergo per huiusmodi species intelligentia potest in Dei cognitionem deuenire.

Sex argumenta recitantur contra præfatam veritatem, & soluuntur. Cap. 42.

QVò ad tertium. Contrà predictas conclusiones sex argumenta sunt adducenda, & diluuenda. Primum argumentum contra primam cõclusionẽ, militat. Si intelligentiæ perfectè Deum cognoscunt per essentiam suã, modo sibi possibili, consequitur intelligentias habere tm̃ de ipso Deo cognitionem cõfusam. Cõsequentia ex eò patet, quoniã essentia intelligentiarum, non representant Deum quantum ad id, quo Deus in proprio esse constituitur, & ab alijs distinguitur, sicut ipsamet essentia intelligentię non representat id, per quod ab alia intelligentia distinguitur.

Secundum. Si intelligentia per solã suam essentiam alias cognosceret intelligẽtias, nõ cognosceret eas distinctè propter rationem nunc assignatam; quia.s. essentia intelligentię aliam intelligentiã non representat, quoad id, per quod alia intelligentia in esse proprio constituitur; ergo multò magis alia intelligentia Deum per propriam substantiam nõ nisi confusè cognoscit.

Tertium argumentum. Si essentia intelligentiæ potest immediatè Deum representare, sicut species intelligibilis, ergo non est inconueniens, dari aliquam speciem creatam immediatè Dei representatiuam quod est impossibile, quoniam finitum, nequaquam potest infinitum representare. Consequutio probat, quoniam differt paulum, vt species immediatè Dei representatiua sit substantia, vel accidens; sed per te intelligentiæ substantia datur, quæ immediatè Deum representat: ergo etiam dari pôt, aliqua qualitas potentię superaddita, quæ immediatè Deum representat: hoc autem est inconueniens, & impossibile.

Quartum est Scoti 2. sent. d. 3. q. 9. itá argumentantis. Cognitio per representantem similitudinem, vt cognitam, est discursiua cognitio; at cognitio intelligẽtię de Deo per intelligentiæ substãtiam est per similitudinem vt cognitam represẽtantem, cum intelligentia quando Deũ per suam substantiam cognoscit, non nisi cognoscendo se, Deum cognoscit: ergo ista cognitio est discursiua, conclusio est contrà Arist. vt probabimus in sequentibus: ergo altera præmissarum, non maior, (ait Scotus) quoniam nota est ex differentia inter speciem representantem vt rationem cognoscendi, (qualis est species in oculo) & speciem representantẽ, vt cognitam (qualis est species in speculo.) Hæc enim est discursiua, illa verò minimè; ergo minor est falsa, quę nostra positio est.

Quintum argumẽtum. Vnius intelligentiæ essentia maiorem habet similitu-

dinem cum alia intelligentia, q̃ cũ Deo; at illa similitudo, quam habet cum alia intelligentia nõ est sufficiens, vt vna intelligentia per suam substantiam aliam cognoscat, vt demonstratum est supra c. 38. & 39. ergo nec Deum per essentiam propriam cognoscet.

Sextum. Deus secundum Arist. distat in infinitum ab intelligẽtia, quia Deus est infinitus, intelligentia verò finita, vt assertum fuit, in probatione secundæ conclusionis præcedentis capitis; sed distantia in infinitum non potest attingi; ergo intelligentia non potest suaptè natura Deum cognoscere.

Ad primum argumentum respondet Caprẹolus, secundo sent. d. 3. q. 2 ad argumenta Scoti, contra sextam cõclusionem quem postmodum secuti sunt Caiet. 1. p. q. 56. & Bannes eo loci, & Ferr. 2. contra gen. cap. 98. & respõsio consistit in distinctione cognitionis distinctę facta in quarto notato, & explicata, in prima, & secunda conclusione. Et ideò si in consequente sit sermo de confusa cognitione, quę cognitionem quidditatiuam excludit in secunda conclusione explicatam, totum conceditur argm̃; nam tunc argumentum nostram secundam conclusionem suadet; si autem sermo sit de cognitione confusa, distinctã excludens cognitionem in prima cõclusione positam, consequutio negatur, & ad probationem respõdetur. Licet essentia intelligentiæ Deum minimè repræsentet, quantum ad id, quo in esse constituitur si cõstitueretur, hoc est quo ad id, q̃d se habet veluti differẽtia vltima, põt tñ Deũ repræsentare ẜm aliquã rationẽ soli Deo propriã formaliterq; distinctã, tã ab alijs Dei pfectionib. quã ẽt ab alijs rebus, ità secundũ rationẽ sapientiæ intellectus bonitatis &c. non tamẽ quidditatiuè istas rõnes formales repræsentat.

Ad secundũ, inficiamur consequutionẽ, & rõ diuersitatis ẽ, q̃m essentia vnius substãtię separatę non repræsentat aliã intelligentiã, nisi p modũ similitudinis, & conueniẽtię; & ideò propriam alterius intelligentię essentiã non repræsentat; Deum autem repræsentat; non solùmodo per modum similitudinis, verum etiam sicut effectus suam causam æquiuocam; & ideò repræsentat etiam illa, in quibus Deus omnem creaturam excedit, putà, esse virtutis infinitę, esse infinitæ essentiæ, esse ens per essentiam, & vniuersaliter omnia, quæ sunt necessaria ad veritatem huius, scilicet esse causam omnium vniuersalissimã, & per hoc patet responsio ad quæsitum &c.

Verùm contra hanc responsionem ità arguitur. Effectus in causę cognitionem non ducit, nisi quantum ad illud, secundum quod causæ assimilatur; ergo si intelligentia per essentiam propriam Deum cognoscit, ipsum non cognoscit nisi quantum ad illud, in quo intelligẽtia ipsi Deo assimilatur; non autem quãtum ad illud per quod distinguitur, & à Deo, & ab alijs intelligentijs, sed cognitio huiusmodi est tãtum cognitio in communi, ac per hoc confusa: ergo quãdo Deus ab intelligentia, per propriã ipsius intelligẽtiæ essentiam Deum repræsentantem, sicut effectus suam causam, cognoscitur, ista cognitio est cognitio ĩ communi, & confusa, ex cõsequenti intelligentia nullo modo distinctè Deum cognoscit, quod est contrà primam conclusionem.

Respondet Ferr. secundo contra gen. cap. 98. Pro cuius declaratione tria sunt consideranda.

Primò cõsiderandum est, similitudinem esse in duplici differẽtia; altera est secundum conuenientiam solummodo in natura veluti equus, & leo in animalis natura conueniunt; altera secũdum repræsentationem, vt species intelligibilis rei intellectę assimilatur, & effectus inquantum effectus causalitatem suæ causæ, repræsentat. Istæ duæ similitudines maximè inter se discriminantur, quoniam similitudo prima quantum fit ex se, nata est facere immediatè cognitionem rei, cuius est similitudo, solum quantum ad ea, quę sibi, & rei sunt secundum communem naturam, vt si leo, & equus con-

uenientiam tantum habeant in natura animalis, ex leonis cognitione quatenus est equo similis, non possunt de equo cognoscere animalis naturam, in qua leo, & equus conueniunt; similitudo autem secundum representationem apta nata est cognitionem facere, non solum de eo, in quo cum ipso conuenit representato, sed etiam de eo, in quo representatum ab ipsa seiungitur, si secundum illud sit conditio representato conueniens, quatenus est similitudinis causa, quemadmodum intelligibilis species (licet sit accidens intellectus) quidditatem substantialem representat quoad omnia, quæ sunt de eius essentia.

Secundò. Considerandum est, intelligentiam esse vtroquè modo Dei similitudinem. Primò habet cum Deo analogam similitudinem, quatenus Deus, & intelligentia sunt naturę intellectuales. Secundò intelligentia habet similitudinem Dei intelligibilem, secundum esse representatiuum, inquantū est à Deo producta, tamquam ab obiecto intelligibili, in ipso intelligentiæ intellectu. Quare, per ipsam intelligentiam, quatenus est substantia intellectualis, cognoscitur de Deo, tantum intellectualitas, secundum quam intelligentia Deo analogicè assimilatur. Quatenus autem intelligentia est forma intelligibilis representatiua, & ratio intelligendi, per ipsam cognoscitur Deus, non solū quantum ad ea, in quibus Deus, & intelligētia analogicè conueniunt, sed etiā quantum ad ea, in quibus Deus ab ipsa intelligentia distinguitur, Deus per intelligētiam cognoscitur, dummodo tamen illa sibi conueniant, vt est ipsius causa: exempli gratia, quoniam Deus intelligentias per creationem produxit, creatio autem infinitam requirit potentiam, in infinitate essentiæ fundatam; idcircò intelligentia per essentiam propriam cognoscit Deum, vt infinitum secundum essentiam, cognoscit virtutem perfectionemquè, & omnia alia, quæ, virtutem creatiuam concomitantur. Quoniam autem intelligentia non est alterius intelligentiæ causa, ideo vna non potest, esse alterius similitudo intelligibilis, & representatiua; licet possit esse similitudo in esse naturę, idcircò, vna non pōt per aliam cognosci, nisi in communi, & cōfusè, quantum ad ea, in quibus vtraquè conueniunt: quocircà si vna aliam vult distinctè cognoscere, necesse est, vt super addatur intelligibilis species, vt in præcedentibus explanatum fuit.

Tertiò. Considerandum est ex iam declaratis, responsum haberi ad argumentum, & asseritur, assumptum esse falsum de intellectu, qui non solum est similitudo in esse naturæ verum etiam secundum esse intelligibile representatiuum; quapropter intelligentia per seipsam, Deum cognoscit distinctè, sumendo distinctam cognitionem, citrà quidditatiuam, vocando distinctam cognitionem omnium cognitionem, qua res cognoscitur, quantum ad id, quo ab alijs semouetur.

Verū cōtra hoc responsum, est tertiū argūm iam in ordine positum, ad quod Dominicus Bannes, loco citato respondet ad suum secundum argumentum negando consequentiam, & concedit, essentiam intelligentiæ non esse similitudinem intelligibilem, Dei representatiuam, & ideò negat totam doctrinam iā adductam, tum ex Caietano tum ex Ferrariense tum ex Capręolo. At sua opinio est expresè contrà D. Thom. prima parte, quæstio. quinquagesimasexta, articu. 3. ibi tria ad nostrum institutum, asserentem; Primum est. Cognitio, qua substantia separata, per sua naturalia, Deum cognoscit, assimilatur cognitioni, qua res videtur per speciem, ab eo receptam. Secundum est, substantia separata Deum cognoscit, per suam essentiam, inquantum essentia est Dei similitudo. Tertium est. Hęc cognitio magis se tenet cum speculari: quoniam ipsa natura intelligentię est quoddam speculum, representans diuinam similitudinē. Ex quibus

assertis colligitur apertè côtra Bannes, intelligentię essentiam se habere, per modum similitudinis, seu speciei intelligibilis, eum repręsentantis imperfectè tamen, vt in secunda conclusione fuit explanatum, & ideò quando asseritur à D. Th. vel ab alijs, Deum minimè posse per aliquam speciem repręsentari, intelligitur de repręsentatione quidditatiua, non autem de cognitione citrà quidditatiuam, & ideò formaliter respondendo ad tertium argumentum dicitur, non esse impossibile, Deum per aliquam speciem creatam, repręsentari modo nunc asserto, & ad eius probationem iam dictum est, infinitum posse repręsentari per finitam speciem intelligibilem, non quidem quidditatiuè, sed citrà quidditatiuam cognitionem.

Ad quartum respondet Caieta. 1. p. q. 56 ar. 3 ad secundam obiectionem, quę est Scoti, duplici responsione. Prima responsio asserit maiorem esse simpliciter falsam, vt conspicuum est, de sortis cognitione per eius speciem in speculo. Talis enim cognitio fit per similitudinem repręsentantem, vt cognitam, quę tamen nequaquã discursiua est. Secunda responsio similitudo repręsentans, vt cognita in duplici est differentia, quædam vt cognita solum, quædam vt cognita, & simul cognoscendi ratio, vt compertum est de essentia diuina respectu omnium simpliciter. Facta ista distinctione, contestatur quicquid sit de repręsentante primo modo; falsa est maior de repręsentante, secũdo modo Angeli autem essentia ex sua excellentia tale modo repręsentat.

Ad quintum. Allatum fuit respôsum in responsione ad replicã contrà respôsionem ad secundum argumentum.

Ad textum. Secundã inficiamur propositionem, quoniam licet intellectus à Deo in infinitum distans non possit ipsum comprehendere, seù quidditatiuè cognoscere, potest tamen cognitionem perfectam, citra tamen quidditatiuam, habere.

Ad aures Aristot. intelligentiæ cognoscunt rerum materialium tàm generabiliam, quàm ingenerabilium species.

Cap. 43.

EST etiam aliqualis difficultas, an intelligentiæ ad mentem Arist. rerum materialium, tàm generabilium quàm ingenerabilium species, cognoscant.

Circa hanc difficultatem duo sunt agenda. Primò veritas est determinanda: Secundò obiectis, occurrendum est.

Quò ad primum. Vnica conclusione affirmatiua difficultati respondetur, quæ talis est. Ad aures Arist. intelligentiæ rerum materialium, tam generabilium, quàm ingenerabilium species cognoscunt. Hæc conclusio tribus demonstratur rationibus.

Prima ratio. Super tribus Arist. fundamentis fundatur quorum primum tale est Intelligentiæ cęlestia mouent corpora, ac per hoc quidquid ex corporum cęlestium motu, prouenit, intelligentijs attribuendum est, tamquam principalibus agentibus, cœlestibus autem corporibus, vt instrumentis. Istam propositionem docet Arist. 12. meth. tex. 42. 43. & 44.

Secundum fundamentum. Intelligẽtiæ mouent, & agunt per intellectum, quia in eis est tantum cognitio intellectiua vt demonstratum fuit supra ca. 29. hoc fundamentum fuit supra capite 18. ex Arist. duodecimo meth. text. trigesimosexto, & trigesimonono, demonstratum.

Tertium fundamentum. Agentia per intellectum naturas propriorum effectuum, propriorumquè instrumentorum cognoscunt. Hoc fundamentum docet Aristot. nono meth. text. decimo, & etiam colligitur ex illa propositione vniuersalissima. Omne agens propter finem agit. Quæ ità intelligitur iuxtà omnium sententiam, & habetur

tur secundo physic. & quinto metha. in c. de causis.

Ex istis suppositis, ità prima ratio formatur. Omne agens per intellectum cognoscit suorum effectuũ, propriorumquè instrumentorum naturas, vt ex tertio constat fundamento; at intelligentię sunt per intellectum agentes, vt clarum est ex secundo fundamento: ergo intelligẽtiæ suorum effectuum propriorumquè instrumentorum naturas cognoscunt, sed per primum fundamentum; rerum generabilium naturæ sunt effectus intelligentiarum, cœlestiaquè corpora sunt intelligentiarum instrumenta; ergo intelligentię rerum materialium, tàm generabilium, quam ingenerabilium naturas cognoscunt.

Secunda ratio super duobus Aristotelicis fundamentis fundatur.

Primum fundamentum. In specie superiori, virtualiter, & eminenter continetur id, quod est inferioris speciei, & ad superioris modum: Hoc fundamentum docet Arist. secundo de anima tex. trigesimo, vbi docet, vegetatiuum, quod est inferioris ordinis esse in sensitiuo, quod est ordinis superioris, sicut trigonum in Tetragono, et octauo methaphysicè tex. 10. vbi astruit, rerum species esse sicut numeros; modò autem constat, inferiorem numerum esse in superiori virtualiter, secundum superioris naturam, & vegetatiuum esse in sensitiuo secundum modum sensitiui, & sensitiuum in intellectiuo, secũdum intellectiui modum.

Secundum fundamentum est. Actus est potentia perfectior, & res materialis potentiæ rationem habet, quia est composita ex materia, substantia autem separata habet actus rationem. Hoc fundamentum quoad primam partem docet Aristo. nono meth. text. decimoquinto, decimosexto, decimoseptimo, decimooctauo. Quoad secundam partem loco nunc citato. Primam autem partem docet duodecimo. meth. text. trigesimoquinto, quadragesimotertio, & 44.

Ex his fundamentis talis constituitur ratio. In superiori specie continetur virtualiter & eminenter inferior species, quoad superioris modum, at res materiales, siuè corruptibiles, siuè incorruptibiles sunt inferiores ipsis intelligentijs; ergo omnes huiuscemodi res materiales continentur eminenter, & virtualiter in intelligentijs ad intelligentiarũ modum, qui modus est esse intelligibile: ergo intelligentiæ res omnes materiales, siuè corruptibiles, siuè incorruptibiles intelligunt. Prima propositio clara est ex primo fundamento, secunda autẽ ex secundo.

Tertia ratio fundatur super duobus fundamentis, quorum primum est hoc. Intellectus intelligentiarum vniuersaliter totum suum obiectum cognoscit, quod est omne ens intelligibile. Prima huius fundamenti pars, quæ est; Intellectus intelligentiarum totum suum obiectum vniuersaliter cognoscit, est Arist. secundo de anima tex. trigesimotertio, vbi docet obiectum, & potentiam esse proportionata, ex consequenti intellectiua potentia intelligentiarum totum suum obiectum vniuersaliter cognoscit. Secunda autem pars ostenditur hunc in modum, esse ad mentem Arist. docet sexto. Meth. text. secundo, & tertio, ens inquantum ens esse subiectum naturalis Theologię, ac per hoc ens, inquantũ ens esse humani intellectus obiectum, tunc ità arguitur. Ens inquantum ens, ad mentem Arist est obiectum humani intellectus, ac per hoc omne ens intelligibile est intellectus hominis obiectũ; ergo multo magis omne ens intelligibile est obiectum intellectus substantię separatę. Cõsequentia probatur. Omnis perfectio simpliciter, quæ in natura inferiori reperitur secundum Aristotelẽ modo nobiliori in superiori reperitur, vt ostensum fuit in secunda ratione; sed separata à materia sunt superioris ordinis; cum sint aliquo modo generationis hominis causa, vt expreßè fatetur Aristot. sexto meth. tex. secundo: ergo separata à materia superioris ordinis, sunt.

Secundum fundamentum. Rerum corporalium species sub ente intelligibili, seu sub ente, in quantum ens, continentur, quod ità ostenditur. Nam Aristo. in sexto meth. determinat ens inquã tum ens esse meth subiectum; deinde in eodẽ lib. meth. explanat quid continea tur, sub subiecto meth. & inter alia, expresse docet, sensibilia entia sub meth. subiecto contineri.

Ex his præiactis fundamentis. Talis ratio formatur; intellectus substantię separatæ totum suum obiectũ cognoscit, vt ostensum est ex primo fundamento. At materiales res sensibiles sub obiecto intellectus intelligentiarum continẽtur vt ex secundo fundamento constat; ergo &c.

Quò ad secundum; duo obstant factę determinationi. Primum, intellectum est intelligentis perfectio, vt colligitur ex 12. meth. textu quinquagesimo primo. At res materiales minimè possunt esse substantiarum separatarum perfectiones, cum sint infrà ipsas; ergo substantiæ separatæ res materiales non cognoscunt.

Secundum argumentum. Res materiales non sunt actu intelligibiles, vt ex tertio de anima patet: verum sunt sensus, imaginationisquè apprehensione cognoscibiles, quę duo in substantijs separatis minimè reperiuntur, vt ostensum fuit supra capite 29. ergo intelligentiæ res materiales minimè cognoscunt.

Ad primum satisfacit D. Th. secundo contra gentes capite nonagesimo octauo, & prima parte quæstione quinquagesimaseptima, articulo primo, ad primum, hoc modo. Prima propositio scilicet intellectum est intelligentis perfectio, hoc modo est intelligenda, intellectum est de intelligẽtis perfectione, non secundum se; lapis enim intellectus, non est secundum se in intellectu, verùm secundum suam speciem, sed ratione suę speciei, secundum quam intellectum est in intelligente. Tunc secundam inficiamur propositionem; qm̃ species rerũ materialiũ ĩtelligibiles ĩtelligẽtiarũ perfectiones esse possunt, q̃ quidẽ species, vt sic, non sunt infrà intelligentias, sed supra inquantum sunt ipsarum accidentales perfectiones, & propriæ formæ intellectus earum.

Ad secundum respondet Diuus Thom. prima parte articul. citato ad secundum, si intelligentiæ materialium rerum cognitionem à rebus acciperent, necesse esset vt eas actu intelligibiles facerent, eas abstrahendo, vt in nobis contingit; Verùm quoniam intelligentiæ à rebus materialibus earum cognitionem non accipiunt, sed per species actu intelligibiles rerum materialium sibi connaturales, vt satis abundè superius fuit demonstratum, & ideò ad argumenti formam dicitur, res materiales posse duobus modis considerari; altero modo secundũ se, vt sunt entia extra aiam & ita prima propositio assumpta vera est; altero modo ratione suæ speciei intelligibilis, & ità assumpta propositio falsa est, cum res materiales, secundum suas intelligibiles species sint actu intelligibiles ab intellectu, & non à sensu.

Secundum Aristot. doctrinam intelligentiæ materialia singularia cognoscunt.

Cap. 44.

Hinc alia sequitur difficultas. Nùm substantiæ separatæ ad aures Aristotel. singularia cognoscant.

Circa hanc difficultatem duo agenda sunt. Primò difficultati responsum dandum est. Secundò est obiectis, respõdendum.

Quoad primum, ità respondemus difficultati. Intelligentiæ singularia materialia cognoscunt. Hæc

com-

conclusio tribus suadetur rationibus ex Aristo. doctrina desumptis, quarum prima hæc est. Arist. 12. Met. tex. 36. & 37. Contestatur intelligentias mouere orbes per intellectum, & voluntatem: ergo secundum Arist. Intelligentiæ motos orbes cognoscunt; sed moti orbes sunt res singulares compositæ ex materia, & forma; ergo intelligentiæ saltem ista singularia cęlestia cognoscunt.

Secunda ratio colligitur ex primo de Anima tex. 82. & 3. Met. tex. 15. vbi iudicat esse valdè absurdum; virtuté, & intellectũ inferiorem aliquid cognoscere, & illud à virtute, & intellectu superiori, non dignosci, & ideo affirmat, maximum esse inconueniens nos homines litem, & odium cognoscere, & ista Deum nescire.

Tertia accipitur ex primo post. c. 20. vbi hanc docet propositionem, qui vniuersa cognoscit, ét sua singularia cognoscit; sed vt probatum est supra c. 42. Intelligentię omnia vniuersalia materialia cognoscunt: ergo ét eorum singularia dignoscunt. Posset etiã demonstrari ista conclusio rationibus, quibus demõstrata fuit conclusio capitis præcedentis.

Quò ad secundum, tria sunt argumẽta contra præsentem conclusionem.

Primum argumentum. Contestatur Aris. primo post. c. 23. sensum esse singularium, rationem verò, siuè intellectũ vniuersalium; at in substantijs separatis (vt iam in præcedentibus ostensum est) non est sensus; ergo in ipsis non est singularium cognitio.

Secundum. Omnis cognitio fit per assimilationem cognoscentis ad cognitum; sed nulla potest esse similitudo inter substantiam separatam, & singulare materiale; cum illa sit immaterialis, hoc autem materiale; ergo &c.

Tertium. Secundum Aris. idem est principium essendi, & cognoscendi; sed materia indiuiduata est principiũ essẽdi; ergo materia indiuiduata est principium cognoscendi; quę cum non sit in substantijs separatis, non potest &c.

Ad primum respondetur à D. Tho. 1. p. q. 57. a. 2. Ad primum Arist. sermonem habere de nostro intellectu solũ, dũ est coniũctus qui intelligit per abstractionẽ à singularib. materialib. ex quo sequitur ipsum minimè singularẽ materiale intelligere, iste aũt intelligẽdi modus nequaq̃ substantijs separatis conuenit, vt in superiorib. probatũ fuit, quã de re illa auctoritas nõ est contrà sñiam nr̃am.

Ad secundũ respõdemus. Similitudinẽ esse in duplici gñe; quædam est similitudo in esse naturæ, & ita nulla similitudo est inter substantiã separatã, & singulare materiale; q̃dã verò est similitudo in esse cognito, & hęc inter itelligẽtiã, & singulare reperitur; singulare. n. materale secũdum suam speciem intelligentię, ipsum intelligenti, assimilatur.

Ad tertium asserimus illam Phy. propositionem, idem est principium &c. esse intelligendam non eodem modo; nã idem est principiũ essendi, & intelligendi; verùm diuersimodè; quoniam idem secundum suũ esse naturale est essendi principium, secundũ aũt suũ esse intelligibile, principium cognoscendi est.

Substantias separatas intelligere singularia materialia per species infusas demonstratur ad mẽtem Arist. Cap. 45.

DIfficultas est inter Metap. an substãtiæ separatæ singularia materialia intelligant per species infusas, an ab ipsis singularibus acceptas.

Circa hãc difficultatẽ tria agẽda sunt. Primò suadẽdũ est ad aures Aris. Intelligẽtias cognoscere singularia materialia nõ p species acquisitas, sed infusas. Secũdò agẽdũ est de modo huius cognitionis. Tertiò obiectis occurrendum est.

Quò ad primũ. Rñdetur difficultati tali cõclusione; Intelligẽtię res singulares materiales, ad aures Aris. cognoscũt per species infusas, nõ autem acquisitas. Hęc conclusio demonstrari põt per illas quatuor rões, qb. sup. c. 31. ostẽsũ fuit absolutè intelligẽtias intelligere, nõ p species à rebus acceptas, sed inditas. Etenim illa

illa media singularibus materialibus applicata hanc veritatem optimè demonstrant; attamen ad abundantiorem doctrinam, adhuc ista cõclusio demostratur ad aures Aris. ex duob. ipsius fundamentis apertis, quorũ primũ tale est. Dei essentia per quã ipse Deus intelligit tanquam per speciẽ intelligibilẽ vt totius entis effectrix causa, ac per hoc est etiam causa rei materialis, & quantum ad formam, & quantum ad materiam, quæ est indiuiduationis principium. Hoc fundamentum multis Aris. auctoritatibus in sequenti libro, dũ agemus de rerum creatione, ad aures Arist. demonstrabimus.

Secundum fundamentum. Species intelligibiles per quas intelligentiç intelligũt sunt quædam diuinæ essentiæ participationes, ac per hoc sunt similes secundum quandam proportionalitatem speciei diuinæ intelligibilis, hoc est Dei essentiæ. Hoc fundamentum fuit declaratum esse ad mentem Arist. supra cap. 32. ab ipsoquè esse assertum, 12. Met. tex. 39. vt eò loci videre est.

Ex his fundamentis hunc in modum ratio construitur. Omne simile diuinç essentiæ proportionaliter representat ea omnia, quæ fiunt, & representantur ab ipsa; at intelligibiles species, per quas intelligentiç intelligunt, sunt diuinæ essentiæ similes: ergo species intelligibiles intelligentiarum omnia representant, quæ fiunt, & representantur per ipsam Dei essentiam; at Dei essentia omnia materialia, & quò ad formam, & quò ad signatam materiam facit, & representat, vt ex primo constat fundamento; ergo species intelligentiarum intelligibiles, omnia materialia tã quò ad formam, quàm quò ad materiam signatam, indiuiduationis principiũ representant; ergo intelligentiæ omnia singularia materialia, per species infusas, non autem acquisitas cognoscunt. Prima propositio conspicua est ex similitudinis ratione. Secunda autem aperta est ex fundamento secundo, sequela autem vltima ex se patens est. Hæc de primo.

Quò ad secundum. Duo sunt contemplanda. Primum quomodo intelligibilis species singularia representat. Secundum quid sit illud, quod representatur. Et pro primi resolutione considerandum est, speciẽ intelligibilem, intelligentiæ impressam (licet sit secundum Aris. vt ex dictis cõstat, quædam diuinæ speciei participatio) esse valdè deficientem à diuina similitudine, & licet distet ab illa in infinitum, in hoc tamen etiam modo speciali differt, eò quoniam diuina similitudo omnia representat, siuè sint, siuè non sint, cũ æternitate mensuretur. Species autem intelligibilis substantię separatę non omnia representat, sed solum naturalia, & non pro omni temporis duratione, sed solum quando sunt, quãdo autem non sunt, minimè representantur, quemadmodum asserimus, si oculus in se naturaliter speciem coloris congenitam haberet, tunc illa species colorem representaret, quando in rerũ natura esset, non autem, quando non esset. Et ratio vtriusquè scilicet, speciei intelligibilis in mente substantiæ separatæ, & visibilis in oculo est, quia inter representans, & representatum realis similitudo esse debet; at realis similitudo nequaquam potest esse, nisi extrema sint realia, quapropter singulare minimè representari poterit, nisi realiter existat. Prima propositio nota est ex terminis. Secunda autem ità demonstratur. Relatio realis extrema realia requirit, sed realis similitudo, est relatio realis; ergo &c. Vtraquè propositio ab omnibus rectè sentientibus conceditur; qua de re similitudo in mente intelligentiç singularia solum quãdo sunt, representat, nó autem quando non sunt; non ex ipsius defectu similitudinis, sed obiecti, & representat nunc hoc singulare existẽs, quod prius non representabat, quando non erat; & hoc non per ipsius similitudinis mutationem, sed obiecti, quod de non esse ad esse mutatur; quocirca ista similitudo per se primo, & directè, existens, singulare representat; secũdariò

dariò autem, & ex consequenti, quādo non est existens.

Pro secundi determinatione considerandum est, iuxta Caietani doctrinam quatuor esse in singulari puta Platone. Primò est quidditas, puta humanitas, secundo singularitas, tertio exitētia quæ cum singularitate, quidditatem coniungit, quarto talis duratio existentię, & coniunctionis. Deinde considerandum est, hæc omnia necesse est vt cognoscātur ab intellectu; perfectè, ipsum singulare cognoscēte. Cumquè cognitio fiat p assimilationem, oportet, vt omnia ista represententur. Verùm quomodo ista quatuor representetur, non satis constat, & præsertim de quarto. Pro cuius declaratione sciendum est, duobus modis aliqua in se ipsis representari; altero, vt res representata veluti color per speciem visibilem representatur; altero tanquam conditio rei representatæ, sine qua nōn; non autē, vt res representata, sicut se habet duratio, seu coloris pręsentia, quæ nō potest representari per speciem visibilem; Verum color non potest representari nisi sit præsens, temporequè præsenti, mensuretur; ex consequenti duratio, seu coloris præsentia, representatur, non vt res representata, sed vt conditio sine qua, color non representaretur. Subindè animaduertendum est tria prima representari, vt res representatę secundum omnium Thomistarum sententiam, de quarto autem magna ambiguitas est inter Thomistas; nam Caie. prima p. quæstio. 57. a. secundo, astruit, durationem in non representari tanquam rem representatam, sed tā quam existentiæ representata conditionem. Ferrar. autem secundo cont. gen. cap. 100. affirmat, hanc durationem à specie intelligentiæ impressam, tanquā rem representatam, representari. Huic què sententiæ subscribit Dominicus Bannes p. p. loco citato. Et pro huius difficultatis determinatione tria agemus. Primò vna ratio Caietani adducenda est. Secundò adducendæ sunt duæ Ferra. rationis. Tertiò quoniam vtràque opinio sustentabilis est, rationes vtriusquè partis soluemus.

Quò ad primū Caie. ità arguit. Firmiter credimus intelligētias futura contingentia minimè cognoscere; si autem in substantia separata indita esset similitudo meç cras cœnæ sessionis præciret euidēter sessionem mihi cras coniungendam. Hæc Caiet.

Quò ad secundum Ferr. ità primo arguit Apud D. Tho. de ver. q. 8. a. 11. ad nonū, species in substantia separata existentes, singularia, omniaquè accidētia, quę in singularib. sunt, representant; sed in singularibus non solum est coniunctio, seu existentia contingens, sed etiā ipsum quando, quod ad durationem pertinet; ergo &c. Secundo ità arguit. Apud D. Thom. substantiæ separatæ de singularibus simplici intuitu, cognoscunt, quicquid nos per compositionē, discursumquè cognoscimus; at nos cognoscimus naturæ singularis cum existentia compositionem, durationemquè huius compositionis contingentis, componendo; cum tempus sessionem mēsurare cognoscimus; ergo multò magis substantia separata, idem cognoscit; ergo talis coniunctionis duratio est res representata sibi per speciem.

Quò ad tertiū. Ad Caietani rationē rñdendo consequutionem negamus; quoniam sicut secundum Caietanum etiā res singularis nō representatur nisi, quādo est; ita pari passu duratio per speciē intelligentiæ impressam, nisi quando est; & ideo sequela nil valet.

Ad Primūm Ferr. totum illud argumentum admittitur. Verum consequutio inferenda negatur videlicet; ergo duratio vt res representatur; quoniam duratio ista representatur quidem illa similitudine: sed non vt res representata, verum vt rei representatæ conditio. Ad secundum dicimus, hanc durationem duobus modis sumi posse; vno modo, vt res quædam secundum se; alio modo, vt rem existentem, tanquam eius cōditionem respicit. Si duratio secundū se sumatur vt quædam res est, tunc per

se

se cognoscitur, per se repręsentatur vt res repręsentata, & hoc tantum suadet Ferra. ratio; si autem sumatur tanquam rei conditio, tunc repręsentatur; non vt res repręsentata; verum vt rei conditio repręsentatæ.

Quò ad tertiũ principale. Contrà hãc veritatem sunt tria argumenta. Primum argumentum. Primo post. cap. 23. sensus est singularium, intellectus autem vniuersaliũ; sed in separatis substãtijs nõ est sensus, vt ex dictis constat; ergo &c. Respondetur Aris. de nostro intellectu loqui, qui res non intelligit nisi per abstractionem à singularibus; qui quidem intelligendi modus intelligentijs minimè conuenit.

Secundum argumentum. Omnis cognitio est per aliquam assimilationem cognoscentis; ad cognitum; at nulla põt esse similitudo intelligentiæ ad singulare, inquantum singulare; ergo &c. Maior ab omnib. conceditur. Minor autem, ex hoc nota est, quoniam singulare (de quo sermo est) est materiale, intelligẽtia autem immaterialis est. Huic argumento respondet D. Thom. 1. p. quæstio. 57. ar. secundo, & responsio consistit in minoris negatione. Ad probationẽ dicitur, duob. modis aliqua assimilari, vno modo secundum conuenientiam in genere, vel in specie, aut in accidente, & hoc modo minor vera est; alio modo, sicut superius cum suo inferiori similitudinem habet: veluti Sol cũ igne, per quẽ modum in Deo est omnium rerum similitudo, & quantum ad formam, & quantum ad materiam in quantum in ipso pręexistit quidquid in rebus inuenitur quæ quidem similitudo, appellatur similitudo eminentiæ, hacquè ratione species intellectus intelligẽtiæ quæ sunt quædam à diuina essentia deriuationes, sunt rerum similitudines: non solum quantum ad formam; verum etiam quãtum ad materiam.

Tertium. Si intelligentia singularia cognoscit, aut per species vniuersales, aut particulares; non per particulares, quia sic oporteret infinitas habere species: non per vniuersales, quia vniuersale non est sufficiens principium cognoscendi singulare, inquantum est singulare, cum singularia non contineantur in vniuersali, nisi in potentia: ergo intelligentia singularia non intelligit. Respondetur secundum D. Thom. intelligentiã singularia materialia cognoscere per speciem vniuersalem: & ad improbationẽ dicitur, vniuersale esse in duplici genere, quoddam est inferioris ordinis, & ita illa improbatio procedit: continet enim tale, singularia solummodo in potentia: quoddã verò est vniuersale superioris ordinis, & tale est tantæ excellentiæ, vt distinctè (excellenter tamen) possit esse ratio multorum singularium, multarumquè quidditatum, multarumquè coniunctionum, vniuersalis naturæ, cum singulari, in rerum natura repręsentantia; adeò vt statim illa coniunctio in rerum natura ponitur, statim illi speciei assimilatur, & ab ipsa repręsentatur, & cognoscitur: Desinente autem, statim desinit assimilari, repręsentari, per se primò directè cognosci.

Intelligentias quasdam futura cognoscere, & quædam non, ostenditur ad mentem Arist.

Cap. 46.

MAxima difficultas est in doctrina Aristo. Nùm intelligentiæ futura cognoscant.

Circa hanc difficultatem tria principaliter sunt peragenda. Primò titulus difficultatis exponendus est. Secundò quinquè conclusionibus difficultati respondendum est. Tertiò obiectis occurrendum.

Quò ad primum. Pro tituli explicatione quatuor notanda sunt.

Primo notandum est secundũ Arist. 2. Phis. text. 48. & 49. Eorum quę futura sunt, quædam necessario, & semper fiunt, vt Sol semper oritur: quædam vt

in

in pluribus, vt homo oculatus nascitur: quædam vt in paucioribus, & rarò, vt homo cum sex degitis nascatur &c. In ista controuersia de omni futuro sermo est.

Secundò notandum est. Ex eisdem textib. Eorum quæ fiunt, quædam fiunt propter finem, quædam verò minimè. Et quæ propter finem fiunt, quædam fiunt à voluntate, quædam verò à natura; & de futuris vtroquè modo hanc difficultatem instituimus.

Tertiò. Animaduertendum est, secũdum Aristo. 1. Periher. Omne futurum duobus modis considerari posse, vno modo, vt in sua causa est, alio modo vt est in seipso extra suam causam, in hac difficultate de omni futuro loquimur.

Quartò, animadertendum est, quod animaduertit D. Th. quæst. de Malo, q. 16 a. 7. cognoscere futura sua in causa, nil aliud esse, quàm præsentem inclinationem causę ad effectum cognoscere; quocirca cognoscere futurum in sua causa propriè loquendo est cognoscere præsens, & non futurum.

Quò ad secundum. Quinquè conclusionibus hanc difficultatem ad mentem Aris. determinamus. Prima conclusio. Intelligentiæ futura, quæ infallibiliter, necessariò, semperquè eueniunt, in suis causis perfectè cognoscunt: quæ demonstratur, in hunc modum, ad mentem Arist. Intelligentiæ per species inditas cognoscunt per certitudinem omnes causas naturales, suasquè proprietates naturales, & inclinationes secundum Aristo. vt deductum fuit supra cap. 42. in fundamento pro ratione tertia, eo, quoniam, intelligentiæ omne ens naturale cognoscunt; at cognoscere futurum necessarium sua in causa est cognoscere naturalem causæ inclinationem, vt patet ex terminis declaratis in quarto notãdo. Secundò, probatur hæc conclusio, vt probatum fuit superius cap. 43. ratione secunda, quia inconueniens est, vt virtus inferior aliqua cognoscat, & non virtus superior, ex primo de Anima text. 83. & 3. Metaph. text. 15. sed Philosop. cognoscunt hæc: ergo multo magis intelligentiæ.

Secunda conclusio. Intelligentiæ secũdum Arist. cognoscunt futura, quæ eueniunt vt in pluribus, & frequenter in causis suis per maiorem coniecturam, quàm homines cognoscant; quæ ita demonstratur. Intelligentiæ per certitudinem cognoscunt solummodo, quæ infallibiliter, & semper eueniunt, ex prima conclusione; ergo &c. Secũdo probatur. Per Aristo. primo Periher. lec. 13. & 14. D. Thom. futura, quæ vt in plurib. eueniunt, nõ sũt necessaria; verũ sunt mutabilia, & possibilia nõ esse: ergo secundũ se, nequaquam possunt certo dignosci; ergo nequè ab intelligentijs per certitudinem cognoscuntur, sed solum per coniecturam. Consequẽtia probatur ex Aris. primo, post. cap. de necessarijs; quoniam quod certò dignoscitur, necessariò, & impossibile est non esse.

Tertia conclusio. Futura, quæ à causis naturalibus rarò, & vt in paucioribus. proueniunt cuiusmodi sunt fortuita, & casualia nullo pacto ab intelligentijs cognosci possunt; quæ bifariam probatur. Illa ab intelligentijs secundum Aristo. cognoscuntur, quæ aliquo modo ab ipsis causantur, vt deductum fuit ad mentem Aris. cap. 42. in fundamento primæ rationis; at ista futura contingẽtia nullo modo ab intelligentijs causantur; eo quia nullam habent causam naturalem, per Aris. 6. Met. tex. 7. Et primo Periher. lec. 14. D. Thom. vbi docet multos causarum concursus, ex quibus effectus per accidens, seu casuales, & fortuiti eueniunt, nullam habere causam cœlestem, vel naturalem. Hancquè doctrinam declarat D. Thom. prima par. quæstio. 115. articu. sexto, & Caietan. ibidem, & sexto Met. lec. 3. & primo Periher. lec. 14. & 3. cont. gent. capi. 86. & Ferra. eò loci. Et multos effectus contingentes docet Aristot. primo Periher. reducendos esse, non in aliquam causam superiorem naturalem; sed in materiam, seu potentiam passiuam, quia scilicet, possunt deficere; ergo

ergo non reducuntur in causam superiorem naturalem; ergo non possunt ab intelligentiis cognosci. Secundò ita probatur: Infinitum est ignotum secundum Aristo. 3. Phis. tex. 65. at entia casualia, & fortuita infinitas habent cãs per ipsum 2. Phis. tex. 55. ergo istę causę ignorę sũt; ergo & entia fortuita, & casualia secũdum se ignota sunt: ergo à nullo intellectu, vt sic, possunt dignosci; ergo neq; ab intelligentia cognosci possunt. Prima consequentia suadetur ex eo, quia tunc cognoscimus cum causas cognoscimus ex cap. 1. post. quocirca, quãdo causæ sunt ignotæ effectus quoquè ignoti sunt: alię consequentię sunt per se patentes.

Quarta conclusio. Intelligentia non possunt cognoscere in suis causis futura contingentia, quæ à voluntario agente prouenunt. Hæc conclusio demonstratur dupliciter. Primò; Quæ sunt variabilia, & maximè mutabilia non possunt sciri, ac per hoc, nec intelligi à quacunque intelligentia, sed futura contingentia suis in causis liberis sunt maxime variabilia, & mutabilia, ergo non possunt &c. Maior propositio est Aris. quasi per totum librum primi poster. Minor autẽ est ipsius primo. Periher. lec. 14. D. Th. Secundo ità probatur: intelligentiæ perfectè omnia, quæ habent dependentiam necessariam, ad suas species inditas, seu infusas, cognoscunt. Hæc patet vt demonstratum fuit in superioribus, cum doceremus, intelligentias intelligere ad aures Aris. omnia alia à se, & à Deo p species infusas (nam se, & Deum per essentias proprias cognoscunt) perfecta autem cognitio est necessariorum, id est, quæ necessariò repræsentantur, non autem aliqua necessariò repræsentantur nisi, necessariam connexionem ad species repræsentantes, habeant: Tunc subsumitur minor propositio; sed secundum Arist. futura contingentia libera, nullam habent dependentiam, vel cõnexionem ad species infusas; ergo &c. Ista minor propositio, hunc in modum suadetur. Si haberent aliquam dependentiã ista futura contingentia libera ad species infusas, hęc esset: vel quia ista libera contingentia substantias separatas causarẽt; & hoc esse non potest, quandoquidem, necessariũ est, in tota Arist. doctrina, actus humanos minimè intelligentias causarẽ: vel quia intelligentia hos actus humanos causarent, verum hoc etiam nequaquam esse potest in Aris. doctrina, quod ita demonstratur; Intelligẽtiæ, non agũt in ista inferiora ad mentem Aristo. nisi per corpora cęlestia, & hac de causa 12. Met. tex. 43. & 44. sustinet solum tot esse intelligentias, quot sunt cęlestia corpora, si aũt intelligentiæ aliquid in hęc inferiora absq; cęlesti corpore agerẽt, tunc possent esse plures intelligentię quã essent corpora cęlestia, quandoquidem, proprias operationes, absquè cęlesti corpore habere possent, ex consequenti, essent in rerum natura absq; corpore, q̃ vt docet ipse in lib. 2. de Cęlo; Vnumqđque est propter suam operationem: tunc vltra; sed corpora cęlestia non possunt directè aliquã actionem habere in intellectum, & humanam voluntatem secũdum Arist. ergo intelligentiæ ad mentẽ Aristo. hos actus hmanos minimè causant. Ista propositio vltimo assumpta. s. corpora cęlestia non possunt &c. multipliciter demonstratur; quoniã in ista materia maximum est fundamentum. Primo hunc in modum, secundum Aristo. 8. Phis. tex. 53. nullum corpus agit nisi p motum; at secũdum ipsum Aris. 7. Phis. tex. 20 Ea quę sunt circa intellectũ sunt (per se loquendo) omninò extra omnem motum; ergo cęlestia corpora in intellectum, & voluntatem nostram nõ possunt agere secundum Arist. Secundò ità demonstratur. Per Aristot. 3. de Anima tex. 4. 5. 6. 9. & 10. intellectus noster tam possibilis, quàm agens est à materia, & corpore separatus, & tex. 42. docet, voluntatem esse in parte intellectiua; quapropter secundum Aristo. totum principium (scilicet intellectus, & voluntas nostra) humanorum actuum, est omninò à corpore separatum; sed omne quod mouetur, motu corporali est corpus, vel

virtus

virtus in corpore per Arist. 6. Phis. tex. 86. ergo intellectus, & voluntas humana nō possunt aliquem influxum, vel motum corporalem in se recipere, ac per hoc non possunt moueri, vel recipere aliquid directè à corporibus cęlestibus. Tertio suadetur. Arist. 3. de Anima tex. 150. & 4. Met. text 22. improbat opinionē Philosoph. asserentiū, intellectum à sensu non differre, & corpora cęlestia causare trāsmutationē in nostrum intellectum, & probat 3. de Anima text. 15. 18. & 19. intellectū possibilem reduci de potentia ad actum, ab intellectu agēte, qua de re ex ista improbatione apertè colligitur, Aris. sensisse cęlestia corpora in nostrum intellectum minimè agere; ergo intelligentiæ (colligendo omnia) cum non agant nisi medijs corporibus cęlestib. in hęc inferiora, aliquā causalitatem per se minimè habere possunt super actus humanos; ergo humani actus ad species ipsis intelligentijs inditas, nullam habent necessariam connexionem; & ideo intelligentiæ ista futura cōtingentia libera in suis causis non possunt dignoscere.

Quinta conclusio. Nulla futura, quæcunquè sint illa, extrà suas causas secūdum quod sunt in actu à, quacunquè creatura etiam nobilissima, vt est intelligentia cognosci possunt, verum solum à Deo. Quæ conclusio duas habet partes. Prima. Futura in se ipsis, vt futura sūt à nulla creatura cognosci possunt. Quæ pars multifariam demonstratur. Primò docet Aris. 9. Met. tex. 20. & 21. quod non est in actu non potest cognosci; at futura vt futura sunt, non sunt in actu; ergo cognosci minimè possunt. Secundò omnis cognitio fit per similitudinem cogniti ad cognitum, vt asserit Arist. 3. de Anima tex. 38. at res quæ non sunt minimè similitudinem habent cum specie intelligibili in mente intelligentiæ existenti; ergo res non existentes non possunt ab intelligentia perfecte cognosci. Minor ità suadetur similitudo est relatio realis, secundum Aristo. in prædicamentis & 5. Met. text. 20. at realis relatio realia requirit extrema; ergo similitudo est solum inter actu existentia; ergo res futuræ cum non sint existentes non possunt ab aliqua similitudine representari, quod erat probandum. Tertiò vtraquè conclusionis pars simul ostenditur. Contingentia omnia in se ipsis cognosci non possunt, nisi quando sunt, quia tūc necessaria sunt, secundum Arist. asserentem primo Periher. lec. 15. D. Th. vnumquodque esse necessarium dum est; at soli Deo res omnes futuræ contingentes sunt præsentes in se ipsis: ergo solus Deus futura contingentia in se ipsis cognoscit. Quod autem Deo omnia futura sint præsentia. Suadetur ex eo, quia secundum Aris. 2. Met. vt deductum fuit supra cap. 8. & cap. 13. & magis infrà agentes de Deo, demonstrabimus, solus Deus est infinitus, ac p hoc solus Deus ęternitate mensuratur; quæ mensura est tota simul, alia vero omnia incorruptibilia secundum Aristote. mensurantur ęternitate, quæ non est tota simul, verum est successiua, quæ est, vel tempus ęternum, vel quæcunquè alia mensura à Dei mensura distincta, quoniam secūdum Arist. 10. Met. tex. 4 & 5. Mensura & mensuratum debent esse proportionata, eiusdemquè generis & naturæ: soli itaquè Deo omnia sunt præsentia.

Quartò vtraquè conclusionis pars etiā simul suadetur. Essentia & species inditæ, omniaquè in intelligentijs inuenta sunt finita; solus autem Deus infinitus est; ergo essentia, & intelligentiarum species nō possunt representare, nisi ea, quæ sunt determinata: essentia autē Dei etiam indeterminata representare pōtea quę sunt indeterminata; sed per Aris. primo Periher. locis citatis, futura contingentia & præcipuè humana sunt indeterminata; ergo solus Deus & c. Antecedens quò ad vtramquè partem fuit demonstratum ad mentem Arist. suprà citatis capitibus 8. & 13. consequentię autem ex se manifestæ sunt.

Sex

Sex argumenta contrà principalem difficultatem diluuntur.
Cap. 47.

QVò ad tertium, sex sunt argumenta soluenda, quorum primum tale est.

Primum. Omnia futura necessariò eueniunt; ergo omnia futura sunt necessaria; ergo omnia futura cognosci possunt. Ambæ consequentiæ sunt apertę. Antecedens suadetur ab antiquis Phil. apud Aristot. 2. Phis. tex. 40. & sequentibus, quam probationem vna cum opinione sequutus est Auicēna. 10. suæ Met. capit. primo, & ratio talis est. Si aliquis cœlestium corporum effectus impeditur, necesse est, vt hoc impedimentum, sit vel ab aliqua causa naturali, vel voluntaria; at omnis causa naturalis, & voluntaria ad aliquod cęleste corpus principium reducitur; ergo illud impedimentum ex aliquibus principijs cœlestibus prouenit; ergo si totus cœlestium corporum ordo simul accipiatur impossibile est, ipsum cassari; ergo omnes in istis inferioribus effectus, siuè à causis naturalibus siuè à voluntarijs proueniant, erunt necessarij: hæc est Auicennæ ratio, quam antiqui apud Aristotel secundo Phis. sic formabant: Cuiuslibet effectus, est determinata causa, sed posita causa sufficienti ponitur effectus; ergo omnia necessario eueniunt.

Ad hanc rationem respondet Arist. sexto Met. text. septimo, ambas negando assumptas propositiones. Nam primo falsa est illa propositio; Posita quacunquè causa, etiam sufficienti necessario sequitur effectus; quoniam licet sit aliqua causa per se, & sufficiens, tamen impediri potest ex alterius causæ concursu, vt postmodum non sequatur effectus. Secundò falsa est ēt illa propositio, scilicet, cuiuscunquè effectus est determinata causa: vera quidem est in effectibus per se, non autem in effectibus per accidens, eo quoniam tales effectus per accidens non habēt causam, sicut datur quidem causa aliqua, vt musicum sit in homine, & vt album sit in eodem homine, attamen non datur causa, vt idem homo sit musicus, & albus; quoniam quæcũquè simul sunt propter aliquam causam ordinem inter se habent, quæ autem sunt per accidens, non hn̄t inter se ordinē, ac per hoc nō possũt aliquam habere causam; pari modo affirmamus, aliquo effectu contingēti supposito, illum aliquam habuisse causam ex qua necessario non sequebatur, quia poterat impediri ex aliqua alia causa coniuncta per accidens, quæ causa impediens, licet in aliquam aliam causam reducatur; tamen cum ille concursus qui impedit, in aliquam causam minimè reducatur, non est asserendum, huius effectus, vel illius impedimentum, in aliquod principium cęleste reduci, à quo necessariò procedat; idcircò nec est etiam affirmandum, omnes cœlestium corporum effectus in istis inferiorib. ex necessitate euenire.

Et per hæc ad formam Auicēnæ respondemus, primò negando, si effectus aliquis cœlestium corporum impediatur, hoc impedimentum in aliquam causam naturalem, vel voluntariam esse reducendum. Secundò negatur causam voluntariam in cœleste corpus reduci. Tertiò negatur omnem naturalem causalitatem in Cœlum reduci. Vera quidem est de causa naturali effectrice, & per se, non autem de causa materiali: Reducitur enim in naturam inferiorem, secundum Aristot. primo Periher. Nequè est vera de causa effectiua per accidens. De hac materia vide Caiet. 1. p. q. 115. ar. 2. & Ferra. 3. contra gen. cap. 86. qui multa pulcherrima docent.

Secundum argumentum probat, omnes effectus per accidens ad causam per se reduci, hoc modo: Omne per accidens reducitur ad per se; ergo omnes effectus per accidens ad causam per se reducuntur.

Ad hoc argumentum respondet D. Thom.

D.Tho. primo. Periher. lec. 14. Consequentiam inficiando, eò quoniam per accidens reducitur per se, non quia sit per se, vel ad causam per se reducatur, sed quia per accidens accidit ei, quod est per se, sicut album accidit Platoni per se existenti; & esse per accidens accidit subiecto perse existenti. Similiter omne, quod in aliquo effectu est per accidens considератur circa aliquem effectum per se, qui effectus, quantum ad id quod est per se, habet causam per se, quantum autem ad id quod est per accidens habet causam per accidens; quia omnes effectus suis causis proportionentur.

Tertium argumentum suadet nullum esse effectum per accidens in istis inferioribus, a causa naturali provenientem, hoc modo: sicut simplex effectus, puta, hoc ignitum habet in corpore cœlesti aliquam per se causam, in quam reducitur proxima eius causa, ita proximarum concursus causarum, à concursu illarum cœlestium causarum causatur vt combustibile esse in terræ superficie, est tandem ab A. causa Cœlesti, & combustiuum superius genitum, & deorsum cadens est ab. E causa cœlesti; ergo concursus combustibilis cum combustiuo est ex concursu ipsius. A. & C. sed concursus. A. & E. est per se, non autem per accidens, cum in cœlo, nullus sit concursus per accidens; quando quidem in cœlo omnia sunt perse; ergo horum inferiorum concursus per se haberet causam secundum esse, licet quo ad nos sit accidens, cum ignoremus perseitatem necessariam.

Respondemus, & primo inficiamur primam assumptam propositionem scilicet omnis effectus simplex habet causam, quæ in cœleste corpus, reducitur quoniam docet Arist. primo Perhiermenias loco citato, & Diuus Thomas ibidem, & sexto Metaphysicæ multi effectus sunt, qui reducuntur in naturam potentiæ in naturalibus inuentam; qua potentia possunt deficere, & sunt in potentia contradictionis. Secundò respondemus concedendo proximarum concursus causarum à concursu causarum cœlestium causari; sed inficiamur illum concursum cœlestium corporum ad istas causas inferiores applicatum deficere potentes esse necessarium; est enim contingens sic applicatus, licet secundum se sumptus sit necessarius; quoniam dum ille concursus cœlestium corporum, istis causis inferioribus deficere potentibus applicatur ad ipsarum modum modificatur (cum vnumquodquè recipiatur per modum recipientis) ex consequenti sic applicatus contingens est. Vide Caietanum prima parte quæstione centesimadecimaquinta articulo sexto, hanc materiam optimè declarantem.

Et hæc omnia, tàm contenta in argumentis, quàm in argumnetorum solutionibus examinabuntur declarabunturquè à nobis summa diligentia, longaque digressione in tertio libro huius Theologiæ Aristotelis in tractatu de futuris contingentibus ad mentem Aristotelis.

Quartum argumentum est contra principalem conclusionem, & est tale. Præsens & futurum sunt temporis differentiæ: sed intellectus intelligentiæ est suprà tempus; quoniam ut asseritur in libro de causis, intelligentia patificatur æternitati, idest, æuuo; ergo quantum ad intelligentiæ intellectum non differunt præteritum & futurum, sed indifferenter vtrumque coguoscit.

Respondemus: Tempus esse in duplici discrimine; nam quoddam est tempus continuum, motus corporales mensurans, & supra hoc tempus est Intelligentia: quoddam autem est tempus discretum mensurans operationes discretas, & intelligibiles

gibiles, quod appellatur proprio nomine tempus discretum, quod fuit ab Aristo. insinuatũ in quantitatis prædicamento, quando asseruit, orationem esse quantitatem discretam; quod quidem tempus est diuersarum operationũ immanentium, sibi inuicem succedẽtium numerus; & isto tempore operationes intelligibiles intelligentiarum mensurãtur; & ideò negatur, intelligentiarum intellectum respectu suarum operationum esse suprà hoc tempus; est tamen verum essentiam intelligentiarum æuo mensurari, de quo alias differendum est.

Quintum argumentum. Intelligentiæ non cognoscunt per species à rebus acceptas; sed per species innatas naturales: at species vniuersales æqualiter se habent ad præteritum, & futurum; ergo &c.

Dicimus, verum esse species vniuersales æqualiter se habere ad præterita, præsentia, & futura; minimè tamen præterita, præsentia, & futura æqualiter se habere ad species vniuersales: quoniam ea, quæ prætérita sunt, cũ ipsis speciebus similitudinem habuerũt; quocirca de ipsis remanet memoria, cum fuerint illæ species ab illis præteritis determinatæ. Quæ autem sunt præsentia, habent naturam per quam speciebus in mente intelligentiæ existentibus assimilantur, & ita per ipsas singularia præsentia cognoscunt. Futura autem nullam habere naturam, per quam speciebus assimilantur; & ideò ipsa futura non possunt cognosci.

Sextum argumentum. Sicut aliquid dicitur distans secundum tempus, ità etiam distans est secundum locum; sed intelligentiæ distantia secundum locum cognoscunt; ergo etiam cognoscũt distantia secundum tempus: hæc autem sunt futura.

Respondemus, & imus inficias similitudinem; quandoquidem distantia secundum locum in rerum natura sunt; & ideò possunt aliquam participare speciem illiq; speciei assimilari, ac per hoc cognosci, quod de futuris nequaquam verum est, vt assertum fuit.

Intelligentias non posse cordium cogitationes dignoscere, ad mentem Aristotel. demonstratur.

Cap. 48.

EST maxima, & pulchra difficultas in Aristot. doctrina. Num intelligentiæ cordium cogitationes dignoscant.

Circa hanc difficultatem, quatuor agenda sunt. Primò titulus difficultatis explanandus est. Secundò difficultati est respondendum. Tertiò ostendendum est, per quem modum (demonstrato aliquo casu, intelligentias cordium cogitationes dignoscere) cognoscant. Quartò obiectis occurrendum est.

Quò ad primum. Pro tituli expositione quatuor sunt consideranda. Primò considerandum est: nos per cor, primo intelligere mentem, secundò voluntatem, quę à Philosop. & Theologis cor appellatur; quoniam sicut cor corporis est principium, quo omnium operationum corporalium animalis; ità intellectus, & voluntas sunt vnum principium, quo humanarum operationum intellectualium: hoc modo vtitur D. Thom. tertia p. q. 28 arti. primo. Quapropter per cogitationes cordis intelligimus conceptiones intellectus voluntarias, & affectiones voluntatis liberas.

Secundò speculandũ est, duobus modis nos posse hominum cogitationes cognoscere: vno modo in seipsis, sicut homo proprias cognoscit cogitationes; alio modo per aliqua signa exteriora, & corporalia, quod accidit, qñ homo ex interioribus cogitationibus, ad aliquam ducitur passionem, quæ si fuerit vehemens, in exteriori etiam apparentia aliquod habet indicium, per quod etiam

etiam à rudioribus deprehendi potest; sicut timentes palescunt, verecundi autem erubescunt, vt asserit Phil. quarto Eth. Verum etiam si leuior sit passio, potest à subtilioribus medicis aprehendi; at ex præcedentibus constat, si homines hoc possunt cognoscere, multo magis intelligentiæ illud intelligere poterunt; cum absurdum sit (vt superius dicebamus) homines aliquid intelligere, superiores autem intelligētias hoc ignorare. Quapropter de hoc modo cognoscendi cordium cogitationes in hac materia non intendimus, sed de primo modo.

Tertiò considerandum est, pro elucidatione cognoscendi cordium cogitationes in seipsis, in cogitatione intellectiua; duo attendenda esse alterum est ipsa species intelligibilis; alterum est ipsius speciei vsus, qui vsus nil aliud est, nisi intelligere, & cogitare. Et circa species intelligibiles considerandum est, vnumquemquè intellectum aliter se habere ad superioris intellectus species, & aliter ad species inferioris intellectus. Nam species intelligibiles superioris intellectus sunt vniuersaliores, vt constat ex præcedentibus; & ideò per species intelligibiles inferioris intellectus nequaquam comprehendi possunt. Species autem inferioris intellectus sunt minus vniuersales; & ideo superior intelligentia potest eas perfectè cognoscere, & de eis iudicare per species vniuersaliores. Et quoniam species humani intellectus sunt magis singulares speciebus cuiuscunque infimæ intelligentię, vt manifestum est ex assertis, hinc fit vt intelligentia possit species humanas cognoscere, & de eis iudicare; quapropter nulla est controuersia in præsenti, de cognitione specierum intelligibilium humani intellectus; verum controuersia, & difficultas est de istarum specierum vsu; qui vsus consistit in cogitare aliquid actualiter, & de aliquo deliberare, aliquidquè amare. Quo circa sensus controuersiæ est. An intelligentia cognoscat, quid homo cogitet, quid deliberet, quid amet, & id genus: sicut ipse homo cogitans, deliberans, amans, & id genus cognoscit omnia ista.

Quartò Animaduertendum est, nos quæstionem habere de præsentibus cordium cogitationibus, non autem de futuris, quia de futuris satis abundè pars negatiua in capit. 45. demonstrata fuit. Sed de præsentibus cordium cogitationibus inuestigamus, an sicut intelligentia per species innatas, omnes res naturales actu existentes intelligit; ità etiam per easdem species connaturales præsentes cordium cogitationes intelligere possit.

Quò ad secundum, hoc modo difficultati respondemus tali conclusione. Cogitationes cordium, vt sunt in seipsis, seu vt sunt in mente; & voluntate creaturæ intellectualis non possunt à quacunque intelligentia cognosci ad aures Aristotel. sed à solo Deo cognoscuntur. Hæc conclusio tribus potissimis suadetur rationibus.

Prima ratio fabricatur super duobus fundamentis in doctrina Aristotel.

Primum fundamentum. Intelligentiæ non cognoscunt nisi ea, quæ ad naturæ ordinem spectant. Hoc fundamentum bifariam ostenditur. Primò species, per quas intelligunt intelligentiæ, sunt connaturales, vt ex dictis manifestum est; ergo naturaliter representant: ergo etiam solum naturalia representant. Secundò ità probatur: ea quæ per species intelligentiarum naturales representantur; aliquam necessariam connexionem, aliquemquè ordinē necessariū habētad ipsas intelligētias; quā cum scientia sit necessariorum secundum Aristot. 1. lib. post necessariò etiam istæ species representant; ergo representata habent necessariam connexionem, necessariumquè ordinem ad huiusmodi species; ergo representata in istis inferioribus habent rationem effectus respectu intelligentiarum. Superiora autem vt sunt superiores intel

ligentiæ respectu inferiorum habent connexionem naturalem, & ordinem, cum contineantur sub obiecto proportionato cuiuscunque intellectus intelligentiarũ; sed hæc omnia spectant ad ordinem naturæ; idcircò intelligentiæ nõ cognoscunt nisi ea, quæ ad ordinem naturæ spectant.

Secundũ fundamentum. Voluntas creata soli Deo, subiacet quò ad suum motum voluntarium, nulloquè modo subiacet intelligentiæ.

Hoc fundamentum bifariam suadetur ad mentum Aristot. docet Aristot. 8. Phy. tex. grauia, & leuia non moueri naturaliter, nisi à generante ipsa; ex quo colligitur de mente Arist. nullum agens posse mouere aliquid naturaliter nisi sit illius causa, ex quo concluditur à Diu. Thom. 1. 2. q. 9. art. 6. hominem voluntatem habentem non posse moueri ab aliquo extrinseco secundum motum volũtarium nisi illud sit voluntatis causa, sed solus Deus ad mentem Arist. est volũtatis causa, &c. Ista minor, dupliciter suadetur. Primo: solus Deus, est animæ intellectiuę causa, vt demonstrabitur in materia de creatione ad mentem Arist. & iam demonstratum est in materia de animę immortalitate ad ipsius mentem. Secundò; illa minor ità suadetur: voluntas habet ordinem ad vniuersale bonũ secundum Aristot. 3. de Anima text. 42. qui ait voluntatem esse in intellectu, quocircà intellectum sequitur: obiectũ autem intellectus est ens vniuersale, vt asseritur. 4. Met. in principio, & 5. & 6. in principijs, & in 3. de Anima text. 15. & 18. ac per hoc secundum Arist. voluntatis obiectum est vniuersale bonum, non aũt particulare; idcircò secundũ ipsum voluntas habet ordinem ad vniuersale bonum, sed per ipsummet. 12. Met. text. quinquagesimosecundo, & quinquasimotertio, solus Deus est vniuersale bonum; ergo solus Deus potest voluntatem causare; ergo voluntas soli Deo subiacet nullo autem modo intelligentiæ. Secundò probatur hoc secundum fundamentum. Nam vt probatum fuit, supra co. 45. in secunda probatione quartæ conclusionis, per multa Aristote. dicta, intelligentias non posse agere aliquo pacto per se in intellectũ, & voluntatem. Itidem probatum fuit ibidem, Intelligentias non agere in hæc inferiora nisi medijs corporibus cęlestibus ad mentem Arist. ex quibus conclusum fuit, intelligentias non posse per se intellectum, humanamquè voluntatem mouere: ergo humana voluntas, intelligentijs minimè subiacet. Ex quo fundamento duo alia eliciuntur fundamenta. Alterum. Solus Deus potest mouere voluntatem quò ad actus exercitium, quod probatur, quia Solus Deus voluntatem mouere potest, voluntasquè soli Deo subiacet. Alterum est. Solus Deus, voluntatem quo ad specificationem, efficacier potest, mouere: probatur; quoniam solus Deus est vniuersale bonum, quod est obiectum specificans ipsius voluntatis.

Ex istis fundamentis. Hoc modo prima formatur ratio. Intelligentiæ non cognoscunt per connaturales species nisi ea, quæ ad naturalem ordinem spectant, sed cordium cogitationes, vt sunt in se ipsis, seu vt sunt in voluntate, sunt extrà naturalium ordinem rerum; ergo ab intelligentiis cognosci non possunt. Prima propositio ex primo fundamento patens est. Secũda aũt ex secũdo fundamẽto suadetur hoc modo. Ea quæ immediatè ad Deum spectant extrà naturaliũ ordinem rerum sunt; hæc apertè ex duodecimo Metaph. text. quinquagesimosecũdo, & quinquagesimotertio, habetur, quib. ĩ locis affirmat Arist. Deũ esse bonũ ab vniuerso separatum, ab ipsoquè vniuerso extrinsecum, ac per hoc, ea quę immediatè spectant ad Deum, sunt extrà vniuersi ordinem, sicut & ipse Deus, at ex secundo fundamento, voluntas soli Deo subiacet; ergo cordium cogitationes secundum se, vt in voluntate sunt, extra vniuersi ordinem inueniuntur. Secundò ita cõclusio suadetur. Ex dictis in secundo fundamẽto de mẽte Arist. & ex text. quadragesimosecundo, & 43.

12. Met. Illud quod cadit sub ordine superioris causæ, non potest cognosci ab inferiori causa, sed solum causa superior mouens, & ille, qui mouet potest cognoscere illud, quod sub inferioris causę ordine cadit. Hoc fundamentum declaratur primò: deinde probatur, ad mentem Aris. declaratur hoc modo. Sit aliquis ciuis, qui sub præposito tanquam sub superiori causa existat, & sub rege, tanquam sub suprema; non potest præpositus cognoscere circa ciuem illud, quod à Rege, immediate ordinaretur circa ipsum ciuem Subindè ostenditur hanc propositionem, esse ad aures Arist. Nam 12. Met. loco citatò, explicat oia in vniuerso existentia esse quidem ordinata, & inter se, & ad vnum Deum, attamen ordines sunt distincti. Et ad quod est superioris ordinis non cognoscitur ab his, qui sunt inferioris ordinis, & ideò asserit multa accidere à casu, & absque ordine seruis, quæ non accidunt filijs; quę ergo à filijs cognoscuntur, qui superioris sunt ordinis, à seruis, qui inferioris ordinis, sunt non cognoscuntur. Cósequétia suadetur, ex casus diffinitione ab Aristo. tradita secundo Phis. Nã casus pręter intentionem illius cui accidit casus euenit. Quod autem est præter intentionem est per ignorantiam, vt ex se notissimum est: hoc supposito ità formatur ratio secũda pro conclusione principali. Quod cadit sub ordine superioris causæ non potest à causa inferiori dignosci; sed solũ à superiori causa, & ab eo, qui illã inferiorem causam mouet; at voluntatis motus ex secũdò fundaméto, est ordinis superioris: Intelligentia auté ordinis inferioris, & intelligens, & volés mouét ipsam voluntatem; ergo voluntatis motus, vt est in voluntate, non potest cognosci nisi à Deo mouente, & à cogitante, seu intelligente, vel volente. Tertiò ità conclusio demonstratur. Merè voluntaria soli Deo, & volenti sunt cognita, vt patet ex secũdo fundaméto quia merè voluntaria soli Deo, & soliquè voluntati subiacent, ac per hoc sunt extra naturalium rerum ordinem; at cordiũ cogitationes sunt merè voluntarię, vt colligit ex tertio li. de Anima tex. 8. quo in tex. docet Arist. scientem in actu posse per se ipsum operari, idest, sciés in habitu, potest cum voluerit operari, ità exponunt D. Thom. & Comm. commento 18. quoniam de ratione habitus est id, quo quis vtitur cum voluerit, sed cogitationes cordis (vt explanatum est) sunt operationes in habitu existentes, & etiam in actu ergo sunt merè voluntarię; idcircò non possunt cognosci ab intelligentijs, vt fuit iam demonstratum. Hæc quò ad secundum principale.

Intelligentiæ quãdo cognoscũt cogitationes sibi à cogitante manifestatas, eas non cognoscunt per nouas species acquisitas, sed per antiquas infusas ad aures Aristot. & D. Thom. Duoque argumenta contra assertã doctrinam diluũtur.

Cap. 49.

QVò ad tertium principale. Difficultas est, cùm cogitans suas cogitationes intelligentijs manifestare possit. Nùm has cogitationes cognoscant per nouas species de nouo istas cogitationes representantes, an verò per antiquas, sibi à Deo in creatione infusas. Circà hanc difficultatem tria agemus. Primò adducemus rationes asserentium intelligentias cognoscere cordium cogitationes quando sibi a cogitantibus reuelantur per nouas species. Secundò nostram adducemus sententiam. Tertio satisfaciemus rationibus aduersariorum.

Quo ad primum huius difficultatis. Aduersarij asserentes, intelligentias cognoscere cogitationes sibi reuelatas, per nouas species bifariam arguunt. Primo hoc modo, si intelligentia à principio species intelligibiles, cogitationum talium reuelatarum representatiuas habet, non potest,

tiam assignari, quare non cognoscat cordium cogitationes, actu existentes, secũdum se in voluntate; & si dicatur cum Caiet. p. p. q. 57. ar. 4. & Ferr. tertio cont. gen. cap. 154 quoniam obiectum est improportionatum; idcirco licet habeant species huiusmodi obiecti representatiuas, tamen obiectum representare non potest. Verum contrà hanc causam, ità arguitur, & suadetur, si tales species habeant hoc obiectum, non esse improportionatum: Nam si hoc obiectũ, esset improportionatum, aut hoc esset in ratione motiui, aut in ratione determinatiui; sed neutro modo; ergo &c. Minor suadetur, primò non in motiui ratione, quia intellectus iam speciem per se proportionatam habet, à motiuo minimè dependentem obiecto, nequè etiam in obiecti determinatiui ratione, quia supposita specie lumineque sufficienti ex parte potẽtiæ, nulla remanet improportio ex termini parte, & huius ratio est, quia quamuis ipsum obiectum in esse entitatiuo contingat, non esse proportionatũ, tñ p speciẽ, & intellectus lumẽ intellectui proportionatur in esse obiectiuo, quemadmodum res naturalis, quamuis in esse entitatiuo, intellectui improportionata sit, tamen per speciem, lumenquè intellectus proportionatur.

Secundò arguunt auctoritate D. Th. asserentis de verit. q. 8. articu. 13. & q. de Demonibus, & secundo sen. d. 3. q. 3. art. 3. ad quartum. Intelligentias cognoscere per species infusas ea tantum quæ ordinis sunt naturalis, cuiusmodi non sunt hominum aliorumquè cogitationes.

Quò ad secundum. Huius difficultatis nostra sententia hæc est. Ad aures Aristo. & D. Thom. Intelligentiæ quando cogitationes sibi reuelatas cognoscũt eas per nouas species acquisitas minimè cognoscunt, sed per antiquas sibi à Deo in creatione inditas. Hæc sententia nostra primò declaratur: deindè bifariam suadetur. Primò declaratur, & pro huius positionis declaratione animaduertendum est, liberas cogitationes non cognosci naturaliter ab intelligentia, nõ quia sint excellentiores entitates, verum quia habent motum præter naturalem, quem habent quantum ad sui productionem, cum libera cogitatio, solùm ad liberam cogitantis volũtatem pertineat, quæ sola (supposita Dei motione) suam producit cogitationem; idcircò, & super ipsam cogitationem, plenum habent dominium post Deum, adeò vt eam ad intellectum alienum cum libuerit, possit ordinare, illi intellectui alieno, eam manifestando, eamquè occultando: Deindè considerandum est secũdò, licet libera cogitatio secundum se considerata, vt liberè à voluntate dependens, sit extrà naturalium ordinem rerum, tamen voluntas propter plenariam potestatẽ, quam supra seipsam liberam cogitationem habet: potest ipsam constituere intrà ordinem naturalium, respectu vnius intellectus, illiquè, cui voluerit, ipsam subijcere, tanquam obiectum, eamquè ab ordine naturalium alterius intellectus semouere. Pro maiori horum intelligentia: Tertiò speculandum est: Sicut intelligentijs inditæ sunt singulariũ species representatiuæ etiam non existentium intrà naturæ ordinem, sed quæ tandem aliquando constitui intrà naturæ ordinem poterant; pari modo ab instanti creationis, infusæ sunt species intelligentijs, representatiuæ cogitationum, quæ pro cogitantis voluntate intrà rerum cognoscibilium ordinem, constitui poterant. Idcircò non est opus, nouas acquirere species cum vult ista dignoscere, sicut cùm intelligit contingentia actu existentia, ea per species de nouo acquisitas minimè intelligit, sed per antiquas.

Deindè probatur duobus modis sententia nostra ità declarata. Primò de mente Arist. Nam in superioribus probatum fuit, in intelligentijs non esse intellectũ agentem nec possibilem ad mentem Aristot. sed acquisitio specierum non fit nisi per intellectum agentem, iuxta eundem Aristo. tertio de Anima text. 17. & 18. Subindè receptio de nouo specierum

rum fit ab intellectu possibili; vt patet per Arist.3.de Anima text.6. Cũ ergo in intelligentijs non sit intellectus possibilis, non erit etiam huiusmodi receptio. Secundò ostenditur ad mentem Diu. Thom. Nam de ver. quæst.9. artic. quarto ad vndecimum, ità asserit: vna intelligentia cogitationem alterius cognoscit per speciem innatam per quam aliam intelligentiam cognoscit, quia per eam, scilicet, speciem cognoscitur omne quod cognoscitur in alia intelligentia. Hæc D. Tho.

Quò ad tertium huius difficultatis. Ad primum argumentum, dicimus cogitationẽ esse improportionatum obiectum in ratione terminatiui obiecti. Et ad improbationem asserimus speciẽ, intellectualequè intelligẽtiarum lumẽ habere manifestandi vim, sólum intellectui suo res sub ordine naturali contentas, non autem res sup. hanc ordinem existentes, cuiusmodi sunt cogitationes cordium. Ad secundum, negamus cordium cogitationes, quatenus à cogitante, ad aliquem intellectum ordinantur eiquè subijciuntur nõ esse infra naturalium ordinem.

Quò ad quartum principale, contrà prædeterminata duo sunt argumenta, quorum primum est contrà fundamentum conclusionis, & est tale. Si cordium cogitationes non sunt naturaliter notæ ab intelligentijs, verum soli Deo; quoniam solus Deus operatur in mentem, & voluntatem, solusquè Deus, est istorum omnium causa; ergo cum solus Deus omnium intelligentiarum substãtiam, nec non, omnium corporum cœlestium substantiam primamquè materiam produxerit, ista non erunt ab intelligentijs naturaliter cognita, quod patet esse falsum ex dictis, & dicendis.

Respondetur notãdo primò diuinam voluntatem liberè omnia produxisse ex se, subijciendo (ex sua efficacissima virtute) agentibus naturalibus modum agendi naturalem: liberis autem agentibus modum agendi liberum. Et cum Deus liberè intelligentias: cœlestia corpora, materiamquè primam produxerit, dedit eis modũ naturalem, vt vnà cũ alijs creaturis, vniuersum constituerent, vnum vnitate realis ordinis. In quo etiam ordine intelligentiæ cõsiderantur, tanquam partes, cum dependentia ab ipso toto, vt talem constituant ordinem. Et hanc doctrinam docuit Arist. duodecimo Met. tex.52.& 53. Veruntamen, respectu liberarum operationum, tàm hominum, quàm substantiarum separatarum, dedit Deus, libero arbitrio modum præternaturalem, vt eius operationes, non essent intrà vniuersi ordinem, nec vt partes, nequè vt causa, nequè vt effectus. Quocirca sequitur (cum totum vniuersum, tàm in esse entitatiuo, quã intelligibili à Deo dimanauerit in quantum intelligentijs dedit intelligibiles species, naturalis ordinis vniuersi repræsentatiuas) intelligentias cordium cogitationes, liberasquè volũtatis affectiones, non possunt dignoscere, nisi ab eo qui super istas actiones, dominium habet manifestarentur; ipsas intrà naturalium ordinem constituendo per imperium propriæ voluntatis, quo pacto post modum per intelligibiles species repræsentantur, & ideo formaliter ad argumentum respondendo asserimus Diu. Thom. (à quo nos hoc fundamentum desumpsimus) non assumpsisse præcisè pro ratione, & fundamento rationis, cogitationes cordium à solo Deo cognoscũtur, quia à solo Deo immediatè producũtur, quoniam tunc argumentũ cõtrà nos concluderet, sed assumpsisse, cogitationes, à solo Deo cognoscuntur, quia sunt effectus, qui à causa libera modoquè liberò proueniunt, & non sunt ordinis naturalis, & vltima particula non est vera, de substantijs intelligibilibus corporum cœlestium, & primæ materiæ.

Secundum argumentum. Vnaquæque res tantò magis est, quãto est magis in actu, sed cognitio actualis constituit speciem intelligibilem in actu secundo: ergo si species intelligibilis alicuius intel-

lectus cognoscitur dum est in habitu, multò magis cognosci potest dum est in actu secundo; sed species intelligibiles, in mente alicuius intelligentiæ existẽtes ab aliis intelligentijs cognoscuntur: ergo multò magis cordium cogitationes poterunt cognosci ab alijs intelligentijs.

Respondetur, primam propositionẽ, veram esse de cognitione secundum se, nõ autem respectu creati intellectus absolutè, & ideò, illud magis cognoscibile secundum se, necesse est, esse proportionatum ad hoc, vt cognoscatur. Tunc negatur speciem in actu secundo quatenus per ipsam cordis cogitatio formatur esse proportionatum obiectum.

Vnam intelligentiam, non posse simul intelligere plura nisi ea, quæ per unam representantur speciem ad mentem Arist. demonstratur.

Cap. 50.

Controuersia etiam est inter Metaphis. an intelligentię possint cognoscere omnia, quę per omnes innatas species representantur.

Circa hanc controuersiam, tria agenda sunt. Primò quędam fundamẽta supponenda sunt. Secundò quæstioni respondendum est. Tertiò obiectis est satisfaciendum.

Quò ad primum. Quinquè fundamenta Arist. supponda sunt.

Primum fundamentum. Omnes species innatæ vnius intelligẽtiæ sunt vnius generis proximi, qđ ita demõstratur, docet ipse 5. Met. tex. 9. & 10. Ea quæ sunt vnius generis proximi sunt vnius materię, vel vnius potentiæ, sed omnes species innatæ vnius intelligẽtiæ sunt vnius potẽtiæ itellectiuæ, quæ est genus proximum; ergo omnes sunt vnius proximi generis.

Secundum fundamentum. Vna potẽtia præsertim rationalis diuersis formis in potentia, & in habitu seu in esse imperfecto informari põt. Hoc fundamẽtũ declarat, & suadetur: Declaratio. Nam idem intellectus humanus multas habet species in se in habitu; & idcircò ab Aristot. appellatur 3. de Anima tex. 6 specierum locus. probatio. Nam 9. Met. tex. 10. attestat Aris. in potẽtia rõnali plures species reperiri, quę poss ũt ad contraria ẽm se determinari; at intellectus est potentia rõnalis, vt suadet per totũ tertiũ librũ de Aĩa; ergo habet in se, plures species habitu, seu in actu incompleto, & imperfecto.

Tertium fundm̃. Impossibili est eandem numero potentiã ad diuersos actus cõpletos, ac perfectos terminari, quod declarat, & probatur. Declarat quidẽ hoc modo. Impossibile est idem corpus simul figuris diuersis figurari puta triangulari, & quadrangulari, & impossibile est, lineam ex vna parte ad diuersos terminos terminari. Suadetur autem hoc modo. Secundum Arist. 9. Met. tex. 10. sicut potẽtia naturalis præsente actiuo, ad vnum tantum determinatur, ita ad vnum tm̃ determinatur rationalis potentia ab appetitu per electionẽ: Intellectus autẽ, vt diximus, est potentia rõnalis. Secũdò vnaquęq; res est in actu per suã formã, seu per suũ actum, vt docet Arist. 2. Phis. tex. 28. & 3. Phis. tex. 15. 5. Met. text. 2. 8. Met. text. 10. 9. Met. text. 11. & 2. de Aĩa text. 2. at vnius rei est tm̃ vnum esse, vt docet 8. Met. tex. 10. ergo vnaquæq; res potentialis tantum ad vnum actum cõpletum, & perfectum terminata erit; ergo impossibile est, eandem numero potentiam, ad diuersos actus perfectos terminari.

Quartum. Vnius operationis vnum tantum obiectum est, sicut vnius motus vnus tantum terminus est, quod ità probatur. Vnius motus tantum est vnus terminus, ut docet Aristo. tertio Phis. text. 20. & 21. sed operatio est quidam motus: ergo vnius operationis, est tantum vnum obiectum, minor propositio probatur supposita distinctione de duplici operatione transeunti, & immanenti, & primo de operatione transeunti esse

esse motum, constat ex Arist. loco nunc citato, appellante actionem proculdubio transeuntem motum, similiter, de operatione immanenti constat apud Aristot. esse quendam motum; nam in tertio de anima text. 139 appellat actioné sensuum, (quæ est actio immanens) motum, & tex. 160. asserit operationem phãtasię esse motum, operationem autem intellectus, (de qua est maior difficultas) conspicuum est, esse motum ex tertio de anima tex. quinto, & tex. decimo octauo, appellat intellectum nostrum potentiam passiuam, potẽtia autem passiua est, quæ ab obiecto mouetur, & de intelligere intelligẽtiarum esse motum constat per ipsum duodecimo methap. tex. 36. quo in tex. docet, primum mouẽs intelligentias mouere sicut appetibile, & intelligibile; quod fit, quando intelligentiæ primum mouens appetunt, & intelligunt, vt superius declaratum est: ergo velle, & intelligere intelligentiarum est motus, alterius tamen rationis, à physico motu, secundum Aristo. tertio de anima text. 28. cum motus physicus sit actus imperfecti, motus autem meth. qui est motus intellectus, est actus perfecti, qua de re omnis actio, siuè transiens, siuè immanens, siuè sensitiua, siuè intellectiua motus quidam est, quod erat probandum. Secundò hoc idem fundamentum ità probatur secundum Aristot. secundo de anima tex. 33. operationes distinguuntur per obiecta, vt eo loci docet D. Tho. & 1. p. q. septuagesima septima, articu. 3. sed obiecta sunt fines, ipsas potentias diffinientes, & ab ipsis obiectis, potentię desumũt intrinsecè suum esse, vt docte declarat Caiet. prima parte loco citato. Cum itaquè, vna operatio vnum tãtum esse habeat, vt constat per dicta in tertio fundamento: ergo vna operatio vnum habet obiectum; Et colligendo omnia possumus ità succinctè formare rationem. Operationes distinguuntur per obiecta, ergo quot obiecta, tot operationes, ergo ubi vnum obiectũ ibi vna operatio.

Quintum fundamentum. Representata per vnam speciem vnius rationem intelligibilis habẽt; representata autem per plures species plurium intelligibilium rationem habent, quod ità demonstratur. In omni genere res ab eodem habet esse, & vnitatem. Hæc propositio ità bifariam probatur. Primò Arist. quarto methaph. text. tertio probat duabus rationibus ens, & vnum esse idem: ergo sunt idem ea, quæ eadem generatione generantur, & eadem corruptione corrumpuntur; sed in oĩ genere esse rei eiusquè vnitas eadem generatione generantur, & eadem corruptione corrumpuntur: ergo esse rei eiusquè vnitas sunt vnum & idem; ergo res ab eodem habet esse, & vnitatem. Secundò probatur per Aristotelem 8. met. tex. decimo quinto. In naturalibus eadem est causa, quæ facit ens actu, & quę facit vnum. Et in textu decimo sexto contestatur. *In separatis a materia vnumquodquè statim se ipso est ens, & vnum.*

Ex quibus locis apertè colligitur, vnumquodquè in quocunquè genere ab eodem habere esse, & vnitatem, sed vnumquodquè est intelligibile actu per speciem eius intelligibilem in intellectu existentem, vt docetur ab ipso tertio de anima tex. 38. ergo vnumquodquè est actu intelligibile à specie intelligibili, ab eaquè habet vnitatem, ex consequenti representata per vnam speciem intelligibilem, vnius intelligibilis rationem habent, & representata per plures species intelligibiles, plurium intelligibilium rationem habent. hęc quoad primum.

Quo ad secundum. Vnica respondetur conclusione, quæ est. Vna intelligentia non potest plura simul intelligere, nisi ea, quę per vnam representantur speciem, quę autẽ per plures species representantur, non potest eadem intellectione intelligere. Hęc cõclusio primò duabus suadetur rationibus per supradicta fundamenta. Secundò tribus alijs Arist. auctoritatibus.

Prima ratio. Plura, vt vnum intelligibile, non autem vt plura, eadem

eadem simul operatione intelligi possunt, at per vnam speciem representata, vnius rationem habent, per plures autem species representata, plurium habẽt rationem: ergo per vnam speciem representata, simul, & eadem operatione intelligi possunt, per plures autem species representata, simul eademquè operatione minimè intelligi possunt; ergo nequè ab intelligentia simul, & eadem operatione intelligi possunt. Prima propositio duas habet partes: prima est: Plura, vt vnum intelligibile, simul, & eadem operatione intelligi possunt. Secũda pars. Plura, vt plura, non possunt simul, & eadem operatione cognosci, sed pluribus, quæ ambæ simul probantur. Vnius operationis, vnus tm̃ est terminus, seù vnum obiectum, ex quarto fundamento, sed plura, per vnam speciem representata, vnius obiecti intelligibilis rationem habent, ex quinto fundamento, representata autem per plures species plurium rationem habent, ex eodem fundamento; ergo plura per vnam speciem representata, possunt simul, eademquè operatione, intelligi, plura autem representata per plures species, eadem operatione non possunt intelligi, sed diuersis operationibus intelliguntur.

Secunda ratio, vnius potentiæ est tãtum vnum esse perfectè actuale, ex tertio fundamento, sed intelligibiles species, sunt intellectus perfectiones, ex tertio de anima tex. 38. cum sint intellectus formæ; forma autem, sui est perfectio subiecti, ex secundo phys. & quinto met. capite de causis, & duodecimo meth. tex. 51. ergo vnus intellectus diuersis speciebus perfectis in actu completo, & perfecto informari non potest.

Deinde conclusio proposita tribus alijs Aristot. auctoritatibus ostenditur.

Prima auctoritas colligitur ex primo Topicorum, vbi Arist. autumat. intelligere est vnum solum, scire autem est multa.

Secunda auctoritas ex tertio de anima tex... Contingit multa scire, vnum autem intelligere. Tertia ex quarto metha. tex. 10 vbi ait, *qui vnum non intelligit nihil intelligit*.

Quò ad tertium principale. Contra præfatam veritatem, sunt quatuor argumenta, quorum primum tale est. Intelligentia (vt ex dictis constat ad mentem Arist. semper intelligit seipsam, semper Deũ intelligit, semperquè intelligit corpus cœleste, eiusquè motum, mouendo ipsum, & etiam aliquid aliud, puta hominem vel leonẽ &c. ergo semper quatuor intelligibilia intelligit: ergo plura, vt plura intelligit, & per plures species scilicet saltem per duas; altera per quã semper corpus cœleste, à seipsa motum intelligit; altera per quam intelligit aliquid aliud.

Respondetur duo fundamẽta supponendo. Primum fundamentum: Species per quas intelligit substantia separata, sunt in duplici differentia quædam sunt eiusdem ordinis eiusdemque rationis, quædam verò sunt diuersorum ordinũ, ac per hoc, subordinatæ sunt. Quæ sunt eiusdem ordinis nequaquam, esse possunt simul in actu perfecto, vt intueri licet, in formis naturalibus eiusdem ordinis, & rationis, quẽadmodum sunt formæ leonis, equi, canis, &c. quæ non possunt simul esse: quæ autem sunt diuersorum ordinum, adinuicemque subordinatę simul esse possunt, vt cõspicuum est de forma vegetatiua, sensitiua, & intellectiua.

Secundum fundamentum est. Diuersorum species ordinum, ità se habent, vt in representando, se excedant, & huiusmodi est intelligẽtiæ essentia (per quam Deum, & se ipsam perfectè intelligit) & species connaturales, nam essentia longè excedit in representando omnes cõnaturales species, qua de re, simul esse possunt, cum adinuicem subordinatæ sint, ac per hoc, vnius rationem habeãt. sicuti vegetatiuum, sensitiuum, & intellectiuum in homine vnius rationem habent, & non diuersorum.

Ex

Ex istis fundamentis ad argm respō sum damus, & imus inficias vltimā cōsequentiam, quādoquidem illa quatuor cum sint subordinata, vnius habent rationem, qua de re minimè in numerum ponunt. Etenim, intelligentia vel intelligit cœleste corpus à se motum per propriam suam essentiam, quoniam intelligit se ipsam perfecte, omnesquè suas proprietates, & perfectiones, omniaquè ad se pertinētia per se ipsam, corpus autem cœleste, vt est à se motum, ad se ipsā pertinet, sicut proprium instrumētum; vel si corpus cœleste, per inditam speciē cognoscit, illa species, cum ad ipsam ordinetur intelligentiam, illi subordinata erit, ac per hoc, nō ponet in numerum cūm intelligentia intellecta, omnes autem aliæ species inditæ cum sint essentiæ intelligentiæ subordinatæ, vnaquæquè illarum disiunctim poterit esse, simul in actu perfecto, cum propria essentiæ specie, nec non cum specie corporis cœlestis à se moti, si corpus cœleste motum, per essentiam propriam intelligentiæ mouentis, intelligatur.

Secundum argumentum. Per Aristo. secundo de anima capite de sensu communi, quando aliqua potentia aliquorū plurium differentiam cognoscit, necesse est, vt illa plura cognoscat, sed intelligentia ponit differentiam inter hominē & lapidem: ergo illa plura, cognoscit: ergo per plures species.

Respondetur. Species eiusdem ordinis, quæ sunt disparatæ in repræsentando, duobus modis, considerari possunt; vno modo absolutè, & ità diuersorum rationem habeat, non possuntquè simul esse, in actu perfecto; alio modo cōsiderari possunt, vt sunt quædā extrema in repræsentando aliquorum intelligibilium relationes, pro vt in vnum conueniunt, & hoc modo, species illæ absolutè diuersę, illaquè intelligibilia absolutè diuersa, quatenus in vnū cōueniunt, diuersorū rationē, minimè habent, verū vnius speciei, vniusq; intellibigilis, quapropter negatur; Intelligentiam, inter diuersa discrimen ponentem, cognoscere illa, vt diuersa, & per plures species, vt plures sunt.

Tertium argumentum. Intelligentia simul cognoscit se, omnesquè suas perfectiones, at inter suas perfectiones est esse alia intelligibilia: ergo dum cognoscit se, simul contemplatur, se esse alia intelligibilia, secundum esse intelligibile, hoc autem est intelligere omnia intelligibilia per species connaturales repræsentata, quę sunt illud esse intelligibile: ergo intelligētia, omnia quorum species habet apud se cognoscit.

Respondet de mente Caiet. 1. p. q. 58. ar. 2. intelligibilia per species repræsentata posse intelligi duobus modis: altero modo absolutè, altero modo, vt sunt intelligentis, vel intellecti perfectio. Si absolutè considerentur simul non possūt cognosci; quoniam tunc cōsiderantur, vt sunt distincta seorsum ab intelligentia, & ità plura sunt: Virtus autem finita non potest ad plura, vt plurà sunt intendere, dùm, enim circa vnum attendit, aliud considerare minimè potest, quemadmodū, & nos, dum vni parti domus, attendimus, non pōssumus alias attendere partes. Si autem illa repræsentata per speciem considerentur, vt sunt perfectio substantiæ intelligentis, hoc modo omnia cognoscuntur, in ipsa Intelligentia, per propriam substantiam, tanquam in quodā toto. verùm hęc cognitio est valdè imperfecta, cum cognoscātur sicut in quodam vniuersalissimo, sicut quando nos in tota domo partes cognoscimus, partiū cognitio est valdè imperfecta, nos autem in difficultate sermonem habemus de cognitione distincta, & perfecta.

Quartum argumentum. Formę intellectus cum sint secundę perfectiones, sunt accidentales formæ, at plures formæ accidentales, quę nō sunt contrarię possunt esse simul in eodem subiecto, vt albedo, & dulcedo, ergo intellectus intelligentiæ diuersis formis informari potest cum non sint contrarię, & ex cōsequenti potest multa, vt multa simul intelligere.

Re-

Respondetur. Negando, formas non contrarias posse vniuersaliter esse in eadem potentia. Nam formæ quę nõ sunt contrariæ si sint eiusdem ordinis, vel generis, nullo modo in esse perfecto, in eadem potentia, esse possunt, rationibus adductis pro conclusione. Verùm tamẽ si illæ formæ diuersorum sunt ordinum possunt esse in eadem potentia, vt asseruimus; vel formæ, quæ non sunt contrariæ, possunt esse in eodem subiecto, vt albedo, & dulcedo in pomo, verùm non secundum eandem potentiam, eo quoniam in illo subiecto, putà in pomo sunt plures potentiæ; alia ad colorem, alia ad saporem, alia ad quantitatem.

Intelligentiæ non sunt in potentia essentiali ad sua intelligibilia intelligenda, verùm habent omnes naturales species omnium intelligibilium, ad mentem Aristot. non tamen ista omnia actu considerant.

Cap. 51.

Controuersia est, an intelligentiæ aliquando sint in potentia, & aliqñ in actu.

Circa hanc controuersiam tria sunt peragenda. Primò ponẽda est quædam distinctio. Secundò, difficultati respondendũ est. Tertiò, argumentis satisfaciẽdum.

Quò ad primum: Intellectus duobus modis in potẽtia est; altero modo sicut est ante addiscere, vel inuenire, quod est quando nondum scientiæ habitum habet; altero modo intellectus est in potentia quãdo iam habet sciẽtiæ habitũ, tamen actu non considerat. Prima potentia vocatur potentia essentialis: Secunda autem accidentalis. Hanc distinctionem tradit Arist. 8. physic. tex. 32. & tertio de anima tex. 8.

Quo ad secundum duabus respondetur conclusionib. Prima cõclusio. Intelligentiæ non sunt in potentia essentiali, ad sua intelligibilia intelligenda; verùm omnes naturales species omnium intelligibilium habent, quæ conclusio duab. ostenditur rationibus ad mentem Aristot.

Prima ratio. Aristot. duodecimo met. tex. 52. & 53. vniuersum in tres ordines distinguit, in ordinem generabilium, & corruptibilium, in ordinem cœlestium corporum, & in ordinem substantiarũ separatarum, vt ibidem explanat D. Th. & Caiet. de ente & essentia cap. quinto, q. 9. & semper, quæ sunt superioris ordinis sunt perfectiora illis, quæ sunt ordinis inferioris, quocirca comparat superiora filijs in domo &c. & substantiæ separatæ cœlestibus corporibus perfectiores sunt, quia sunt ipsa mouentes, vt patet duodecimo meth. tex. 35. & ideò substantiæ separatæ, actus rationem habẽt, cœlestia verò corpora rationem potentiæ; quapropter omnes substantiæ separatæ sunt perfectiores corporibus cœlestibus, cum actus sit potentia perfectior, vt colligitur nono meth. tex. decimonono, qua de re, omnes perfectiones, quas habent cœlestia corpora, à substantijs separatis etiam habentur; at cœlestia corpora omnem habent perfectionem permanentem, tàm substantialem, quàm accidentalem, vt docet nono meth. tex. 15. ergo multò magis, separatæ substantiæ, omnem suam perfectionem permanentem siuè substantialem, siuè accidentalem habebunt, sed species intelligibiles sunt perfectio substantialis, siue essentialis potentię intellectiuę, & accidentalis, ipsius substantiæ separatæ, ergo intelligentiæ non sunt in potẽtia essentiali ad intelligendum sua intelligibilia, sed habent omnes naturales species omnium intelligibilium.

Secunda ratio. Docet Aristo. supradicto tex. 15. Nullum sempiternum, esse in potentia passiua siuè substantiali, siuè accidentali, & ideò probat cœlum non esse in potentia ad motum, quæ tamẽ potentia, ad motum accidentalis est; quoniam

niam cęlum est semper sub motu, sed ad mentem eius, omnes intelligentiæ sunt sempiternę ex duodecimo meth. textu trigesimo: ergo in intelligentijs, non est aliqua passiua potentia siuè substantialis, siuè accidentalis: ergo &c.

Secunda conclusio. Intelligentia nō omnia actualiter considerat, quorum species, apud se habet, quæ bifariam probatur primò ex præcedenti conclusione cap. 49. Nam ibi determinatum est, intelligentiam non intelligere omnia simul, quorum species apud se habet, sed modo vnum, modo aliud: ergo quando intelligit vnum, est in potentia ad aliud considerandum. Secundò probatur ex præcedenti cōclusione huius capitis. Separatæ substantiæ aliquam habent proportionem cum cœlestibus corporibus, sed corpora cœlestia sunt in potentia, vt de nouo à Sole illuminentur, eius lumen recipiendo quotidie, vt sensu patet ergo &c.

Quòad tertium. Contra primam conclusionem sunt duo argumenta, & vnū contra secundam.

Primum argumentum contra primā conclusionem tale est. Secundum Arist. tertio physic. motus est actus existentis in potentia, at intelligentiæ à Deo ab ipsis intellecto mouentur, vt contestatus est Arist. duodecimo meth tex 36. loquēdo de primo ipsas intelligentias mouente. Mouet autem sicut appetibile, & intelligibile: ergo sunt in potentia.

Rñdetur. Motum in tertio phys accipi, vt est actus imperfecti, motus autem intellectus est intelligere, & est perfecti actus, vt superius declarauimus de mente Arist. tertio de anima tex. 28. & intellectus, qui isto motu mouetur, non est in pura potentia, sed habet saltem scientiæ habitū, vel aliquas ītelligibiles spēs.

Secundum argumentum. Contra eādem conclusionem, tale est. Scribitur in lib. de causis, intelligentiam intelligere, secundum suæ substantiæ modū, at substātia intelligētię habet aliquid de potētia admixtū: ergo qnq; ī potētia ītelligit

Rñdetur. Sicut in substantia intelligētiæ non est aliqua potentia, ab actu denudata, ità in eius intellectu, non est potentia ab actu primo, & etiam ab aliquo secundo actu, denudata, vt in superioribus demonstratum fuit.

Tertium argumentum est contra secundam conclusionem. Si intelligentia est ad considerationem in potentia, vt aliquando vnum consideret, aliquando aliud: ergo ibi interuenit prius, & posterius, adeò vt vna operatio sit prior, alia posterior. Sed vbi est successio prioris, & posterioris ibi est tempus, cum tempus secundum Arist. quarto phys sit mēsura motus secūdum prius, & posterius: ergo propria intelligentiæ operatio tempore mensuratur. Hoc autem est contra Auctorem libri de causis, asserentem intelligentiam esse rem, cuius substantia, & operatio est supra tempus.

Respondet D. Th. de veri. q 8. art. 13. ad duodecimum, affirmans illā operationē sub tēpore per se cadere, quæ per se spectat aliquid in futurum, ad hoc, vt species eius compleatur, & hoc clarè apparet in motu, qui speciem non habet, donec ad suum terminum perueniat, operatio autem quæ suam speciem statim habet completam, non mensuratur tempore per se, sed fortè per accidens, vt patet de sentire, & intelligere, qua de causa, Arist. 10. Eth. asseruit delectari, non esse in tempore. Verum per accidēs huiusmodi operationes possūt esse in tēpore, quatenus sunt alicuius natura motui p se subiectæ, ipsaquè natura aliquo corporali vtitur vt organo, & hoc mòdò sentire nostrū, nostrūquè intelligere est in tēpore per accidens, qm̄ ista sibi accidunt. Intelligere aūt separatæ substātię nō fit mediante organo corporali: idcircò nec per se, nec per accidens sub tēpore cadit, & ideò in vna eius operatione, qua vnū intelligibile intelligit, nō reperitur prius, nec posterius; est tamen verùm suas operationes esse ordinatas secundum prius, & posterius: quod tamen prius, & posterius nō est nr̄um tempus cōtinuum, sed discretum tēpus, de quò supra assertum est, idcircò formaliter re-

respondendo negamus vbicũquè est aliquarum successio operationũ, ibi adesse tẽpus nostrum de quo Arist. 4. phys. loquitur, & quando asseritur, tempus esse motus mensuram secundum prius, & posterius, dicimus, Aristo. loqui de motu continuo ; istæ autem operationes, sunt motus discretus, de quo alias ad mentem Aristo. disserendum est.

Separatæ substantiæ non componunt, & diuidunt, in intelligendo ad mentem Aristo.

Cap. 52.

ALiqualis difficultas est apud meth. an intelligentiæ intelligant, componendo, & diuidendo. Circa istam difficultatem, tria agemus. Primò quędam ponemus fundamẽta tituli difficultatis declaratiua, principiaquè conclusionis ad quæsitum dandæ. Secundò dabimus responsum ad quæsitum. Tertiò obiectis occuremus

Quò ad primũ. Tria fundamẽta iaciẽda sunt. Primum fundamentum est. Cõpositionis, & diuisionis nomine intelligimus affirmatiuam propositionem, & negatiuam in actu exercito, quæ nil aliud sunt, nisi illa intellectus operatio, quę prædicatum subiecto attribuit, vel prædicatum à subiecto remouet, quæ operatio appellatur secunda intellectus operatio, necnon etiam compositio, & diuisio. In qua secunda operatione reperitur falsitas, vel veritas, sicut in subiecto, in oratione autem exteriori, hoc est vocali oratione, inuenitur veritas vel falsitas, sicut in signo. Hanc doctrinam docet Arist. primo Periehr. lectione 6. 7. & 8. D. Tho. & in secundo Periehr. lect. prima, & tertio de anima textu 26. & 6. meth. tex. vltimo, quadere intellectum intelligere componendo, & diuidendo, nil aliud est, quam intellectum (dum intelligit) affirmare, vel negare, seù negatiuas, vel affirmatiuas propositiones formare.

Secundum fundamentum. Notãdũ est, hanc intellectus operationem (quæ ab Arist. nuncupatur compositio, & diuisio) in substãtijs à materia separatis minimè inueniri, vt expresè docetur tertio de anima, textu vigesimo sexto: etenim separata à materia intelligunt simpliciter apprehendendo quod quid est, ad modum ipsius quod quid est.

Tertium fundamentum. Animaduertendum est ex Arist. 3. de anima tex. 25. qñ intellectus aliquis, vnũ oppositũ ꝑ alterũ oppositũ vult intelligere, puta, (sumendo ipsius exempla) malũ per bonũ, & nigrũ per album, quod quidẽ fit per remotionem, siuè negationem, necesse est, vt ille intellectus in potentia sit essentiali. hęc de primo.

Quò ad secundum. Ità difficultati respondetur ad mentem Arist. Intelligentiæ non componunt, & diuidunt in intelligendo, quę duplici ratione ad aures ipsius suadetur.

Prima ratio hęc est. Substantiæ à materia separatæ, intelligunt simpliciter apprehendendo, simplici apprehensione, quidquid intelligant, ex secundo fundamento, sed intelligentiæ sunt à materia separatæ, vt ex præcedentibus conspicuum est, ad mentem Arist. ergo intelligentiæ in intelligendo non componũt, & diuidunt.

Secunda ratio. Intellectus, qui intelligit diuidendo, in potentia est essentiali respectu intelligibilium naturaliter, ergo &c. Prima propositio nota est ex secundo fundamento. Secunda autem ex præcedenti capite.

Quo ad tertium. Contra hanc veritatem sunt duo argumenta. Primum secũdum Aristo. tertio de anima tex. 23. vbi est intellectuum multitudo, ibi est intellectuum cõpositio: at in intellectu intelligentię, est intellectuum multitudo vt ex dictis manifestum est; quia nõ oia simul intelligit, sed successiuè diuersa, per diuersas species intelligit: ergo in intel-

tellectu intelligentię est compositio, & diuisio.

Respondet D.Thom. 1.p.quęstio.58. art.4.ad primum asseruens, non qualemcumquè intellectuum multitudinem, compositionem, & diuisionem, causare verùm illam solum intellectuum multitudinem, quorum vnum, alteri attribuitur, vel ab altero remouetur. Intelligentia autem alicuius rei, quidditatem intelligendo, simul intelligit omnia, quæ ei attribui possunt, vel ab ea remoueri, quaproptèr intelligendo quodquid est, intelligit omnia per vnum suum simplex intellectum, quæ nos componēdo, & diuidendo, cognoscere possumus. Propositio itaquè Arist. vera est, vbi sūt multa intellecta, quorum vnum alteri attribuitur, vel abeo remouetur; non autem vera est, quando illa multa simul intelliguntur, quæ omnia vni attributa, intelligentia cognoscit, licet, non omnia absolutè simul intelligat.

Secundum argumentum. Plus distat negatio ab affirmatione, quam quęcunquè duę naturę oppositę, cum prima distinctio sit p affirmationé, & negationé, sed intelligentia duas naturas distinctas per vnam speciem, minimè cognoscit, verum per diuersas: ergo etiam affirmationem, & negationem per diuersas species, cognoscit: ergo componit, & diuidit.

Respondetur negando absolutè primam propositionem; quoniam licet, diuersę rerum quidditates minus differant, quantum ad existendi rationem, (vt in argumento probatur) quam affirmatio, & negatio tamen affirmatio, & negatio, in ratione cognoscendi magis conueniunt; quoniam statim, vt affirmationis veritas cognoscitur, cognoscitur etiam per affirmationem negationis veritas.

In substantijs separatis, non est discursus ad aures Aristo. Cap. 53.

QVæritur etiam à meth. an intelligētię per discursum cognoscant. Circa hanc quæstionem, tria agenda sunt. Primò quædam fundamenta pro sensus difficultatis declaratione, & pro demonstratione nostrę sententię supponenda sunt. Secundò quæstioni respondendū est: Tertiò obiectionibus est satisfaciendum.

Quò ad primum. Duo fundamenta supponenda sunt, quorum primū est; secundum D.Th.1.p.q.14.ar.7 in doctrina Arist. datur duplex discursus. Alter, q appellatur p successioné tm, & iste est improprius discursus, & est, quando aliquis intellectus in habitu, non auté in actu secundo cognoscit, & modo intelligit vnum, modo aliud successiuè, & de isto discursu locutus est Arist. tertio de anima tex.21.22.23.24.& 2.Topicorum, quādo affirmauit, intelligere esse vnum solum, scire verò multa, quod dictum nō potest intelligi, nisi in isto sensu, vt intellectus ī habitu, multa cognoscit, cum autem vult illa multa in actu secundo intelligere, modo vnùm, modo aliud, intelligit. Alter discursus est secundū causalitaté appellatus, & iste, est proprius discursus, & est, quādo p principia nota in cognitionem conclusionis prius ignotę, deuenimus, & de isto discursu, sermonem habet Arist. primo poste. quando asseruit omnem doctrinam, omnemquè disciplinam ex prǽexistenti fieri cognitione, & quando dixit demonstrationem esse syllogismum scire faciētem, & procedere, ex primis veris, &c. conclusionisquè causis.

Secundum fundamentum. Considerandum est, nos in hac difficultate habere sermonem de discursu secundo propriè dicto non autem de primo; quoniā & loquimur propriè.

Quo ad secundum. Respondetur vnica conclusione. In substantijs separatis non

non est discursus, quæ conclusio duplici ratione suadetur. Prima ratio. Intelligentia discurrens est in pura potentia, respectu multorum, quę naturaliter cognoscuntur. Hæc propositio ex primo fundamento comperta est, sed intelligẽtiæ non sunt in pura potentia eorũ, quæ naturaliter cognoscunt, vt patet ex cap. 50. ergo non discurrunt.

Secunda ratio. Discursus propriè dictus in compositione, & diuisione fundatur; eo quoniam iste discursus fit per syllogismum demonstratiuum. Demonstratio autem, vt constat, per Arist. in to to lib. post. ex propositionibus procedit affirmatiuis, vel negatiuis, sed vt assertũ fuit, in præcedenti capite, non est compositio, & diuisio in intelligentijs: ergo in ipsis non est discursus.

Est tamen animaduertendum, cum nos compositionem, & diuisionem enũciationum, syllogismorũ, ratiocinationumquè dignoscimus, istorum cognitio non est ab intelligentijs deneganda (qm̃ quod cognoscitur ab intellectu inferiori, cognoscitur etiam multo magis à superiori, vt superius deductum fuit ad aures Arist.) verum ista composita, ab ipsis simplici apprehensione cognoscuntur sicut mobilia immobiliter, & materialia immaterialiter.

Quò ad tertium, sunt duo argumẽta contra hanc veritatem, soluenda. Primum. Discursus intellectus attenditur, quatenus vnum per aliud cognoscitur, sed intelligentię vnum per aliud cognoscunt; cognoscũt enim effectus per causas; ergo discurrunt.

Respondetur primam propositionem esse ità intelligendam, discursus est quatenus per vnũ prius notum, in alterius posteriùs noti cognitionem deuenitur, quod prius erat ignotum, & ratio est, quia discursus quẽdam motum importat, motus autem est de vno priori, in aliud posterius, qua de re, si vno inspecto statim, & simul aliud inspiciatur, sicuti in speculo inspicitur simul rei imago, & res, quæ duo ita si habẽt, vt res sit causa imaginis, imago autẽ est effectus, hoc modo intelligẽtiæ effectus, & causas cognoscunt per eandem speciem, si quidem simul causam, suumquè effectum cognoscunt.

Secundum argumentum. Quidquid potest virtus inferior, potest virtus suprior, sed humanus intellectus potest syllogizare, & in effectibus causas cognoscere, secundum quæ ostenditur discursus: ergo multò magis, intellectus intelligentiarum hoc potest. Respõdetur intelligentias posse syllogizare, tãquam syllogismi naturam cognoscentes. Videntquè effectus, in causis, & causas in effectibus, non tamen discurrendo, et syllogizando; quoniam hanc non acquirunt cognitionem procedendo ex prius noto ad posterius notum prius ignotum, sed simpliciter ista omnia apprehendendo.

In substantiarum separatarum intellectu, non potest esse falsitas per se nec per accidens secundum Aristo. doctrinam.

Cap. 54.

Difficultas etiam oritur, an secundum Aris. doctrinam in intellectu substantiarum separatarum possit esse falsitas.

Circa istam difficultatem tria agenda sunt. Primò quædam fundamenta supponẽda sunt pro sensus difficultatis explicatione, & pro veritate dandæ respõsionis. Secundò respondendum est quęsito. Tertiò obiectis satisfaciendum est.

Quò ad primum duo fundamenta supponenda sunt. Primum est secundũ Arist. tertio de anima tex. 26. intellectus circa quodquid est semper per se verus est, quodquidem quodquid est, ab intellectu (per se loquendo) per primam intellectus operationem apprehenditur, quæ est absquè discursu, & compositione, & diuisione. Et hanc veritatem docet eodem tertio libro à text. 21. vsque ad 26.

Secun-

Secundum fundamentum. In prima intellectus operatione, seu in simplici intellectus apprehensione, potest per accidés esse falsitas secundũ Arist. 3. de anima textib. supra citatis, & nono met. tex. 22. duobus modis, & his non nisi cõponendo, & diuidendo, quod ẽt accidit solum in intelligendo substantias cõpositas, secundũ expressam Arist. mentẽ nono meth. tex. 22. Primus itaquè modus est per compositionem diffinitionis ad rem diffinitam, aut per diuisionem, vt si quis assereret, leonem esse animal rationale incorporeum, aut hominem non esse animal rationale mortale. Secũdus modus est, quatenus diffinitio ex partibus, quæ ad inuicem non coaptantur constituitur, vt si quis hanc diffinitionẽ hoĩ assignet, homo est animal insẽsibile.

Quò ad secundum, duabus respondetur conclusionibus. Prima: In substãtijs separatis non est per se falsitas, quæ itá probatur. In simplici apprehẽsione nõ est per se falsitas, sed substantiarum cognitio separatarũ per simplicem fit apprehensionem: ergo &c. Prima propositio nota est ex primo fundamento, & ẽt ex 6. meth. tex. vlt. & 3. de anima textib. suprà citatis, in quibus docet falsitatem solum esse in compositione, & diuisione, non autem in simplici apprehensione. Secunda autem propositio comperta est ex cap. 51.

Secunda conclusio. In substantijs separatis non reperitur falsitas etiam per accidens, quæ itá suadetur. In quocunq; intellectu est per accidens falsitas, necesse est, vt ibi adsit cõpositio, & diuisio, sed in separatis à materia nõ est cõpositio, et diuisio: ergo &c. Prima ꝓpositio ex secũdo fundamento clara est. Secunda autẽ ex dictis notissima est.

Dinde vtraque conclusio suadetur ex falsi diffinitione ab Arist. tradita, quarto meth. tex. 27. *falsum est dicere non esse, quod est, & dicere esse quod non est*, vbi patet falsũ esse solũmodo ĩ cõpositione: at ĩ itelligẽtia nulla ẽ cõpositio: ergo &c.

Quoad tertiũ est tale argm̃ contra veritatẽ determinatã. Si in substantijs separatis nõ est falsitas: ergo ibi non est veritas, ac ꝑ hoc, sicut ille intellectus nõ est falsus, pari modo non poterit esse verus, consequentia suadetur ex textibus allegatis, sicut falsitas est tm̃ in compositione, & diuisione, ita veritas tm̃ est in cõpositione, & diuisione.

Ad hoc argm̃ tale damus responsum de mente D. Th. 1. p. q. 16. ar. 1. & 2. veritatẽ, esse in aliquo intellectu, duob. modis cõtingit. Vno mõ, vt ꝓpria forma, in re vera, & hoc modo, veritas põt esse in sensu, & in intellectu simplici, vt in re vera, & hoc pacto veritas est in substãtiarum separatarum intellectu: qua veritate, iste intellectus appellatur verus, & veritatem, in se habere. Alio modo, veritas est in re, sicut in actu exercito, veritatẽ cognoscente; hocquè modo veritas est tm̃ in compositione, & diuisione, & hoc pacto intelligendus est Arist. affirmans in prędictis textibus veritatem tantum esse in cõpositione, & diuisione.

Voluntatem esse in substantijs separatis, ostenditur ad mentem Aristo. Cap. 55.

NOnnulla difficultas est ẽt an secundũ Arist. doctrinã in substantijs separatis sit voluntas.

Circa quam difficultatem tria sunt agenda. Primò quædam fundamẽta pro aurienda veritate iaciẽda sunt. Secũdò respõdendũ est difficultati. Tertiò obiectionibus occurrendum est.

Quò ad primũ. Duo fundamẽta sunt ꝑmittẽda. Primũ. In habẽtib. intellectũ, adest appetitus intellectiuus, qui cõi vocabulo, volũtas nũcupat. Hoc fundamẽtũ docet Aris. 3. de aĩa tex. 42. asserẽs. *In ratiocinatiua. n. fit voluntas*, hoc idẽ docet, tex. 48. vbi affirmat, intellectũ, & appetitũ mouere ſm locũ, et in tex. 50 hũc appetitũ appellat voluntatẽ, ita scribẽs. *Voluntas. n. appetitus est*, & in tex. 51. docet appetibile, qđ est bonũ intellectum, mouere appetitũ, & nono meth. text. 10. docet appetitũ intellectiuũ, determinare ad vnũ, potentiam rationalẽ, quæ est ad duo contraria, & in secundo physic.

tex.59.docet, habẽtes rationem, habere ẽt electionẽ, ex consequenti, voluntatẽ, quia electio, est voluntatis actus. Ex quibus omnibus colligitur, secundũ Aristo. doctrinã, in habentibus intellectum, esse etiã appetitũ intellectiuũ, ac per hoc voluntatem, cum apud ipsum idẽ sint appetitus intellectiuus, & voluntas.

Secundum fundamentum. Intelligẽtiæ sunt intellectuales. Hoc fundamẽtũ notissimum est expressè ex omnibus capitibus præcedentibus.

Quò ad secundũ. Respondetur vnica conclusione, quæ est ista. In substantijs separatis est voluntas: quæ bifariam probatur Primò, omnis substantia, quæ habet intellectum, habet etiam voluntatẽ, sed intelligentiæ sunt substantiæ, intellectum habentes; ergo habent voluntatem. Prima propositio comperta est ex primo fundamẽto. Secunda ex secũdo.

Secundò. Vbicunquè est appetibile intelligibile, ibi est voluntas, at in separatis substantijs est appetibile intelligibile: ergo &c. Prima propositio est Arist. 3. de anima, text. 49 50. & 51. secunda est ipsius 12. meth. tex. 36. vbi docet, primũ principiũ, omnes mouere intelligentias tamquam appetibile, & intelligibile.

Quò ad tertium. Contrà hanc veritatem sunt tria argumenta ex Arist. doctrina excerpta. Primum. Contestatur Arist. tertio de anima text. 42 voluntatem, esse in ratione: at in substantijs separatis non est ratio; quoniam de rationis ratione, est discurrere, quod intelligentijs minimè cõuenit: ergo volũtas, non est in intelligentijs.

Respondemus; rationem, & intellectum, secundum Arist. tertio de anima tex. 46. iuxta D. T. interpretationem, nequaquam duas esse potentias, verùm esse vnam, & eandem, quæ appellatur intellectus, quatenus simpliciter, veritatẽ apprehendere potest, & nuncupatur ratio, inquantum in cognoscendo veritatem discurrit, est tamen idem obiectum vtriusquè, quod est ens, & ideò formaliter ad argumentum respondendo, negamus in intelligentijs, non esse reipsa illam potentiam, quæ in hominib. ratio vocitatur, quæ est intellectiua potentia, licet, ibi non sit secundum rationem, & modum rationis.

Secundum argumentum. Ex tertio de aĩa textib. suprà citatis voluntas, sub appetitu continetur: at in separatis substantijs non est appetitus; ergo &c. Secũda propositio ità suadetur. Appetitus est actus imperfecti, cum appetitus sit eius, quod nondum habetur; at in intelligentijs non est aliqua imperfectio secundũ Arist. cum suam beatitudinem naturalem habeant.

Respondetur inficiando minorem vniuersaliter; quoniam non solum appetimus, quæ nondum habemus, verum etiam ea quæ habemus. Est tamen verum, appetitus nomẽ, esse desumptum ab appetendo ea, quæ nondum habentur, tamen fuit postmodum extensum ad appetendum ea, quæ iam habentur, quemadmodum, hoc nomen lapis, est desumptum à pedis læsione, & tamen non solum significat pedis læsionem, verum etiam substantiam lapidis.

Tertium argumentum. Secundum Arist. tertio de anima tex. 49. & 50. volũtas est mouens ab appetibili motum: at intelligentiæ non mouentur, vel per se, vel per accidens, vt in primo lib. probatum est: ergo &c.

Rñdetur Datur duplex motus, physicus, & meth. motus physicus est actus imperfecti, cũ sit actus existentis in potentia, & isto motu, nequaquã intelligẽtiæ mouentur, siue per se, siue per accidens, & isto etiam motu voluntas, minimè mouetur. Motus autem meth. vt intelligere, & velle, est actus pfecti, sm Aristot. in 3. de aĩa tex. 28. Et isto motu mouentur intellectus, & voluntas, quo etiã motu intelligentiæ mouentur.

In intelligentijs, voluntas, reipsa ab essentia, & intellectu, semouetur secundum Arist. Cap. 56.

HOc loci sciscitandũ est, an in intelligentijs uolũtas, reipsa distinguatur ab essentia, & intellectu.

Cir-

Circa hanc quæstionem, tria agenda sunt. Primò quædam fundamenta supponenda sunt. Secundò quæsito respondendum est. Tertiò obiectis est occurrẽdum.

Quò ad primum. Tria fundamenta supponenda sunt. Primum fundamentum. Distinctio realis inter aliqua optimè concluditur ex quidditatiuè distinctione, siue ex diuersa eorum diffinitione quidditatiua. Hoc fundamentum docet Arist. 4. phys. tex. 26. in actu exercito. Nam Arist. conclusit realem distinctionem existentis in aliquo ab eo in quo existit, ex quidditatiua distinctione istorum, scilicet esse in aliquo, & in quo est aliquid. Deinde à tex. 35. vsquè ad text. 42. inclusiuè eiusdem libri ostendit locũ esse realiter distinctum à materia forma, & spacio: quoniam ab eis diuersam habet rationem quidditatiuam.

Secundum fundamẽtum. Substantia solummodo per intrinseca diffinitur, nulloquè modo per extrinseca, hoc fundamentum docet Aristo. ferè per totum lib. 7. meth. & præcipuè textibus 1. 2. 3. 4. hoc etiam fundamentum colligitur ex quarto meth. tex. 2. & 5. meth. tex. 13. vbi habetur substantiam esse ens per se, & absolutum, cętera verò esse entia secũdũ quid, substantiamquè recipere.

Tertium fundamentum. Potẽtia diffinitur per se loquendo per actũ, hoc docetur 7. meth. tex. 15. & 16.

Quo ad secundum. Duabus respondetur conclusionibus. Altera est, voluntas in substãtijs separatis ab ipsarum essentia reipsa seiũgitur. Altera, in ijsdem voluntas, & intellectus reipsa semouentur.

Prima cõclusio ità probatur. Ea quæ diuersas habẽt diffinitiones quidditatiuas, reipsa distinguuntur, at substantiæ separatæ essentia, & voluntas, diuersas habent quidditatiuas diffinitiones: ergo reipsa distinguuntur. Prima propositio habetur ex secundo fundamento. Secũda autem, ita suadetur. Diffinitio substãtiæ aliquid extrinsecum minimè includit, ex secundo fundamento: voluntas aũt, cũ sit potentia actũ sibi extrinsecũ, includit, ex tertio fundamento; ergo &c. Subindè; voluntas intelligentiæ ad bonũ vniuersale, & increatum naturaliter tendit, ut colligitur ex tertio de aĩa tex. 51. qm̃ ad bonum intellectũ tẽdit, & 12. metha. tex. 36. dicitur, primum mouens quod est bonum increatum, mouere, vt appetibile, intelligentias.

Secunda conclusio ita demonstratur. Alia est quidditiua ratio intellectus, & alia voluntatis in intelligentijs: ergo intellectus, & voluntas, in ipsis reipsa seiunguntur: consequentia manifesta est, ex primo fundamento. Antecedens autem ità suadetur. Ratio intellectus est, ut ipse intellectus suum obiectum, in se habeat, fiatquè ipsum obiectum, in esse intelligibili: hæc colligitur ex 3. de aĩa tex. 8. 15. 18. 20. 37. & 38. Voluntatis autẽ ratio consistit in hoc, vt ad aliquod sibi extrinsecum, tendat, hęc propositio docetur ab Arist. 3. de anima tex. 51. 52. & 53 & 6. meth. tex. ultimo. Nam in 3. de anima affirmat, uoluntatem in bonum appetibile tẽdere, & in 3. meth. astruit, hoc bonum esse in rebus extrà animam, seu extra appetentem.

Quò ad tertium. Contrà ueritatem assertam tria sunt argumenta, quorũ primum tale est. Intelligentia est corpore simplicior: at corpus per suam formã, in suũ finẽ inclinatur, quod est eius bonũ: ergo multò magis intelligentia ad suum bonũ, per suã formã inclinatur, at hęc forma est, uel eius essẽtia, uel species q̃ est in ĩtellectu: ergo uolũtas in intelligentijs nõ distinguitur, vel ab earũ essentia, uel ab intellectu ipsarum.

Respõdemus, & imus inficias minorem, loquendo de bono extrinseco, corpus. n. naturale, per suas potẽtias, ad hoc bonum extrinsecum inclinatur, licet p̃ suam formam substantialem, ad suum esse inclinetur.

Secundum argumentum. Obiectum intellectus est uerum, uolũtatis autem est bonum, sed bonum, & uerum sunt idẽ realiter: ergo &c.

Respondemus negando sequelam; qm̃ potentiæ, reipsa, per formalem obiecti

distinctionē, nō aūt per realē, semouentur, modo aūt verum, & bonū, formaliter distinguunt. De hac responsione vide Caiet. 1. p. q. 77. ar. 3. ad tertium.

Tertiū argm. Distinctio cōis, & propria obiecti potentias minimè facit diuersas, eadē. n. potentia visiua est coloris, & albedinis. Sed verum, & bonū, se habere videntur sicut obiectum cōe, nā verū est quoddā intellectus bonum.

Respondetur. Qm̄ verū, & bonū sunt idē secundū rē: idcircò, & bonū ab intellectu intelligitur sub veri ratione, & verū à voluntate appetitur sub boni rōne, tamen distinguuntur secundū rationē, q̄ distinctio, ad diuersificandas potentias, sufficit. De hac ēt respōsione vide Caiet. loco supra citato.

Intelligentiæ liberè appetunt, & volunt ad mentem Aristo.
Cap. 57.

HOc loci non modica difficultas est, nū apud Arist. intelligentiæ liberè uel necessariò appetāt, & uelint. Circa quā difficultatē tria agemus. Primò q̄dam supponemus fundamenta. Secundò difficultati responsum dabimus. Tertiò obiectis occurremus

Quò ad primum. Duo fundamenta supponenda sunt. Primum est. Liberum nuncupatur quod sui causa est, hoc est, quod se ipsum mouet, & potest mouere, & nō mouere se ipsum. Hoc docetur in proœmio met. & 2. phys. tex. 57. & hoc agens liberum appellatur agens à proposito, agens uoluntarium, & agens per electionem, ut colligitur secundo phys. à tex. 49. usquè ad tex. 61. inclusiuè.

Secundum fundamentū. Intellectuale est agens à proposito, seu per electionē, quod est appetens liberū. Hoc fundamentū trifariā demōstrat. ad mētē Aris.

Primò. Aris. 9. meth. tex. 3. ponit discrimē inter potētiā rōnalē, & irrationalē, & attestatur potentiā rationalē se habere ad contraria, irrationalē aūt esse ad vnū determinata. Et in eodē tex. 3. & 4. assignat illius discriminis cām, & est; qm̄ potētia rōnalis agit p̄ sciētiā, quę est cōtrariorū, scia aūt nequaq̄ in potentia irrationali reperitur, quæ cū agat per inhęrentē formam, & duæ formæ contrariæ simul esse minimè possint: idcircò non se habet ut agens à proposito. Et in tex. 10. docet potentiā rationalē, quæ sm̄ se est ad opposita ab appetitu intellectiuo ad actū determinari. Ex quib. necessariò colligitur potentiā rationalē esse potentiā liberam, & ratio est, quia in se scientiā habet, quę est uniuersaliū obiectorū, vt patet per ipsum in primo libro post. quocirca illa potentia appetitiua est libera, quę uniuersale bonū ab intellectu cognitū appetit. Et hoc est quod docet D. Th. 1. p. q. 59. ar. 3. & q. 83. ar. 1. & verè ità est: qm̄ ex eo, quod ratio, vel intellectus uniuersale bonū apprehendit; idcirco apprehendens ad hoc, uel illud bonū minimè coarctat: at illa bona particularia ad inuicem confert, & ideò unū amplectitur, aliud uerò reijcit, hoc autē est libere agere.

Secūdò ita demonstratur. Arist. 3. de anima tex. 48. & 49. docet intellectū, & appetitū mouere, & in tex. 50. docet ista duo mouentia ab appetibili moueri, deinde in tex. 53. affirmat; qm̄ intellectus futurū bonū cognoscit, ideò retrahit appetitū ab aliquo cōcupiscibili, sicut pp̄ intellectus iudiciū uidetur febricitantī esse à uino abstinendum, ne incalescat febris, & concupiscentiæ ratio suadet oppositū, & nulli dubiū est hæc omnia accidere; qm̄ intellectus uniuersale bonū apprehendit, & postmodum applicatur ad hoc operandum, & ad illud eligendum, & nō aliud, ut docet ipse tertio de anima, tex. 51.

Tertiò suadetur: Aris. 3. de anima tex. 56. 57. & 58. ostendit iudicium liberum esse ipsius intellectus qui uniuersalē boni rationem cognoscit, & intellectus ipse iudicat hoc esse agendum, quia est maius bonum. Hæc de primo.

Quò ad secūdū rńdet tali cōclusione. Intelligētiæ sūt liberè agētes, et uolētes.

Quæ

Quę conclusio bifariã probatur: Primò intellectuale est agens liberum, ex secundò fundamento; sed intelligentiæ sunt intellectuales ex prædictis: ergo sunt liberè agentes. Secundò ità probatur de primo motore. Illud agens est liberũ, qđ se ipsum mouet, ex primo fundamento, sed primum mobile, vt primum moués includit, seipsum mouet per Arist. 8. physic. tex. 85. ergo primum mobile est agẽs liberum, quod est respectu intelligentię primum corpus mobile mouentis: ergo pari modo omnes cæterorum orbium intelligentiæ sunt liberè mouentes. Cõsequẽtia probatur, eo quoniã ad hoc, vt motus cęlestis sit continuus, & perpetuus, necesse est, vt primũ mobile seipsũ moueat: at ratio hæc est eadem de cæteris motibus, cum secundum Aristo. oẽs cœlestium corporum motus sint perpetui, vt docet 12. meth. tex. 34. vsq; ad 44. inclusiuè.

Argumentum. Actus liberi arbitrij est eligere; sed in substantijs separatis nõ potest esse electio: ergo non potest esse ibi actus liberi arbitrij Minor ità suadetur. Electio est appetitus præcõsiliati: ac per hoc vbi non est consilium, ibi nõ est electio, sed in intelligentijs non est consilium; qm̃ secundũ Arist. 3. Eth. consiliũ est inquisitio quædam, inquisitio autẽ ad discursum pertinet; cũ itaquè in intelligentijs non sit discursus, vt supra demonstratum fuit, in intelligentijs etiã non est electio: ergo non potest ibi esse liberi arbitrij actus.

Respõdetur. Negando minorem. Ad probationem negatur iterũ minor, & ad eius probationẽ fundatã in auctoritate Arist. dicitur, esse intelligendã de electione, vt est hominis, non autem vt est substantiæ separatę. Nam sicut hominis ęstimatio in speculatiuis seiungitur ab ęstimatione intelligẽtiæ, vt intelligẽtiæ æstimatio sit absq; inquisitione, ęstimatio aũt hoĩs sit p̃ inqsitionẽ, pari passu in operatiuis, qua de re in intelligẽtijs est electio, non tñ cum inquisita cõsilij deliberatione, sed per subitam veritatis acceptationẽ. Vide D. Th. 1. p. q. 59. ar. 3. & quæst. 82. articu. secundo, & tertio.

Intelligentiæ suos orbes mouent necessariò necessitate finis, necessitateque naturali appetunt, et volunt vltimum finẽ, qui est Deus ad mentem Arist. Cap. 58.

Maxima difficultas est inter Meth. Nũm intelligentiæ suos orbes necessariò moueant, necessariòquè inhæreant suo vltimo fini qui est Deus.

Circa hanc magnam difficultatẽ tria agenda sunt. Primò quædam fundamenta pro declaratione tituli, & pro responsionis veritate ponenda sunt. Secundò difficultati respondendum est. Tertiò obiectis est satisfaciendum.

Quò ad primum, duo fundamẽta ponenda sunt Primum fundamentum. Cõsiderandum est ex doctrina Arist. quinto meth. text. sexto, necessitatem multis modis dici, verum ad tres tãtum omnes reducũtur modi. Pro cuius explicatione sciẽdũ est. Necessariũ illud esse, qđ nõ potest non esse. Tribus autem modis, aliquid, non potest non esse, seu necessariũ est. Primò modo aliquid est necessariũ, seu non potest non esse, ex principio intrinseco: siuè materiali, veluti, omne ex contrariis compositum corrumpi necesse est: siuè formali, vt omne cõpositũ ex aĩa intellectiua & corpore necesse est rationale esse: hæcquè necessitas à philosophis appellatur necessitas naturalis, & absoluta. Secundo modo, aliquid nõ potest non esse ex principio extrinseco finali, qui etiam duplex est Vnomodo, aliquid est necessarium, seu non potest non esse, vt finis, quia absolutè, ille finis non potest haberi sine illo: & hoc modo cibus est simpliciter necessarius volenti viuere, & nauis est simpliciter necessaria volenti vltrà mare transfretare; Et hæc necessitas appellatur necessitas simpliciter, ex parte finis, & necessitas ex suppositione. Alio modo, aliquid dicitur necessarium, seu non potest non esse ex parte finis, qui finis non potest sine illo commodè haberi; & hoc modo

equus est necessarius ad iter, & hæc necessitas appellatur vtilitas, & necessitas etiam suppositionis, sed secũdum quid. Tertiò modo, aliquid non potest, non esse, seù necessarium est, quia ab aliquo agente cogitur contrà propriam inclinationem, vt cum graue mouetur sursum, & leue deorsum, & hæc necessitas, dicitur violentia, & coactionis necessitas.

Secundum fundamentum. Considerandum est, nos hac in controuersia sermonem habere, de necessitate in communi, & in responsionib. distinguemus necessitatem.

Quò ad secundum. Ad difficultatẽ tribus respondemus conclusionibus.

Prima conclusio. Intelligentiæ nil appetunt, & volunt violenter, vel necessario necessitate coactionis, quæ ità probatur. Violentum est contrà illius, qui cogitur, & violentatur inclinationem, vt habetur, quinto metha. tex. 6. at velle, & appetere, est secundum inclinationem, & non potest esse contrà ipsius voluntatis inclinationem. Minor ità suadetur, appetere, & velle voluntatis est motus ipsius volũtatis in bonũ, vt cõstat ex 3. de anima tex. 51. & 54. Bonũ autẽ est, quod omnia appetunt, vt habetur in 1. Eth. quod autem conuenit omnibus est à materia, vt colligitur, ex Arist. secũdo phys. in tractatu de casu, & fortuna, ac per hoc voluntatis motus, in bonum est secundum naturalem inclinationem.

Secunda conclusio. Intelligẽtię, suos mouent orbes necessariò necessitate finis, seu suppositionis. Hæc cõclusio suadetur, ex 12. meth. tex. 38. Nam iuxta D. Th. interpretationem. Intelligentia primum mobile mouens, non mouet necessitate violentiæ: qm̃ in rebus incorruptibilibus, non est aliquid extrà naturã, violentia autem extrà naturam est, immò est contrà naturam, vt constat ex ratione violentiæ declarata, tùm in primo fundamento, tùm in prima propositione assumpta pro prima conclusione, nequè etiam mouent necessariò necessitate absoluta: qm in præcedenti capite ostensum est, de mente Arist. 8. physico. tex. 52. primũ mobile mouere seipsum; mouens autem seipsum, vt ibi explanatum est in primo fundamento seipsum libere mouet, Igitur à sufficienti diuisione, primum mouẽs, mouet necessariò, necessitate finis. (supponendo motum cœli esse necessarium vt nunc supponimus de mente Arist. 12. meth. tex. 38.) qui finis est Deus, ad quem omnia tendunt, & illi assimilari conantur. Secundò suadetur hæc conclusio ex textu 36. eiusdem libri, quo in loco Aristo. loquens de motore, intelligẽtias orbium motrices mouente, contestatur mouere vt appetibile, & intelligibile. Ex quo apertè colligitur omnes intelligẽtias suos mouere orbes, propter Deum appetitũ, & amatum, vt expressè affirmat in tex. sequenti.

Tertia conclusio. Intelligentiæ naturali necessitate appetunt, & volunt vltimum finem, qui est Deus. Verùm antequàm ista conclusio suadeatur, quoddã suppositum in ista conclusione probandum est, quod est tale. Deus est vltimus finis omnium intelligẽtiarum orbes mouentium, quod facillimè ostenditur, ex 12. meth. tex. 52. vbi distinguit, duplicẽ finẽ, duplexquè bonum vniuersi, aliud intrinsecum, & hoc est ordo ipsius vniuersi, vt declarat in sequẽti tex. aliud est bonũ extrinsecũ, & finis vltimis extrinsecus, ad quem omne aliud bonum, omnisquè alius finis, ordinatur: & affirmat hoc esse Deum, sicut Dux est bonum vltimum extrinsecum, finisquè vltimus extrinsecus totius exercitus, ad quem omne bonum intrinsecum exercitus ordinatur. Hoc supposito ꝓbato, ità cõclusio bifariam suadetur. Primò Arist. secundo phys. tex. 89. 90. & 91. docet, sicut intellectus primo conclusionis principio inhæret, ità voluntas est primo fini inhærens, at intellectus primis principijs demõstrationum, cognitis terminis, per Aristote. primo poste. cap. tertio naturali necessitate inhæret, igitur omnis volũtas vltimo inhęret fini naturali necessitate

cessitate, sed Deus (vt apparet ex supposito nunc probato) est vltimus intelligentiarum finis: ergo Intelligentiæ naturali necessitate, appetunt, & volunt vltimum finem, Deum Optimum Maximum.

Secundò probatur. Secundum Arist. secundo phys. tex. 3. natura est principiũ primum in vnoquoque, quoniã natura est primum motus, & quietis principium, ac per hoc, quod est primum alicuius principium, ei naturaliter inest: sed finis est primum in operabilib. principium, sicut in speculatiuis, de quolibet est vera affirmatio, vel negatio, & huiusmodi, est conclusionis principium.

Quò ad tertium. Tria sunt argumenta contrà præfatas cõclusiones principales quorũ primum est. Quod est necessarium, non est voluntarium, si igitur intelligentiæ appetunt, & volunt Deum, motumquè æternum necessariò, vt in secunda, & tertia conclusione expositum fuit, non appetunt ea voluntariè.

Respondemus ad primam propositionem asserentes, quod est necessarium coactum, non est voluntarium, vera est propositio, quod autem est voluntarium necessitate, vel suppositionis, vel naturali, negatur illa propositio; quoniam necessitas naturalis, licet tollat libertatem, non tamen tollit voluntarium, in plus enim se habet voluntarium, quàm liberum, quæ enim naturaliter appetimus, voluntariè appetimus, licet non liberè, vnde voluntarium se extendit ad liberũ appetitum, & ad naturalem appetitum. Necessitas autem finis, seu ex suppositione, nullo pacto tollit libertatem, sed ipsam supponit, in eaquè fundatur, vt videre est in volenti viuere, & volente cibum: cibus enim est necessarius absolutè necessitate finis, ad viuere, & tamen ista necessitas supponit hominẽ libere velle viuere, & in ista libertate, ista finis necessitas fundatur.

Secundum argumentum. Potentię rationales ad opposita se habent, vt patet nono meth. sed voluntas est potentia rationalis, vt patet ex 3. de anima: ergo voluntas nil vult necessario.

Respondemus, & dicimus ad maiorẽ illam Arist. propositionem, scilicet potẽtiæ rationales se habent ad opposita, veram esse de aliquibus, quæ ad finem ordinantur, non autem de fine, nequè de omnibus, quæ ad finem ordinantur, sed solum de his, sinè quibus finis haberi potest.

Tertium argumentum. Secũdum voluntatem, aliquis est suorum dominus actuum, sed quod est ex necessitate, aliquis non potest esse eius dominus: ergo actus voluntatis non potest esse ex necessitate.

Respondetur, aliquem esse suorum actuum per voluntatem dominum, hoc verum est de his, quæ ordinantur ad finem, sine quibus finis haberi potest, nõ autem hoc verum est de his, sine quibus finis non potest haberi.

In intelligentijs non datur irascibilis, & concupiscibilis ad mentem Aristotelis.

Cap. 59.

VLtimo loco est difficultas, an in intelligentijs, sit irascibilis, & concupiscibilis, ad mentem Arist.

Circa hanc difficultatem, breuissimè duo agemus. Primò responsum dabimus difficultati. Secundò cuidam obiectioni occurremus.

Quo ad primum: ponitur talis cõclusio responsiua. In substãtijs separatis nõ est appetitus irascibilis, & concupiscibilis. Quæ conclusio bifariam probatur ad mentem Arist. Primò. Secũdum Arist. 3. de anima tex. 42. concupiscibilis, & irascibilis sunt in parte sensitiua, sed in intelligentijs, vt superius ostensum fuit capite vigesimonono, non est sensus: ergo nec concupiscibilis, & irascibilis.

Secundò. Potentiæ non distinguuntur penes materialem obiecti distinctionem, & ideò visus licet plura habeat obiecta, materialiter distincta, vt est albedo, nigredo &c. tamen quia est vnum obiectum formale, quod est visibile, est etiam vna potentia visiua, & ità de alijs vt docet Arist. secundo de anima; at proprium intellectiui appetitus obiectum, cum sit omne bonum sub boni ratione secundum Arist. tertio de anima tex. 51. omne bonum autem sub ratione boni vnum formaliter est, sicut & ens est proprium intellectus obiectum, quod vnũ formaliter est; ergo in intelligentijs est tantum vnus appetitus intellectiuus.

Quoad secundum. Contrà præfatam conclusionem est tale vnicum argumentum. In substãtiis separatis est amor, & gaudium, sed amor, & gaudium sunt in concupiscibili: ergo &c.

Respondetur. Gaudium, & amorem, duobus modis cõsiderari posse, vno modo vt sunt passiones, & ità sunt in concupiscibili, hocquè modo, nequaquàm sunt in intelligentijs; alio modo considerari possunt, quatenus nominant simplicem voluntatis actum, prout amare est velle alicui bonũ, & gaudere est voluntatem quiescere in aliquo bono habito, hocquè modo sunt in intelligentijs.

Quamuis ad perfectionem considerationis de intelligentiarum natura esset in præsentiarum considerandum, & pertractandum, de earum productione; at tamen hęc consideratio peragẽda est in tractatu de creatione omnium rerũ ad mentem Arist. tàm incorruptibilium, quàm corruptibilium, tàm separatarum à materia, quàm ex materia compositarum; quandoquidẽ, ibi erit longè aptior locus, hanc de intelligentijs perficiendi considerationem.

Libri Secundi Finis.

THEOLOGIÆ ARISTOTELIS LIBER TERTIVS.

Auctore Fratre Hieronymo Capręduno Soncinate Sacræ Theologiæ Magistro Ordinis Prædicatorum.

DE DEO OPTIMO MAXIMO Omnium Rerum Principe, Creatore, & Gubernatore,

Secundum Aristotelis sententiam.



Intentio Auctoris explicatur. Caput I.



Explicatis his ĩ primo, & Secũdo libro, quæ necessaria erãt ad Dei cõsiderationem, nũc in hoc Tertio libro aggrediẽda est Dei cõtemplatio tali ordine. Primò enim, determinabimus ea, quæ ad Dei essentiam spectãt, deinde ea, quę ad eius operationem pertinent. Circa primum, demonstrandum est, Deum esse, ad aures Arist. sectando ordinem ab ipso obseruatum: primoque rationes adducemus, à via motus delumptas, inchoatas in Physi. & in Metaph. completas, qui quidem ordo iste fuit. Primò duo posuit fundamenta. Secundò, ex ipsis fundamentis vnam confecit demonstrationem ostendentem, dari vnum primum mouens immobile. Tertiò, secundam cõstituit demonstrationem, illud idem indicantem. Et quoniam istæ duæ demonstrationes non deducebant nos nisi ad primum motorem, qui est pars mouentis seipsum (vt egregie ponderauit D. Th. 1. contra gent. ca. 13.) cuiusmodi non est Deus, cùm sit omninò separatus; idcircò quarto, & vltimo loco, vt hanc viam perficeret, quã in Physi. perficere minimè poterat; in 12. Metaph. ex isto motore, qui est pars mouentis seipsum, alium motorem omninò immobilem, omninòquè separatum, explorat. Qua de re, & nos ista quatuor, eo ordine quo ab Arist. fuerunt considerata, contemplabimur. Deinde aliis duabus vijs Deum esse, ad aures Arist. demonstrabimus.

Omne

Omne, quod mouetur, ab alio mouetur, secundum Aristotelem.

Cap. 2.

PRima itaquè via, ad ostendēdū Deū esse, ad mentem Arist. est via motus, quæ fundatur (vt assertum est) super duob. fundamētis, quorū primū tale est. Omne, quod mouetur ab alio mouetur. Hoc fundamentū triplici ostenditur demonstratione ab Aris. Prima demōstratio ab ipso collecta est 7. Phy. tex. 1. & 2. Adhuc, & demōstratio ipsa fundatur super alijs tribus fundamētis, quorū primū hoc est. Si aliquid seipsū mouet, necesse est, in se sui principiū motus habere. Hoc fundamētū suadetur ex eo, quoniam, si principiū sui motus minimè haberet, tūc necessariò ab alio moueretur.

Secūdū fūdamētū: Quod à seipso mouetur, necesse est, vt sit primò motū, hoc est moueatur ratione sui ipsius, & nō ratione suę partis; quod ità probatur. Nā, si ratione suę partis moueretur, tūc non moueretur à se, sed à parte sua; Vnaquę pars ab alia moueretur.

Tertium fundamentū. Hoc quod mouetur à seipso, necesse est esse diuisibile, partesquè habere. Et hoc fūdamētū suadetur ab ipso 6. Phy. à te. 5. vsq ad 10. quoniam omne quod mouetur est diuisibile.

Ex his tribus fundamentis talis colligitur demōstratio. Ex secūdo fundamēto, Hoc quod dicitur, à se ipso moueri, est primò motū; ergo ad vnius quietē partis sequitur totius quies, at quod quiescit alio quiescēte, à se ipso minimè mouetur; ergo quod ponebatur à se ipso moueri, nō à se ipso mouetur, verū ab alio; quapropter, omne quod mouetur ab alio mouetur. Prima cōsequētia ità suadetur. Si quiescente vna parte, nō quiesceret totū, tūc alia pars moueretur: Si autē vna parte quiescente, alia pars moueretur, tunc ipsū totū non esset primò motū, sed illa eius pars, quæ moueretur, alia quiescente. Quod autē quiescit, alio quiescente, à seipso minimè moueatur, ità demōstratur: Cuius quies sequitur ad alterius quietē, necesse est etiam, vt eius motus ad alterius motū sequatur; quod autē mouetur ad alterius motū, non mouetur à seipso, sed ab illo, ad cuius motū ipsū mouetur. Vltima cōsequentia ex pręmissis necessario sequitur. Nec calūnia Auicennę, hanc calumniantis rationem, aliquid valet, quæ est hæc. Hęc Arist. ratio duo supponit falsa. Alterū quod pars illius, quodā seipso mouetur, possit quiescere, & quiescat: hoc autē est falsum: quoniam illa pars mouentis non potest quiescere. Alterū falsum suppositum est. Illa pars mouetur, & quiescit. Hoc etiam est falsum, quia moueri & quiescere non est partis nisi per accidens. Hæc, inquam, obiectio nullā vim habet, quia fundatur in quadam conditionali vera, conditionalis autē potest esse vera, existentibus falsis antecedente, & cōsequēte; & ideò licet, illa pars mouentis seipsum primò, non posset quiescere, tamen si quiesceret, totius quies sequeretur, & ea quę sequuntur.

Secūda demonstratio desumitur ex 8. Phy. à tex. 28. vsq; ad tex. 33. Et est inductio quædam, quæ talis est. Omne quod mouetur, aut per se mouetur, aut per accidens; si per se, aut per naturā, aut p violentiam; si per naturam, aut vt a se motū, vt animalia, aut vt non motum à se; sed omnia ista ab alio mouentur; ergo omne, quod mouetur ab alio mouetur. Et primò, quod mouetur per accidēs, ab alio moueatur, notum est ex eo, quoniā mouetur ad alterius motū. Secūdū notū est ex eo, quia ea, quæ mouentur per violentiā, ab alio mouentur, vt patet ex violētiæ diffinitione. Violētia enim vt (diffinitur 3. Eth.) est cuius principium extra est, nil vim passo cōferente. Tertiò clarū est etiam quia ea quæ per naturam mouentur sunt à se mota, quoniā ab aīa mouētur. Vltimò, quæ mouentur per naturam vt mota à se, vt grauia, & leuia, manifestum est, moueri vel à generante, vel à remouente prohibens.

Tertiā demonstrationē confecit Ari. 8. Phy. tex. 40. & est ista. Nihil potest esse in actu & in potentia respectu vnius,

&

& eiusdem, sed omne, quod mouetur in quantum huiusmodi est in potentia, cũ motus sit actus existentis in potentia, in quãtum huiusmodi omne autem, quod actu mouet inquantum huiusmodi, in actu est; ergo nil potest esse mouens in actu, & motum respectu eiusdem, ergo nihil seipsum mouet: omne ergo quod mouetur ab alio mouetur.

In mouentibus & motis non est in infinitum procedendum, quocirca concluditur dari vnum primum motorem immobilem in Aristotelis doctrina. Cap. 3.

SEcundum Arist. fundamentũ est. In mouentibus & motis in infinitũ minimè progrediẽdũ est: quod ab ipso tribus demonstrationibus suadetur.

Prima demonstratio colligitur ex 7. Phy. à tex. 6. vsq; ad tex. 22. & hæc est: si in mouentibus, & motis in infinitum progreditur; ergo necesse est vt ista omnia, quę mouentur, sint corpora infinita; ergo omnia ista infinita simul mouerẽtur, dum vnum mouetur; ergo omnia illa infinita finito tempore mouerentur, hoc autem est impossibile; ergo & impossibile est, vt in mouentibus, & motis sit processus in infinitum. Prima consequentia suadetur 6. Phy. ex hoc, quia omne quod mouetur est diuisibile, & corpus. Secunda patens est ex eo, quia, omne corpus, quod mouet motum, simul dum mouet mouetur. Tertia suadetur quoniam vnum eorum cum sit finitum, tempore finito mouetur; ergo infinita tempore finito mouerentur. Consequẽtis falsitas ita ostenditur: mouens & motum sunt simul, & hoc singularium inductione probat; at corpora simul esse non possunt nisi per continuitatem, vel contiguitatem; ergo omnia ista mouentia, & mota infinita erunt vnum per continuitatem, vel contiguitatem, & cum vnum eorum moueatur tempore finito, omnia ista mouebuntur tempore finito: sed ista omnia sũt vnũ, vel per continuitatem, vel per contiguitatem; ergo vnũ infinitum, vel per continuitatem, vel per contiguitatem, tempore mouebitur finito, hoc autem Impossibile est, vt probatur 6. Phy.

Secũda demõstratio desumitur, ex 8. Phy. tex. 34. & sequẽtibus tali pacto. In mouẽtib. & motis ordinatis, quę ità se hábent, vt vnum ab alio moueatur necessariò, ista dispositio inuenitur, vt remoto primo mouente, vel cessante à motione, nullum eorum mouebit, nec mouebitur. Probatur hoc assumptum, quia primum est omnibus alijs, causa mouendi, at si sunt mouentia, & mota per ordinem in infinitum, non erit aliquod primum mouens, omnia erunt mouentia media; ergo nullum eorum mouere poterit; ideò nullus motus erit in Mundo, quod manifestè falsum est.

Tertia demonstratio confecta ab ipso 8. Phy. te. 35. in idem rediens cum pręcedenti, nisi quia fit per ordinis transmutationem, incipiendo ab inferiori, & talis est: Omne quod mouet instrumentaliter, nõ potest mouere, nisi sit aliquid, quod moueat principaliter; at si in infinitum procedatur in mouentibus & motis; omnia erunt veluti instrumentaliter mouentia. Cõsequẽtia patens est, quoniam omnia ponerentur, sicut mouentia mota, ex consequenti, nil erit sicut principale mouens; ergo nil mouebitur.

Ex his duobus fundamentis demonstratur, dari necessariò vnum primum mouens immobile, & demonstratio ità conflatur. Ex primo fundamento, omne quod mouetur ab alio mouetur; vel igitur illud mouens mouetur, vel non; Si non mouetur intentum habemus, scilicet, dari vnum mouens primum immobile: Si autem mouetur necesse est, vt ab alio moueatur ex eodem primo fundamento, & cum non sit in infinitum procedendum ex secundo fundamento necesse est, ad aliquod primum mouens immobile deuenire, quod erat demostrãdum.

Alia ratione demonstratur, dari vnum primum mouens immobile.

Cap. 4.

VT Arist. hanc suam de primo motore sententiam per motus viam magis consolidaret, iterum in 8. Physi. à tex. 36. vsq; ad quadragesimũ demõstrat dari aliquid mouens primum, quod nullo modo mouetur, & probatio hęc est. Si omne mouens mouetur, aut illa propositio est vera per se, vel per accidens; sed neutro modo vera est; ergo non omne mouens mouetur; ergo datur mouens immobile, quod erat demonstrandum. Et primò suadet duplici ratione, illam propositionem per accidens non esse veram, & prima ratio hæc est. Si est verum per accidens, omne mouens moueri; ergo non est necessarium; ergo contingens est, omne mouens moueri; ergo contingens est, nihil moueri; hoc autem est impossibile; ergo et impossibile est, vt per accidens, omne mouens moueatur. Prima consequẽtia clara est ex hoc, quia quod est per accidens, non est necessarium, cum per accidens & necessarium opponantur. Secunda autem ex terminis constat, quia si aliquid non est necessarium, contingens est, cum necessarium, & contingens opponantur. Tertia autem consequentia aperta est, ex aduersarijs asserentibus, si mouens non mouetur, non mouet. Si ergo contingit, mouens non moueri, continget etiã nõ mouere: ergo non erit motus, nisi contingenter: quod autem hoc sit impossibile, suadetur ab Arist. 8. Physi. & 12 Metaphi. vbi suadet, dari motum eternum, & necessarium.

Secũda probatio ad idem hæc est. Si aliqua duo sunt in aliquo tertio per accidens coniuncta, & vnum illorum sine altero reperitur, consonum rationi est, aliud alterũ absquè illo inueniri posse; at per se mouens, & motum per accidens coniunguntur, & motum inuenitur absquè eo, vt moueat; ergo probabile est, vt mouens absquè eo quod moueatur, inueniatur. Prima propositio declaratur tali exemplo; quia album, & Musicum in sorte per accidens coniunguntur, & in Plat. inuenitur musicum absq; albo; ergo consonum rationi est, vt albũ absquè musico inueniatur.

Secundo probatur, illam propositionem, omne mouens moueri, nõ esse veram per se: Si omne mouens per se mouetur, aut eadem specie motus mouetur, aut alia: sed neutro illorum modorum; ergo &c. & primò non esse veram, de eadem motus specie ostenditur. Si omne mouens per se mouetur eadem motus specie; ergo necesse est, alterans alterari, vel sanans, sanari, vel docens, doceri, quæ omnia contradictionem inuoluunt; nam docentem, necesse est, scientiam habere, adiscentem autem non habere; ergo idem habebitur, & non habebitur ab eodem. Deinde ostenditur, omne mouens non moueri alia specie motus. Si alterans moueatur secundum locum, & mouens secundum locum augeatur, & ità de alijs, & cum sint finita, genera & species motus, sequitur, non esse in infinitum processum, idcircò, erit aliquod mouens, quod non ab alio mouetur. Et si aliquis respondeat, nó sequi: Si aliquod mouens alia specie motus moueatur, deueniẽdum esse ad aliquod mouens immobile; quoniã fit reflexio hoc modo: nam omnibus completis generibus, & speciebus motus, iterum reditur ad primum genus, vt si mouens secundum locum alteratur, & alterans augeatur iterum augens secundum locum mouetur. Verum contra hãc responsionem arguitur, quoniam sequitur, idẽ quod prius, scilicet, id quod mouet secũdum aliquam motus speciem, secundum eandem moueatur, licet non immediatè, tamen mediatè. Necesse est ergo (vt ex dictis omnib. colligitur) dari aliquod primum, quod non ab aliquo exteriori moueatur.

Deum esse concluditur, ad aures Aristotelis. Cap. 5.

VSquè modo Arist. in tex. 39. 8. Physic. ad hoc deuenit, vnum primũ mouens dari, quod non ab aliquo exteriori mouetur, minimè tamen sequitur illud primum mouens esse penitus immobile, quapropter in text. sequenti .s. 40. progreditur vlterius, affirmans hoc. Primũ mouens est immobile. Quod ab exteriori principio nequaquam mouetur, aut est penitus immobile, aut à seipso mouetur: Si primum institutum habetur: Si secundum, quod magis probabile est; quoniam quod est per se, prius semper est eo, quod est p aliud, ex consequenti videtur, vt primum mouens seipsum moueat, & erit hoc modo mouens seipsum, vt eodem in textu docet, non vt totum moueat totum: quoniam prædicta sequerentur inconuenientia, scilicet, vt aliquis doceret, & doceretur, & tandem esse simul aliquid in actu, & in potẽtia: ergo erit vna pars mouens, omninòquè immobilis, alia verò mota.

Deinde a tex. 41. vsque ad tex. 44. docet non posse esse vt vtraquè pars moueatur, adeò, vt vna ab alia moueatur, nec vt vna pars seipsam moueat, alteraquè moueatur, nec vt totum moueat partem, neque pars totum moueat; quoniam omnia supradicta inconueniẽtia sequerentur, scilicet, vt aliquid simul moueret, & moueretur, secundum eandem motus speciem, simulquè esset in actu, & in potentia, & totum non esset primò se mouẽs, sed ratione partis moueret, qua de re necessariò sequitur mouẽtis seipsum vnam partem esse immobilem, alteramquè partem mouentem.

Et quoniam aliquis posset asserere, partem seipsum mouentis, licet sit per se immobilis, tamen mouetur per accidens, vt contingit in animalibus, in quibus pars mouens, quę est anima per accidens mouetur; idcircò in text. 45. hanc excludit obiectionem, contestans animalia, quæ apud nos sunt esse corruptibilia, ideò in eis pars mouens per accidens mouetur. Primum autem mouẽs necessariò est incorruptibile, & perpetuum, quapropter non est eadem ratio. Quod autem primum mouens sit incorruptibile, & ęternum demonstratur à tex. 46. vsque ad tex. 49. inclusiuè, hoc modo. Cuius effectus est æternus, est etiam ipsum ęternum; at primus motus vt probatur tex. 53. est ęternus: ergo & sua causa est ęterna, at huiusmodi motus causa, est primum mouens; ergo primum mouens est ęternum.

Deinde in tex. 50. iterum demonstrat, primum mouens per accidens non moueri: hoc pacto. Nos videmus aliqua de nouo incipere moueri, propter aliquem motum, mediante quo à se ipsis nequaquam mouentur, sicut animal, cum à somno (cibo digesto, aut alterato aere) excitatur, quo quidem motu mouetur per accidens motor, seipsum mouens. Ex qua experientia, ista propositio colligitur. Quod mouetur per accidens, non semper mouetur: at primum mouens semper mouetur: ergo primum mouens non mouetur per accidens.

Et si quis contra prædicta hoc modo instaret: Motores orbium inferiorum puta Solis, & Lunæ, per accidens dicunt moueri, & tamen ęterno tempore mouent, falsum itaquè est mouens ęternũ non posse per accidens moueri. Respondet tex. 52. affirmans istos motores nuncupari per accidens moueri, non ratione sui: qm̃ nec etiam per accidens motum recipiunt, sed ratione suorũ orbiũ, qui ad primi mobilis motum, motu diuino mouentur.

Quoniam aũt Deus nõ est pars mouẽtis, qua de re Arist. in sua Met. lib. 12. tex. 36. ex isto motore, qui est pars, seipsum mouẽtis, aliũ motorẽ oĩnò separatum, qui est Deus, perscrutatur tali demõstratione: Omne mouens seipsum mouetur per appetitũ vt docetur 3 de Anima tex. 49. ergo & motor, q̃ est pars seipsum mouẽtis, pp alicuius appetibilis appetitum mouet, q̃d est superius ipso appetẽte, & hoc appetibile, est mouẽs oĩnò nõ motũ: ergo dat' prim' motor oĩno separat', om-

ninòque immobilis, qui est Deus. Prima consequentia colligitur ex 3. de Anima tex. 49. & 50. vbi ostenditur appetibile esse mouens omnino immotum, ex consequenti superius, & nobilius appetente. Secunda autem consequentia, ex hoc constat, quia Deus est motor, omninò separatus &c.

Contra demonstrationes factas ad sunt duo obiecta. Primum est. In prædictis demonstrationibus vnum supponitur, quod est à multis negatum, videlicet. Corpus cęleste esse motum, ex se ex consequẽti esse animatum. Respondetur Arist. non conclusisse, in Physic. determinatè hanc partem, scilicet. Primũ mouens, (quod est Cœleste corpus) esse seipsum mouens, (licet asseruerit hoc esse probabilius) sed hanc distinctiuam, scilicet necesse est deuenire, vel statim ad primum mouens immobile separatum, vel ad mouẽs seipsum, ex quo postmodum, & statim ad primum mouens immobile, & separatum deuenitur.

Secundum obiectum est. Aliquis instari posset, has demonstrationes aliud supponere falsum, scilicet. Mundi ęternitatem. Ad hoc duo dicimus. Primum est nunc non loquimur secundum fidem, sed solum secundum Arist. mentem, qui fuit huius opinionis, vt mundus, & motus essent ęterni, & discutimus, quod Arist. declarat in sua doctrina. Secundò possumus asserere has sustinendo demonstrationes, ad mentem Catholicorum proculdubio, viam efficacissimam ad demonstrandum Deum esse, esse mundi nouitatem, vt tenemus nos secundum fidem Catholicam; quoniam si mundus incępit, cum nihil se educat de potentia ad actũ, nec de nõ esse ad esse: necesse est mundum, & motum ab aliquo agente productos esse, & hoc agens est Deus; attamen dato, sed non concesso mundum esse ęternum, adhuc demonstratur per viam motus ęterni Deum esse, vt Arist. demonstrauit.

Demonstratur duabus alijs vijs, Deum esse ad aures Aristotel.
Cap. 6.

QVamquam satis abunde suasum sit, in præcedenti capite, Deum esse ad mentem Arist. nunc etiã ad abundantiorem doctrinam duabus alijs vijs demonstrandum est, vna quarum colligitur ex causę efficientis ratione, quæ ita formatur ab Arist. 2. Metap. tex. 6. In omnibus causis efficientibus ordinatis primum est medij causa, & medium vltimi causa, siue sit vnũ mediũ, siuè plura, at remota causa, remouetur etiam id, cuius est causa; ergo remoto primo medium, causa esse non poterit; at si in infinitum in causis efficientibus procedatur, nulla earum erit prima; ergo aliæ omnes auferentur; sed hoc manifestè falsum est; ergo datur prima causa, & hæc est Deus, & hæc est secunda via.

Tertia via colligitur ab Arist. 2. Met. & 12. Met. In 2. Metaph. tex. 4. ostendit id, quod est maximum in vnoquoquè, esse omnium aliorum causam. In 12. autem tex. 38. & 39. demonstrat, primum principium esse maximè ens; ergo primum principium est omnium entium causa, & hoc est Deus. Et confirmatur ista demonstratio; nam Aristo. 12. Met. tex. 39. appellat hoc principium Deum.

Deum non esse corpus demonstratur ex tribus fundamentis de mente Aristotelis.
Cap. 7.

DEmonstrato Deum esse ad aures Aristot. agendum est, de eius essentia, & natura, & primo determinandum est, Deum non esse corpus; nec virtutem in corpore. Et eo modo procedendum est, quo processit Arist. in 8. Phys. circa finem, ad demonstrandam hanc veritatem. Etenim primo tria iecit fundamenta, deinde suam deduxit conclusionem, ità & nos procedemus.

Pri-

Primum itaque fundamentum est; Motus in tempore infinito, non potest esse à potentia, seu virtute finita. Quod fundamentum demonstratur tex. 78. demonstratione ad impossibile ducente. Vnde sumit primo ab aduersarijs eorũ positionem, quæ hæc est. A. virtus, vt centum mobile B. mouet, centum cubitorum in C. tempore infinito; subinde positioni huic apponit possibilem propositionem, quæ est, D. virtus, vt decem quæ est decima pars virtutis, vt centum, & moueat. E. mobile decem cubitorum (quod est etiam primi mobilis decima pars) in tempore. D. Iactis duabus suppositis propositionibus ita argumentatur. Istud tempus, in quo mobile cubitorum decem mouetur à virtute, vt decẽ, non est ęquale illi tempori, in quo mobile centum cubitorum à virtute, vt centum mouetur, sed est illo minus; quoniam demonstratum est *6*. Phys. quod cœteris paribus mobile maius eget maiori tempore, ad aliquod certum signũ pertranseundum, quam mobile minus. Igitur, cum illud tempus maius, quo maius mobile mouetur, sit infinitum, tempus, quo mouetur minus mobile erit finitum; sit itaquè tempus. D. decem horarum, tunc ita arguitur. Si virtus, vt decem augeatur, donec consumat, vel adęquet virtutem, vt centum, similiter mobile decem cubitorum augeatur vsquequò consumat, vel adęquet mobile centum cubitorum, necesse est tempus decem horarum proportionaliter augere, donec consumat, aut adęquet tẽpus, in quo virtus centum, mouet mobile cubitorum centum; quoniam necessum est, virtutes ęquales ęquali tempore, ęqualia mobilia mouere; sed infinitum minimè consumi potest, nec ei, aliquid potest ęquari; ergo impossibile est tempus, quo virtus, vt centum mouet esse infinitum.

Secundum fundamentum est tale. In magnitudine finita, non potest esse virtus infinita, quod demonstratur tex. 79. suppositis primo tribus fundamentis, & primum horum est. Maior virtus motiua, in minori tempore ęqualem inducit effectum. Secundum quod ex primo colligitur. Virtus infinita in tempore ęquali plus facit, quam virtus finita. Tertium. Omnis motus in tempore est. Ex his fundamentis arguit demonstratione ad impossibile ducente hoc modo. Si in magnitudine finita esset virtus motiua infinita, sequeretur virtutem finitam, & infinitam, ęquali tempore, & æquali modo mouere ęquale mobile, consequens est contra primum, & secundum fundamentum, ac per hoc falsum est; ergo & antecedens. Consequentia, ità deducitur. Sit A. tempus vnius horæ, in quo virtus infinita mouet, cum ex tertio fundamento, omnis motus sit in tempore. Et sit B. horarum mille, in quo mouet virtus finita puta, vt mille. Tunc ità arguitur: quantò virtus motiua sit maior tanto tẽpus, in quo mouet sit minus, vt ex pręmissis fundamẽtis patet, tunc augeatur virtus motiua, vt mille in tanta proportione, in quã ta tempus vnius horæ exceditur à tempore mille horarum, tunc manifestè sequitur in tempore ęquali, mouere virtutem finitam, & infinitam, quod est impossibile.

Tertium fundamentum. Necesse est tantum vnum esse primum motorem, qui semper moueat sempiterno motu, quod ita probatur tex. 83. Datur vnus motus continuus, & sempiternus, vt probatum est in 7. & 8. Physic. sed motus non potest esse vnus nisi ab vno motore; ergo primus motor est vnus.

Ex his fundamentis colligitur, Deũ non esse corpus; nec virtutem in corpore, hoc pacto. Nulla potentia infinita, est in magnitudine, sed primi motoris potentia est infinita: ergo primi motoris potentia, non est in magnitudine, sed Deus est primus motor: ergo Deus non est corpus, seu non est virtus in corpore, vel in magnitudine. Prima propositio suadetur ex secundo fundamento. Si potentia alicuius magnitudinis est infinita, aut illa magnitudo cuius est illa potentia erit finita, aut infinita, non potest.

test esse infinita; quoniam vt probatum est 3. Phys. & 3. de Cœlo non datur magnitudo infinita. Neque etiam illa magnitudo potest esse finita; quoniam ex secundo fundamento, in magnitudine finita, non potest esse virtus, seu potẽtia infinita. Secunda autem propositio, scilicet: Potentia primi motoris est infinita, probatur ex primo, & tertio fundamento. Motus in tempore infinito non potest esse à potentia finita, ex primo fundamento, sed primus motor mouet tempore infinito, ex secundo fundamento; ergo primi motoris potentia est infinita: Deus itaquè nequaquam est corpus.

Alijs duabus rationibus ostenditur Deum non esse corpus.

Cap. 8.

EX multis alijs Arist. doctrinæ locis demonstratur, Deum non esse corpus.

Secunda itaquè probatio ista fit. Nullum corpus mouet localiter, nisi moueatur, vel per se, vel per accidens; at Deus est primum mouens, quod non mouetur per se, nec per accidens: ergo Deus non est corpus. Prima propositio habetur ab Aristo. 7. Phys. text. 10. ergo omne corpus mouens localiter, etiam ipsum mouetur localiter: quoniã mouẽs, & motum localiter, oportet esse simul; ac per hoc si motum mouetur, pari modo necessario mouebitur mouens. Secũda autem propositio fuit probata ad aures Aristotel. sup. cap. 5. ex 12. Metaph. tex. 36.

Tertia demonstratio. Motus regularis, & continuus minimè potest esse à corporeo mouente, sed motus primus est continuus, & regularis; ergo motus primus nequaquam potest esse à mouẽte corporeo; at Deus est prima causa motus continui, & regularis: ergo Deus non potest esse corpus. Prima propositio colligitur ex 7. Phys. tex. 11. vbi docetur, mouens corporeum mouere localiter per attractionem, vel expulsionem, & in talibus motibus (vt ibi docetur) quod mouetur non est semper in eadẽ dispositione ad mouens; sed quandoquè propinquius, quãdoquè remotius. Secunda autem propositio docetur 8. Phys. à tex. 73. vsquè ad tex. 77. inclusiuè. Aliæ autem propositiones notissimæ sunt ex supra assertis.

Deum non esse compositum ex materia, & forma ostenditur, ad mentem Aristotel.

Caput 9.

LIcet secundum omnes penè Philosoph. idem prorsus sint compositũ ex materia & forma, & corpus, cum secũdum istos omne compositum sit corpus, & omne corpus sit ex materia & forma compositum, attamen hanc veritatem non omnes fatentur. Nam Auerroes affirmat Cœlum esse corpus, & tamen non esse ex materia compositũ: verum simplicem esse formam, & Auicebron asserit substantias separatas esse ex materia & forma cõpositas, & tamen corpora non esse. Quocircà vt nostra doctrina sit vniuersalior, & omnifariam completa ostendendum est etiam, Deum non esse ex materia & forma compositum, licet non esse corpus demonstratum fuerit, hocquè trib. rationibus ad mentem Aristo. ostendendum est.

Prima ratio. Secundum Arist. primo Phys. text. 78. 79. & 81. & 2. de Anima tex. 2. & 7. Met. tex. 22. & 8. text. 3. & 16. Vbicunque est materia, ibi etiam est potentia, cum de materiæ ratione sit pura potentia; at secundum Arist. 12. Met. tex. 37. Deus est actus purissimus absquè omni potentia; quoniam Deus est primum intelligibile, vt constat ex tex. 36. eiusdem duodecimi: primum autem intelligibile est simplex actus, ab omni potentia denudatus; ergo Deus secundum Arist. non est corpus.

Se-

Secunda ratio. Vnumquodquè agens per suam formam agit, vt asserit Aristotel. tertio Physico. text. 15. ergo vnum quodquè quemadmodum se habet ad esse formam, ità se habet ad esse agens, & sicut se habet ad esse agens, ità ad esse formam se habet, sed vt probatum fuit capite 3. 4. & 5. ad mentem Aristotel. Deus est primum agens, & per se agens ergo secundum Aristotel. Deus est, primo, & per se forma; ergo secundum Aristote. Deus non est ex materia & forma compositus.

Tertia ratio. In duodecimo Metap. text 30. Affirmatur oēs intelligentias esse sine materia ità contestans. *Amplius ergo tales oportet esse substantias sine materia.* Est tamen aduertendum rationes illas in octauo Physicor. & duodecimo Metaphys. non esse demonstratiuas simpliciter, sed solum ad contradicendum antiquis, & ideò facillimè soluuntur à D. Thom. libro secundo capite secundo. Verùm quidquid sit de rationibus satis est nobis ostendere ad mētem Aristot. Deum non esse ex materia & forma compositum.

Contra hanc veritatem est tale argumentum. Materia est indiuiduationis principium, secundum Aristotel. tertio de Cęlo. text. 92. & 93. vbi assignat vnitatem, & pluralitatem indiuiduorū eadem in specie ex materia prouenire. Hoc idem docet duodecimo Metaphysico. text. 49. sed per ipsummet, Deus est, vnus numero, vt concludit in fine Metaphy. vnus ergo princeps; ergo habet materiam.

Ad hoc argumentum ipsemet respondet octauo Metaphy. tex. 15. docens primam propositionem veram esse in habentibus materiam, non autem in separatis à materia. Ista enim à materia separata seipsis, sunt vnum numero, non autem per aliquid aliud: quapropter seipsis, in diuiduantur.

Deus est sua natura, seu essentia, secundum Aristotelis.

Cap. 10.

EX prædeclaratis manifestè clarum est Deum esse suam naturam: aduertendo tamen nos, Dei nomine intelligere diuinum suppositum, quod est habens Deitatem, vt Deus est habens Deitatem. Nomine autem essentiæ, vel naturæ intelligimus Deitatem, qua formaliter Deus est, & loquimur, de identitate secundum rem, non autē de identitate secundum rationem; nam secundum rationem Deus, & Deitas distinguuntur (vt nos Christi fideles fatemur.) & asserimus ad aures Aristotel. Dei suppositum, re ipsa quocunquè modo à Deitate minimè distingui, sed omnibus modis reipsa esse idē. Quæ veritas ex quadruplici tex. Aristo. colligitur.

Primus textus est octauus tex. 8. Metap. quo in tex. Arist. docet hanc propositionem; *Si est aliquid hoc est, aliquod suppositum, quod non sit ex materia & forma, compositum, verum sit forma tātum tunc illud est suum quodquid erat esse;* idest essentia, seu natura, vel sua quidditas. Ratio huius colligitur ex illo tex. *Natura enim, seu essentia, est id, quod significatur diffinitionis nomine;* idcircò idem sunt secundum rem essentia rei, & diffinitio rei, sed diffinitio rei simplicis principia indiuiduantia materialia minimè includit, sicut diffinitio rei compositæ, ea includit, vt hominis diffinitio has carnes, & hæc ossa includit; ergo nec rei essentia, hæc principia indiuiduantia materialia includit, sed principia indiuiduantia, si dantur sunt de ratione suppositi adeo, vt ex illis constituatur, & si diffiniretur, per illa diffiniretur; ergo suppositum distinguitur à natura, per indiuiduantia principia; ergo vbi non est materia aliquo modo, ibi nullo modo suppositum à natura distinguitur. At ad mentem

Aristot. vt demonstratum est, in capite præcedenti, in Deo, non est materia aliquo pacto; ergo in Deo, idem prorsus sunt, secundum rem suppositum, & natura: Deus itaque est sua essentia, seu sua natura vel sua Deitas.

Secundus text. est 41. septimi Metap. vbi hanc docet propositionem. *In separatis à materia idem est, quod quid erat esse, cum eo cuius est*; sed quod quid erat esse est natura, seu essentia, id cuius est, est suppositum, & probat, hanc propositionem ratione in præcedenti text. collecta: at Deus est à materia omninò separatus: ergo &c.

Tertius text. est nonus 3. de Anima vbi ità scribit Aristot. *In quibusdam idem est esse carni, aut carnem*; & secundum expositionem. Di. Thom. Alexan. Simplicij, & penè omnium illum locum interpretantium, per carnem intelligitur id, quod habet essentiam, hoc autem est suppositum, & per esse carni diffinitio, & essentia exprimitur. Itidē secundum supradictorū interpretationem, per hoc materialis rei exemplum intelligit substantiam à materia separatam, & huius ratio iuxta D. Thom. est, quoniam separatæ substantiæ sunt nobis ignotæ, idcircò non possunt à nobis proprijs nominibus nominari, sicut materialia, & Matemathica. ideò sub rerum naturalium exemplo nominantur, cum itaquè Deus sit summè immaterialis, Deus est sua Deitas.

Quartus tex. est 49. 12. Metaphy. vbi docet primum principium esse suum, quod quid erat esse, hoc est, suam essentiam.

Verum contra hanc veritatem duo sunt argumenta ex Arist. doctrina emanantia.

Primū argū. Arist. 4. Phys. docet oēs essendi modos, varius in alio, & nullus illorum est, quo aliquid est in seipso, sed in Deo est sua natura, hoc est Deitas; ergo Dei natura ab ipso Deo seiungitur.

Secundum. Secundum Aristote. secundo Physico. & quinto Metaphy. effectus suæ causæ assimilantur, sed nullus est effectus qui sit sua essentia; ergo &cęt.

Ad primum, dicimus ad primam propositionem, nil esse in seipso formaliter, realiter tamen aliquid est in se ipso, vnde quia Deitas formaliter secundum rationem distinguitur à Deo (vt assertum est) idcircò dicitur esse in Deo, quapropter argumentum solummodo suadet formalem distinctionem inter Deū & Deitatem, quod gratis concedimus.

Ad Secundum dicimus. Primam propositionem, hoc modo esse intelligendam, effectus suæ causæ assimilantur, non absolutè, & simpliciter, sed in quantum possunt, modo asserimus nullum effectum Deo assimilari posse in hoc, vt sit sua essentia.

Deus est suum esse, secundum Aristotelem.

Cap. II.

DEum esse suam existentiā ad mentem Aristotel. tùm ex dictis, tùm ex dicendis duabus rationibus facillimè demonstratur.

Prima ratio hæc est. Oē quod est per aliud est posterius oī eo, qđ est per se, & ab ipso causatū, at omne ens aliud à Deo est ens per aliud, & ab ipso causatum, ergo omne ens, aliud à Deo est posterius ente per se, & ab ipso causatum; ergo solus Deus est ens per se, omniumquè causa; ergo sua essentia est sua existentia. Prima propositio duas continet partes, & prima hæc est; quod est per aliud, est posterius eo, quod est per se, quæ habetur secundo Physico. text. 66. & octauo Physicor. text. 39. secunda pars est ista. Ens per aliud est causatum ab ente per se, quę habetur secundo Metaphys. text. 4. Secunda propositio inferius probabitur à nobis, dum agemus de causali-

hoc

tate Dei respectu omnium, cum hoc tamē nunc probatur tali pacto, supponendo vnum iam demonstratum superius ad mentem Aristot. libro secundo capite decimotertio, quod est: In omnibus creatis existentia semouetur reipsa ab eius essentia, tunc itá arguitur omne creatum, aut habet esse ab alio, aut à seipso, non à seipso secundum Aristot. secundo de Anima text. quadragesimo septimo, & probatur etiam ex 3. Phys. tex. decimoquinto; quia omne efficiens existit, ait ibi Aristotel. si ergo aliquid suum existere causaret, tunc erat antequam esset, quod contradictionem inuoluit; ergo hæc existentia ab alio causatur. Vltima consequentia suadetur ex eo; quoniam omne, quod habet existentiam ab essentia distinctam illa existentia est ab alio causata; cum ergo in Deo nil sit causatum, in Deo etiam existentia, & sua essentia sunt vnum, & idem.

Secunda ratio. Docet Aristot. secundo de Anima text. 6. & octauo Metaph. text. 16. quando sunt aliqua duo, ad inuicem distincta non possunt vniri per se nisi vnum habeat rationem potentiæ, alterum autem rationem actus; ergo vel Deus haberet aliquid potentialitatis, vel in Deo essentia, & existentia, per se vnita minimè essent: vtrumque horum est falsissimum: ergo existentia in Deo non distinguitur ab eius essentia.

Confirmatur hæc conclusio ex Aristotel. secundo Metaph. text. quarto, determinante, Deum esse ipsum ens, seu esse per essentiam, sed illud cuius existentia distinguitur ab essentia est ens per participationem, non autem per essentiam, vt loco citato, scilicet, libro secundo capite decimotertio, demonstratum est; ergo existentia in Deo nō distinguitur ab eius essentia.

Contra hanc veritatem adsunt duo argumenta desumpta ex Aristote. doctrina.

Primum argumētum. Si in Deo essentia, & esse sunt vnum, & idem; ergo ad esse diuinum nil additur; at esse cui nil additur est esse cōe qđ de omnibus prædicatur; ergo Deus est ens commune, quod de omnibus prædicatur, hoc autem est falsum in doctrina Aristot. cum secundum ipsum vltimo text. Metaphy. sit tantum vnus Deus numero, ex consequenti est singularis, ac per hoc tantum de seipso prædicatur.

Ad hoc respondetur à D. Thom. prima parte quæstio. 3. ar. quarto, tali distinctione. Duobus modis contingit aliquid esse cui non sit additio; vno modo, illi non fit additio aliqua; quoniam de eius ratione est, vt sibi non fiat additio, sicut de animalis irrationalis ratione est, vt sit sine ratione, ita etiam de illius ratione est, vt sibi non fiat additio, & quod est tale, quod sibi non fiat additio, hoc primo modo falsum est, hoc esse commune prædicatum, & hoc modo esse Dei est, cui nulla fit addictio. Alio modo contingit aliquid esse cui non fit additio; quoniam non est de eius ratione, ut sibi fiat additio, nec etiam est de eius ratione, vt sibi additio non fiat; quocirca istud ab additione, & non additione abstrahit, quapropter aliquando est cum additione, & aliquando sine additione, & hoc modo animal, vt est quod iam commune abstrahit à rationalitate, & irrationalitate, & hoc modo quod est sine additione est commune, & in isto sensu verum est, quod est sine additione commune est, & esse cui non fit aliqua additio, quia non est de ratione eius, vt sibi fiat additio, nec repugnat eius rationi, vt sibi additio fiat, est commune, & de omnibus prædicatur.

Secundum argumentum. De Deo scire possumus, an sit, vt supra demonstratum est, & non possumus scire quid est: ergo in Deo, non sunt vnum, & idem esse Dei, & eius essentia quæ est eius quidditas, & suum quod quid est.

Respondetur esse Dei posse duobus modis considerari; vno modo, absolute, quatenus est Dei essentia, & termi

nat quæstionem, quid est Dei, & ità sicut ignoramus Dei essentiam, etiã esse Dei ignoramus; alio modo, esse Dei considerari potest, quatenus quæstionẽ an est terminat, & huius propositionis, Deus est, veritatẽ fundat. Et ad argumẽtũ formaliter respõdendo asserimus primam propositionem absolutè falsam esse, non enim scimus de Deo absolutè an est; quoniam (vt assertum est) hoc est nobis ignotum, sicut & eius essentia, sed solum de Deo scimus, an sit, vt solummodo huius propositionis, Deus est, veritatem fundat, quæ propositio quæstionem an est terminat.

Deus non est in genere, secundum Aristotelis doctrinam.

Cap. 12.

EX declaratis, & declarandis facillimè ad aures Aristot. suademus, Deum non esse in genere tribus rationibus.

Prima ratio. Omne quod est in genere, habet esse distinctum ab essentia, hanc propositionem docet Aristotel. decimo Metaphysic. text. vigesimoquarto. Eo quoniam genus est quod de pluribus differentibus specie prædicatur, ex consequenti necesse est, illa quæ sunt sub genere differre inter se, & illa quæ sunt inter se diuersa, sunt vnum in generis natura, ait ibi Aristotel. Ex dicta propositione clarè deducitur; hæc alia propositio intenta: Omnia quæ sunt in genere, habent esse distinctum ab eius essentia, quæ ità deducitur. Quę sunt eadem realiter, non diuersificantur absque alio, sed essentia eorum, que sunt sub illo genere non diuersificantur, quia in genere conueniunt, & esse illorum diuersificatur; ergo quæ sunt in genere, habent essentiam ab esse distinctam. Prima propositio ex terminis nota est. Secunda autem, tota est ipsius Aristotel. vt assertum est, tunc subsumitur alia propositio; sed Deus non habet essentiam ab esse distinctam, vt ostensum fuit præcedenti capite: ergo Deus non est in genere.

Secunda ratio. Genus à potentia sumitur, & ideò in quocunquè est genus, in eo est potentia: hanc propositionem docet Aristotel. septimo Metaphysic. text. quadragesimotertio, & octauo Metapysic. text. sexto, nono, & decimo, vbi docet genus à materia sumi, & decimo Metaphyysico. text. vigesimoquarto, vbi docet generis naturam in hac, & illa specie per differentiam diuidi, ex quo sequitur genus per differentias determinari, omne autem quod determinabile est, & determinatur, est potentiale, vt docet duodecimo Metaphysic. text. vigesimooctauo, & vigesimonono, at in Deo nulla est potentia, vt assertum est; ergo Deus non est in genere.

Tertia ratio procedit ex tribus suppositis. Primum suppositum demonstratur ab Aristote. tertio Metaph. textu septimo, & est tale. Ens non est genus, quod ità probatur, genus non est de ratione differentiarum, nec differentiæ de generis ratione: at ens de omnium entium ratione est, & omnia entia sunt de ratione entis; ergo nullum ens potest esse entis differentia in communi; at omne genus differentias habet: ergo ens non potest esse genus. Secundum suppositum est conclusio præcedentis capitis, quæ est. Dei essentia esse Dei est. Tertium suppositum. Ens significat esse, & hoc fundamentum colligitur ex quarto Metaphysi. tex. secundo, quinto Metaphysi. text. decimotertio, sexto Metaph. tex. primo, & 7. Met. tex. 1.

Ex his fundamentis talis ratio formatur. Deus est suum esse ex secundo fundamento, sed ens significat formaliter esse, ex tertio fundamento; ergo ens de Deo prædicatur; ergo si Deus est in genere, ens erit genus, sed hoc est falsum, vt ex secundo fundamento

damento constat; ergo Deus non est in genere.

Et quoniam in genere esse, duobus modis contingit; vno modo, propriè, sicut species est sub genere; alio modo per reductionem, vt generis principia dicuntur esse in illo genere; sicut punctus, & vnitas dicuntur esse in genere quantitatis, qua de re aliquis posset asserere Deum non esse in genere primo modo, sed secundo modo ad au res Aristotel. quapropter, demonstratur etiam, Deum non esse, in genere per reductionem ad mentem Aristotel. Nam 12. Metà tex. 22. vsquè ad tex. 29. colligitur, omne principium in aliquo genere est tantum illius generis principium, sed Deus est totius entis principium, & non tantum alicuius generis, vt demonstrabitur in consideratione de creatione: ergo Deus etiam per reductionem, in genere minimè est.

Duo argumenta pulcherrima ex Arist. doctrina excerpta, sunt contra hanc veritatem.

Primum argumentum est hoc. Substantia est ens per se subsistens, simpliciterquè ens secundum Aristotel. quarto Metaph. tex. 2. & 7. Metaphys. tex. 3. At Deus secundum ipsum Aristotel. est primum ens, ex consequenti, est ens per se subsistens; ergo Deus est in genere substantię.

Ad hoc argumentum. Respondetur à D. Thom. primo contrà gent. capit. 25. circa finem, & prima part. q. 3. articu. 5. ad primum inficiando absolutè primam propositionem, quandoquidem ens per se non est de diffinitione seu ratione substantiæ, & ens non est de eius ratione, quia si ens, esset de ratione substantiæ, tunc in ipsa ratione poneretur tanquam genus, ens autem, vt probatum est de mente Aristot. non potest esse genus, sic nec per se subsistens est de substantiæ ratione; quoniam esse per se subsistens, nil aliud est, nisi id, quod non est in alio ex consequenti, dicit negationem, negatio autem non potest esse de ratione generis substantiæ, quæ est quoddam maximè positiuum. Ratio itaquè substantiæ, quæ est genus ista est. Substantia est res, cui esse debetur non in alio, ex consequenti esse re ipsa semouetur ab essentia.

Secundum argumentum. Secundum Arist. decimo Metaph. text. quarto, Mensura, & mensuratum sunt eiusdem proximi generis, longitudines enim per lõgitudinem mensurantur, & numeri per numerum; at secundum Auerroim decimo Metaph. text. Com. 7. Deus est omnium substantiarum mẽsura; ergo Deus est in genere substantiæ.

Respondet D. Thom. prima par. loco citato. Aristot. interpretando affirmans Aristo. intelligendum esse de mensura proportionata (hæc enim mensura cum mensurato eiusdem generis est) non autem esse intelligendum de mensura excedente, hæc namquè omne genus excedit, & talis mensura Deus est. Verum contrà hanc responsionem ità instatur. Auerroes, loco citato, asserit Deum esse omnium substantiarum mensuram, sicut primus numerus est omnium mensura numerorum; sed primus numerus est mensura proportionata, & homogænea omnium numerorum; ergo Deus est omnium substantiarum mensura proportionata, & homogænea. Respondetur substantiæ genus duobus modis sumi posse, Altero modo proprio, quod nil aliud est, quam substantiæ prædicamentum, & tunc negatur, Deum esse mensuram homogæneam prædicamenti substantiæ, nec Auerroes intellexit affirmare, Deum esse substantiæ homogæneam mensuram, & si ità intellexisset, in hoc minimè sustinendus esset: Altero modo potest sumi substantiæ genus modo extenso; pro coordinatione omnis substantiæ tam increatæ, quàm creatæ, & isto modo asserimus, Deum esse coordinationis substantialis homogæneam mensuram, potius quam ordinationis accidentalis: quoniam Deus est substantia, nulloquè modo, accidens, & hoc intellexit Auerroes,

cum hoc tamen Deus extrà genus substantiæ prædicamentalis est, & ideò Auerrois similitudo ita est intelligenda, sicut primus numerus est omnium numerorum homogenea mẽsura, ita Deus est substantialis coordinationis mensura homogenea, quæ tamen coordinatio substantialis non est quid vniuocum, sed analogum.

Deus nulla gaudet differentia, in doctrina Aristotelis.

Cap. 13.

DEum etiam nullam habere differentiam ad mentem Aristot. facillimè demonstratur ex ijs, quæ ab ipso traduntur 8. & 10. Meta. & ex ijs, quæ iam demonstrata sunt, ex quibus quinque colligimus rationes, pro tali cõclusione.

Prima ratio. Aris. 8. Met. tex. 10. docet differentiam ponere rẽ cuius est dñia in genere determinato, sicut vnitas numero addita numerum variat, ipsumquè ponit ĩ specie determinata, in genereq; determinato, at vt probatum est in capite præcedenti Deus non est in genere; ergo Deus nullam habet differentiam.

Secunda. Nil est in actu nisi vltimam suam habeat differentiam per quam in esse actualis existẽtiæ constituitur. Hęc propositio habetur 12. Met. tex. 24. vnde etiam asseritur à Porphyrio, in diffinitione differẽtię. Dñia est quæ conducit ad esse rei; ergo si Deus differẽtiã habet, non erit in actu, nisi per differentiam; at Dei essentia est esse Dei, vt iam demonstratum est; ergo etiam Dei essentia, non erit in actu essentiali, nisi per differentiam; ergo Deus nequè erit ens per se necessarium respectu essentiæ, nequè respectu existentiæ quod est summè falsum.

Tertia. Differentia est rei, cuius est differentia constitutiua, vt docetur 10. Met. tex. 23. & ideo, eò loci, asserit, speciem constitui ex genere, & differentia. hoc etiam docetur 8. Met. tex. 5. at Deus vt compertissimum est, ex assertis, nullum habet constitutiuum, cum sit primum ens per se; ergo differentiam nequaquam habet.

Quarta. Per tex. 24. 10. Met. Differentia comparatur ad id cuius est differentia, sicut actus ad potentiam, & ideò illud quod differentiam habet, se habet per modum potentiæ, sed in Deo nulla est potentia, vt iam demonstratum est: ergo in Deo nulla differentia est.

Quinta ratio. Illud per quod res consequitur esse in actu, est rei intrinsecũ, & est vel tota rei essentia, vel eius pars, hanc docet Arist. 8. Met. text. 8. nam si res composita est, est forma per quam res in actu existit, quæ est pars; si autem res illa est simplex, tota essentia est ratio, vt res sit in actu. Sed differentia est res per quam res in actu est, & est rei intrinseca. 8. Met. tex. 5. & 6. & textib. superius adductis; ergo differẽtia, vel erit pars, vel tota rei essentia: ergo si differentia est esse diuino addita, erit vel pars essentiæ, vel tota essentia, sed additum esse diuino, nõ potest esse tota Dei essentia; quia esse diuinum, vt ostensum est, est diuina essẽtia, nil autẽ additur sibiipsi. Erit ergo hæc differentia addita diuinæ essentiæ pars; ergo & Deus esset compositus ex partibus essentialibus, hoc autem superius ad aures Aristo. improbatum fuit.

Ex assertis in hoc capite, & in præcedenti duo colliguntur. Alterum est, Deum non habere diffinitionem ad mẽtem Aris. cum diffinitio ex genere, & differẽtia constet, vt in topicis docuit; Alterum est, Deum non posse demonstrari, nisi per effectum, cum medium in demonstratio ne sit diffinitio, vt docuit secundo Post.

Nul-

Nullum accidens est in Deo, ad mentem Aristotel.

Cap. 14.

VT narrat Auerroes, duodecimo Metaph. Commento 39. fuerunt quidam Sarraceni, decantantes, in Deo, quædam inueniri accidentia, reipsa à Dei essentia remota, quæ appellabantur intentiones: quapropter, vt hunc errorem esse contrà Aristot. doctrinam, nedum contrà veritatem, ostendamus, tribus rationibus demonstrandum est nullum accidens esse in Deo ad ipsius mentem.

Prima ratio. Docet Aristo 7. Metap. tex. 32 subiectum ad suum accidens cōparatum, potentiæ rationem habere, sed in Deo nulla est potentia, vt iam probatum est, & declaratur duodecimo Met. tex. 37. & quinquagesimoprimo, ergo in Deo &c.

Secunda ratio. Septimo Metap. tex. 4. & 46. Arist. docet primam substantiam sine omni accidente propter suam perfectionem reperiri, quia est simpliciter ens, sed Deus est prima substantia, primumque ens, vt demonstratum est; ergo in Deo nullum accidens inuenitur.

Tertia ratio. Actus est potentia perfectior secundum Arist. 9. Met. text. 15. & 12 Met. tex. 32. sed accidens est actus respectu potentiæ, vt nunc ostensum est: ergo accidens erit diuina essentia perfectior, si in ipsa inuenitur, hoc autem est impossibile; quoniam tunc diuina essentia, non esset omnino perfecta, nam acciperet ab alio perfectionem, vt colligit Aristotel. duodecimo Metaphysic. text. 39.

Contrà hanc veritatem, duo sunt argumenta præcipua. Primum hoc est. Secundum Arist. primo Phys. substantia nulli est accidens, ex consequenti, quod est accidens in vno, erit etiam in alio accidens, sed sapientia, virtus, & id genus &c. in nobis accidentia sunt: ergo & in Deo accidentia erunt, si in Deo reperiūtur, sed de facto ista in Deo sunt: ergo in Deo accidentia sunt.

Respondetur, auctoritatē Arist. esse intelligendam in vniuocis, id est quæ in pluribus inuenta sunt vniuoca, tunc vniuocum, quod in vno substantia est, in alio accidens esse non potest, sed tunc negatur minor subsumenda; quoniam sapientiæ virtus, & ea omnia, quæ de Deo, & de creaturis prædicantur non vniuocè, sed analogicè prædicantur.

Secundum argumentum. In quolibet genere est vnum primum, at multa sunt accidentium genera; si ergo prima accidentiū genera non sunt in Deo, erunt multa prima extrà Deum, hoc autem est falsum, & contrà Aristo. vltimo tex. Met. asserentem vnum esse Principem.

Respondetur primò principia prima generum accidentium in principia substantiæ reduci, sicut in priora. Secundo asserimus, primum esse in duplici ordine; Alterum in genere, minimèque inconueniens est, esse plura principia in genere, sicut sunt decem Prædicamenta, cum quodlibet prædicamentum appelletur primum principium, vt Porphyrius in prędicabilibus affirmat; Alterum est primum principium extrà omne genus, & tale est tantum vnū, & hoc modo intellexit Aristot. loco citato.

Nulla compositio in Deo reperitur, secundum Aristotel.

Cap. 15.

EX præmissis de facili demonstrari potest nullam compositionem in Deo inueniri. Hæcquè veritas, quatuor rationibus demonstratur.

Prima ratio. In omni composito inuenitur aliquid, quod se habet

per modum actus, & aliquid per modū potentiæ; quoniam plura non possunt vnum per se fieri, nisi vnum eorum actus rationem habeat, & aliud potentiæ rationem: hanc doctrinam, vt superius dictum est, docet Aristotel. octauo Metaphysicor. text. decimosexto, sed vt demonstratum est, in Deo nihil potentialitatis reperitur; ergo in Deo nulla est compositio.

Secunda ratio. Secundum Aristotel. septimo Metaphys. text. trigesimoquinto. Compositum est componentibus posterius, sed Deo nihil est prius, cùm sit primum ens, & primum omnium principium, vt superius ostensum est; ergo Deus non potest esse compositus.

Tertia ratio. Docet Aristotel. octauo Metaphysico. text. decimosexto, omne compositum habere causam componibilia in vnum adunantem, sed Deus nullam habet causam; ergo & cæt.

Quarta ratio. Omnis compositio est, vel ex partibus quantitatiuis, vel ex materia & forma, vel ex natura & supposito, vel ex esse & essentia, vel ex genere & differentia, vel ex subiecto & accidente; at nullo istorum modorum compositio in Deo reperitur; vt suprà ostensum est ad mentem Aristotel. ergo nulla compositio in Deo reperitur; ergo &c.

Contra hanc veritatem est tale argumentum. Omne quod melius est, Deo attribuendum est, secundum Aristote. duodecimo Metaphys. text. quinquagesimoprimo, at composita sunt ipsius simplicibus nobiliora, vt intueri licet apud nos, corpora enim mixta sunt ipsis elementis nobiliora; ergo & cæt.

Respondemus inficiando vniuersaliter minorem, licet apud nos uera sit, quoniam perfectio bonitatis creaturæ, non reperitur in vno simplici, sed in multis; nam subsistere est in compositis, simplicitas autem in partibus, diuinæ autem bonitatis præfectio in vno simplicissimo Deo inuenitur.

Deus non est materia, secundum Aristotelis doctrinam.

Cap. 16.

CVm exploratum sit, Deum nullam in se habere compositionem, operæ precium est perspicere Deum in aliorum compositionem nequaquam venire, quemadmodum materia & forma, in aliorum veniunt compositionem, & primo demonstrandum est, Deum nequaquam esse materiam, & hoc tribus rationibus ad mentem Arist.

Prima ratio. Secundum Aristotel. secundo Physicor. text. septuagesimo. Nullum agens est sui effectus materia quia vt eò loci docetur, agens nullo modo cum materia coincidit; at Deus vt ostensum fuit, & etiam in sequentibus ostendetur, est primum, & vniuersalissimum agens; ergo Deus non coincidit cum materia sui effectus, at omnis effectus materiam habens est Dei effectus; ergo Deus non potest esse materia.

Secunda ratio. Secundum Aristotel. vbiquè locorum. Materia est pura potentia, vt constat ex primo Physicor. text. septuagesimooctauo septuagesimonono, & octuagemosisecundo, & secundo de Anima text. secundo, & septimo Metaphysicor. text. vigesimosecundo, & octauo Metaphysicor. text. tertio, & decimosexto; at Deus est purissimus actus, vt ostensum est; ergo Deus minimè est materia.

Tertia ratio. Materia non est rei causa, nisi secundum quod alteratur, & mutatur, secundum Aristotel. primo Physico. text. octuagesimoprimo, & octuagesimosecundo, & septimo Met-

Meth.tex.29. sed Deus non est aliquomō alterabilis, vel mutabilis: ergo Deus non est materia.

Hinc constat insania Dauidis, de Diuinato asserentis Deum esse primam materiam, & summa facilitate, ad suum argumentum respondetur quod tale est. Omnia quæ sunt, nulloquè modo differunt, sunt idem: at Deus, & materia prima sunt, nulloquè pacto, differunt: ergo sunt idem. Maior nota, minor ita suadetur. Quæcunque differunt, aliquibus differunt differentijs vnde necesse est, ipsa esse composita, sed Deus, & prima materia minimè composita sunt verum omninò simplicia sunt: ergo non differunt: ergo sunt idem. Respondemus, ex doctrina Aris 10. meth. tex. duodecimo asserentis, aliud esse, aliqua esse differentia, & aliud, aliqua esse diuersa, & duobus modis distinguuntur. Vno modo, quia differentia in specie, vel in genere côueniunt, diuersa autem, nequè in specie, nequè in genere conueniunt. Secundò distinguuntur, quia differentia aliqbus differẽtiis, differunt, ac per hoc aliquo modo, composita sunt, saltem ex esse, & essentia: diuersa autem, se ipsis diuersa sunt; non autem aliquo alio sunt diuersa, & ideò, ad argumentum bifariam respondemus. Primò dicimus maiorem esse vniuersaliter falsam propriè sumendo, differre, & esse diuersum: nā quæ propriè sunt diuersa, non propriè differunt, & tamen quæ sunt diuersa non sunt idem, falsa itaquè est vniuersaliter maior propositio propriè loquēdo. Secundò autumamus: si differre sumatur, vt se extendit ad diuersum esse negatur minor propriè, nā Deus, & materia prima sunt diuersa, propriè loquendo licet non propriè differant, & ad probationem negatur diuersa, esse aliquo alio diuersa: sunt enim seipsis diuersa.

Deus non est forma de mente Aristot. *Cap.* 17.

SVbindè ostendendum est Deum nō esse alicuius rei formam ad aures Arist. & hoc quatuor rationibus.

Prima ratio. Partes ad totum compositum comparantur, sicut potentię ad actum, secundum Arist. secundo physic. tex. 31 & 5. meth. tex. 31 licet forma in comparatione formæ ad materiam sit actus, at in Deo nulla est potentialitas: ergo Deus non est forma.

Secunda ratio. Per Arist. quinto met. tex. 31. omnis pars habet esse in alio, nō autem habet esse in seipsa, sed Deus habet esse per se, cum sit primum ens, vt patet quasi per totam meth. ergo Deus non est forma.

Tertia ratio. Secundum Aris. 2. de anima tex 7. forma corporis, non est ipsum esse, sed essendi principiū, sed Deus est ipsum esse, vt patet ex superioribus: ergo non est forma.

Quarta ratio. Forma pars est cōpositi, vt constat ex supradictis, secundum Arist. sed Deus, (vt demonstratum est capit. 5.) non est alicuius pars: ergo &c.

Ex his excluditur error Zabionum Idolatratum, affirmantium Deum esse animam cœli: ideircò cœlum esse adorandum. Dequo errore meminit Auerr. 10. meth. Comm. 41.

Deus non est omnium rerum forma le principium in Arist. doctrina. *Cap.* 18.

EX quibus etiam facile possumus demostrare, ad mentem Aristo. Deum minimè esse omnium rerum forma le principium. Hęc veritas quinquè ostēditur rationibus.

Prima rō. Docet Aris. 5. met tex. 1. principiū esse naturaliter prius principiato, sed agens, & forma, sunt cuiuscunque rei generatæ principia: ergo agens, & forma esse rei generatæ sunt priusquā esse rei gñratæ; sed nil est prius Deo naturaliter secundum Arist. in superioribus: ergo Deus nō potest esse rerū generatarū

forma-

formale principium: ergo nec esse principium formale omnium. Minor propositio, quæ est: Agens, & forma sunt principia cuiuscunque rei generatæ, ostenditur. Et primò de agente constat ex Aristo. secundo phys. tex. 29. 5. meth. text. secundo, & quarto meth. text. 22. & 24. De forma autem secundo phys. text. 28. secundo de anima tex. secundo, 5. met. tex. 2.

Secunda ratio. Quod multis cõmune est, non est aliquid reipsa ab illis separatum, nec reipsa ab illis distinctum, sed solum est aliquid secundum rationem separatum, & distinctum. Hæc veritas habetur ab Aristotele in prædicamentis affirmante, destructis primis substãtijs, esse impossibile aliquid remanere, & primo de anima text. 8. vbi ait, *vniuersale, aut nihil esse, aut posterius, singulari*. Et Arist. in tota sua doctrina nititur distruere opinionem Platonis, asserentis dari vniuersalia separata, quæ ideas vocabat, sed præcipuè septimo meth. per totum, & præcipuè tex. 51. & 52. & duodecimo meth. text. 15. si ergo Deus est esse vniuersale, formale, omnium rerum, nihil erit secundum rem à rebus singularibus separatum; ac per hoc, Deus non esset aliquid reale, ab ipsis singularibus, secundum rem distinctum, sed tantum esset aliquid secũdum rationem; hoc autem falsissimum est, & contra Aristot. asserentem, duodecimo meth. tex. 39 & sequentibus, Deum esse ens realissimum, & perfectissimum.

Tertia ratio. Docet Arist. quintó physic tex. 7. 8. & 9. generationem esse viam de non esse, in esse; & corruptionem esse viam de esse in non esse, & rationem huius assignat secundo phy. tex. 70. quoniam forma est generationis finis, & per generationem forma, quæ dat esse, acquiritur, & per corruptionem, ex qua esse desinit, forma deperditur. Si ergo Deus esset omnium esse formale, tunc Deus per generationem inciperet esse, & per corruptionem esse desineret; hoc autem falsissimum est, Aristotelisquè doctrinæ repugnans, docentis in 8. phys. et duodecimo meth. Deum esse æternum, ingenerabilem, & incorruptibilem.

Quarta ratio. Esse entis creati diuiditur per esse substantiale, & per esse accidẽtale, quod totũ esse in prædicamento substantiæ, & accidẽtis, saltẽ reductiuè, reponit, vt superius demõstratũ est, & ab Arist. explicatũ 12. met. à tex. 19. vsq; ad tex. 29 sed Deus non est in genere, secũdum Arist. vt supra ostensum est, ergo Deus non potest esse formale esse omnium.

Quinta ratio Esse diuinũ est æternũ: ergo si esse Dei est omnium esse formale, esse cuiuscunquè rei est æternum: ergo non datur generatio, & corruptio. Antecedẽs notissimũ est in Arist. doctrina. Prima consequentia ita deducitur, apertè esse Dei est æternum, sed esse cuiuscunquè rei est esse Dei: ergo esse cuiuscunquè rei est æternum. Secunda cõsequentia ita suadetur. Si datur generatio, necesse est, vt per generationẽ, illud esse Dei æternum de nouo acquiratur: aut ergo acquiritur alicui prius existenti, aut alicui non prius existenti. Si esse Dei æternum acquiritur alicui prius existenti: ergo illa res prius existens non accipit de nouo esse absolutè, cũ prius existeret, sed solummodo nouum modũ accipit: ergo illa res non generatur, sed alteratur. Consequentia ista probatur; qm̃ per generationem, res simpliciter, & absolutè, esse accipit, ex quinto phys. tex. 7. si autẽ esse Dei ęternũ, alicui nõ prius existenti, acquiratur: ergo generatio ex nihilo fiet, hoc autẽ repugnat rationi generationis, ex primo phys. & ex 7. met. quibus in locis docetur generationẽ, ex subiecta materia fieri.

Contra hanc veritatẽ sunt tria argumẽta Primũ est tale. Id quod est cõe specificatur, & indiuiduatur per additionẽ, ex cõsequenti remanet cõe: qm̃ absque alia additione consideratur; sed ipsi esse diuino, nulla potest fieri additio: ergo esse diuinum est cõe: ergo in omnib. rebus reperitur, tamquàm quoddã principium formale commune.

Re-

Respondemus. Ponendo primò vnā conuenientiam,& duas differentias inter esse diuinū,& esse cōe. Conueniunt quidem in hoc vno,quod vtrūquè nihil additum habet: Nā esse diuino, nihil additur; qm̄ omnia, quæ sunt in Deo, sunt Dei esse, similiter esse cōe, ut sic, nihil habet additū per quod limitetur. Differunt aūt primo. Qm̄ esse diuinū, in rerum natura existit ab omni alia re semotum, absq; quacumq; additione, esse autem cōe (sicut, & vniuersalia) non existit in rerum natura à suis inferiorib. separatum; nequè existit absquè additione, verum secundum rem additionem habet, semper ipsum contrahentem, & limitā té, sed solum in cognitione absquè limitatione, & additione cōsideratur. Secundò differunt, quia esse diuinum non solum, nō habet in se additionem, verum, nec etiam habet vt in alio recipi possit; esse autem cōe in alio recipitur, cum in naturis medijs differentijs materialibus recipiatur. Tunc ad argumētum formaliter respōdendo, affirmamus primā propositionem intelligendam esse, eo modo, quo nunc explanatum est: qua ità intellecta, minor propositio negatur, vt iā declaratum est.

Secundum argumentum. Id, in quod vltimo res resoluitur, est esse simplicissimum, sed Deus est simplicissimus: ergo Deus est esse rerum, quæ in simplicissimum resoluuntur

Respondemus. Diuersissimum esse, et in infinitū distare, esse Dei, & esse creaturarum: qm̄ propriè loquendo, esse rerum simplicissimum, in quod vltimò resoluuntur, non est res completa, sed aliquid rei, esse autē Dei est maxima res per se subsistens.

Tertium argm̄. Dicimus Deum esse in omnibus rebus; sed esse rerum formale est in rebus. Respondetur diuersissimè, Deum esse in rebus, & esse rerum formale in ipsis reperiri: nam esse formale, est in rebus, tamquā aliquid rei, Deus autem est in rebus: sicut causa rei est in re, quæ nullo modo suo effectui deest.

DE PERFECTIONE, & bonitate Dei. Secundum Aristotelem.

Deus est Optimus, nedum perfectus, secundum Aristotelem.

Cap. 19.

NVlli dubium est, facillimè ex Arist. doctrina, multis rationib. ad mentem ipsius Deum esse Optimum, nedum perfectum, posse ostendi, quæ ad sex rationes reducuntur.

Prima ratio. De mente Arist. duodecimo meth. textu trigesimoseptimo, sicut mouentia, & mota suam habent ordinationem, ità intelligibilia, suam coordinationem habēt, quę coordinatio, in hoc consistit, vt mouentis, & moti coordinatio se habeat, vt inter mouentia, & mota, vnum primū mouēs datur, quod est causa, vt omnia alia moueant, & intelligibiliū coordinatio talis est. Primum intelligens est causa, vt alia intelligant, qua de re, datur vnum primum intelligēs, & intelligibile, verùm hoc primum intelligens, & intelligibile est substantia simplex purusquè actus, non autem est accidens, vel substantia composita, aut substantia in potentia; quoniam substantia est accidente prior, & simplicia in compositorum intellectu clauduntur, & actus est prior cognitione potentia, cum potentia, per actum diffiniatur: ergo primum intelligibile est substantia simplex, purusquè actus: at Deus est primum intelligibile, vt demonstratum est duodecimo methaphysicę textu trigesimosexto: ergo Deus est simplex substantia, quæ est actus purus, nullam habens potentiam admixtam, ex cōsequenti est maximè ī actu: ergo est quid optimum.

Vlti-

Vltima consequentia probatur: quoniã vnumquodquè intantum est perfectũ inquantum in actu est, vt demonstratur nono meth. tex. 15. & 16. ergo maximè in actu est maximè perfectum, & optimum, cuiusmodi est Deus.

Secunda ratio desumitur formata ab Arist. in eodem tex. 36. hunc in modũ. Primum appetibile est perfectum, & optimum, sed Deus est primum appetibile; ergo Deus est perfectus, & optimus. Prima propositio ità ab ipso probatur. Primum intelligibile, & primum appetibile sibi proportionaliter correspondent, immò primum intelligibile est primum appetibile, sed primum intelligibile est perfectum, & optimum, ergo primum appetibile est perfectum, & optimum: cum itaquè Deus sit primum appetibile, est optimus, nedũ perfectus.

Tertia ratio colligitur ab Arist. duodecimo meth. tex. 38. & est talis. Quod mouet omnia vt finis est optimum. Hãc propositionem demonstrauit secundo phys. tex. 31. vbi docet, finem optimi rationem habere: at Deus mouet omnia vt finis, cum moueat, vt appetibile: ergo Deus est opt. nedum perfectus.

Quarta ratio est Aristot. duodecimo meth. tex. 39. quæ ita formatur. Bonum intelligibile est sensibili bono magis pfectum; ergo maximè intelligibile est maximè perfectum: at Deus est maximè intelligibilis: ergo Deus est maximè perfectus.

Quinta ratio formatur ab Arist. præfato tex. 39. probante hoc modo hanc veritatem. Actus intellectus, qui est intelligere, vita quædam est, & est perfectissimum illud, quod est vita, sed Deus est ipse actus intellectus; quoniam Deus est purissimus actus, vt docetur text. 37. ac per hoc, qdquid est in Deo, est Deus: ergo Deus perfectissimus est.

Sexta ratio desumitur ab Aristot. 10. met. tex. 13. & 14. & est talis. Maximum idem est quod perfectum, vt probatur ab Arist. textibus nunc citatis; quoniam maximũ est qd non exceditur, & perfectum est extrà quod non potest aliquid accipi; sed Deus est maximum ens, cum sit primum ens, vt superius probatũ est: ergo Deus est optimus, seu maximus nedum perfectus.

Pythagorici apud Aristo. duodecimo meth. tex. 40. nitebantur ostendere, Deũ esse imperfectum, ità arguentes. Principia rerum sunt imperfecta, vt apparet in semine animaliũ, & plantarũ, quod quidem semen est imperfectum respectu animalium, & plantarum; at Deus est primum rerum principiũ: ergo Deus est imperfectus.

Respondet Arist. eo loci, primo inficiando primam propositionem vniuersaliter, & absolutè loquendo, tàm de principijs primis, quàm secundarijs. Secundò si prima propositio de principijs primis intelligatur, falsissima est, & sua probatio est nulla; quoniã assumit principia non prima; ex consequenti illa propositio probatur de principijs non primis, quod gratis conceditur: attamen hoc imperfectum principiũ ab alio perfecto, præceditur; quoniam semen, licet sit principium animalis, ex semine generati, verũtamen, habet ante animal, vel plantam, vnde deciditur.

Secundò potest ità argui. Deus est suum esse, vt supra demonstratum est, sed esse omnium imperfectissimum apparet, cum sit communissimum, omniũ additiones recipiens: ergo Deus est imperfectus.

Respondetur secundam negãdo propositionem, & ad probationem negatur omne esse communissimum, omnium additiones recipere: Pro cuius itellectu considerandum est, esse commune, esse in duplici discrimine, quoddam est cõmune per modum potentiæ, huiusmodi què communitas, in recipere additiones, & perfectiones consistit, & ita esse communissimum est imperfectissimũ; & hoc modo esse Dei non est commune, aliud autem commune est per modũ actus, & ista communitas non consistit in recipere, sed in recipi, sicut actus à potentia recipitur, & hoc modo, esse est com-

communissimum, vnde comparatur ad omnia, vt receptum ad recipientia, & vt actus ad potentiam, & hoc modo cōmunissimum est perfectissimum, quo pacto esse communissimum per modū actus prædicatur de Deo, & de creaturis analogicè.

In Deo sunt omnium rerum perfectiones, ad aures Aristotelis.

Cap. 20.

EX quibus possumus etiam demonstrare, in Deo esse omnium rerum perfectiones; quod assertum quadrifariā suadetur ad mentem Arist.

Primò docet Aristo. secundo methap. tex. quarto. Vnumquodquè, quod est aliorum causa, esse maximè tale, hoc est, cōtinet modo perfectiori, quidquid perfectionis, in omnibus eius effectibus cōtinetur: at Deus est omnium rerum causa, & totius perfectionis creatæ, vt demonstrabitur in materia de creatione, & hoc ostenditur in particulari etiam duodecimo meth. tex. trigesimo octauo: ergo in Deo sunt rerum omnium perfectiones.

Secundò ostendit Aristoteles quinto metha. text. vigesimoprimo, capite de perfecto, illud esse summè perfectū, & omnium rerum perfectiones continens, quod à nullo in bonitate exceditur, nec exteriori indiget bonitate: at Deus à nullo in bonitate exceditur, nec exteriori indiget bonitate, vnde appellatur optimus, quia à nullo in bonitate exceditur, vt colligitur duodecimo meth. tex. trigesimo septimo, trigesimo octauo, & trigesimo nono, & quia exteriori bonitate non indiget, dicitur tex. trigesimooctauo. Cœlum, & naturam ab ipso pendere: ergo in Deo sunt rerum omnium perfectiones.

Tertiò secundum ipsum Aristote. decimo methaph. textu septimo. In vnoquoquè genere, est aliquid perfectissimum in illo genere, quod est omnium aliorum mensura, quandoquidem ex eo demonstratur quid sit magis, & minus perfectum: nam vnumquodquè quantò magis ad ipsum accedit, tantò est magis perfectum, & quantò minus accedit, tanto est minus perfectum; sicut in genere colorum, quia color albus est colorum perfectissimus, quantò aliquis magis ad album accedit, tantò est magis perfectus: ergo etiam: (ait ipse Aristot. eo loci) in genere substantię, primum in illo genere est perfectissimum, omniumquè substantiarum mensura est, sed Deus secundum mentem ipsius est ista prima substantia, vt concludit in vltimo text. methap. dicens: vnus ergo Princeps: ergo Deus est perfectissimus, rerum omnium perfectiones continens.

Quarto. Hæc veritas probatur per omnes rationes, in capite præcedenti adductas, Deum esse optimum demonstrantes, nam demonstrant, non solum Deum esse perfectum, sed etiam perfectissimum, & optimum, ex consequenti necesse est, quidquid perfectionis in omnibus creatis reperitur, etiam in Deo modo perfectiori inueniri.

Contra hanc veritatem ita arguitur. Secundum Aristotelem, vt apparet ex prima ratione capitis præcedētis. Deus est oīnò simplex, sed rerum perfectiones sunt multæ, & diuersæ: ergo in Deo non sunt rerum omnium perfectiones.

Respondetur negando consequentiam; quoniam Deus vnus existens, & simplicissimus, vt omnium causa, præhabet diuersa, & propterea absquè suę simplicitatis detrimento, sicut etiā Sol, qui in perfectione, distat à Deo in infinitum, præhabet substantias, qualitatesquè multas, & diuersas omnium sensibilium generabilium.

Perfectiones in Deo reipsa minimè distinguūtur ab essentia Dei, neque inter se de mente Aristotelis. Cap. 21.

LIcet in Deo sint rerum omniū perfectiones, attamen secundum Arist. nedum secundum veritatem minimè, reipsa inter se distinguūtur, verùm sunt vnum, & idem in Deo, hæcquè sententia colligitur præsertim ex quinquè locis doctrinæ Arist.

Primus locus est text. 39. duodecimi met. vbi asserit Deum esse suum actum, sed omnes perfectiones sunt actus; cum perfectum aliquid sit, quando actu habet quod habere debet, secundum Aristo. quinto meth. text. 21. vbi perfectum ità diffinitur. *Perfectum est extra quod aliquam eius particulam non est accipere.* Deus itàquè est omnis sua perfectio.

Secundus locus est tex. 16. 8. met. vbi docet, plura in vno non posse per se vniri, nisi vnū habeat potētię rōnē, aliud vero rōnē actus, vt supra ēt tactū fuit: si ergo perfectiones inter se distinguūtur, vna actus rationem habebit, alia vero potentię rationem, ac per hoc Deus aliquid potētialitatis in se habebit: sed hoc sententiæ Arist. repugnat, vt manifestū est ex dictis, & etiam hoc docet duodecimo met. tex. 35. 37. & 39. ergo quidqd est in Deo est Deus.

Tertius locus est tex. 35. 7. meth. vbi habetur, Compositum esse componentibus posterius: si ergo in Deo suæ perfectiones essent distinctę tum inter se, tum ab essentia Dei, tunc Deus esset compositus ex illis accidentibus: ergo illud diuinum cōpositum esset quid posterius; hoc autem est falsum, tum secūdum se, tum secundum Aristo. doctrinam; quoniam Deus est primum ens, & omne quod est in Deo nō habet aliquid prius, vt superius ostensum est.

Quartus locus est tex 16. 8. metha. vbi habetur, omne compositum habere causam, ipsa componibilia, inter se adunantem: sed in Deo nil est causalitatis, vt compertū est ex superioribus: ergo in Deo, nihil compositionis reperitur: ergo in Deo suæ perfectiones non distinguuntur, nec inter se, nec ab ipso Deo, consequentia probatur, quia tūc aliqua cōpositio in Deo esset, quod supra fuit improbatum.

Quintus locus est tex. 24. decimi metha. vbi docetur omnē distinctionem actualem ex rei natura fundari suprà actuali oppositione ex rei natura, sed inter Deum, & suas perfectiones nulla reperitur oppositio ex natura rei: ergo Dei perfectiones nō distinguuntur inter se, nec à Deo ex natura rei. Secunda propositio suadetur inductiuè ad aures Arist. & primo in Deo, non esse oppositionem cōtradictoriam, & priuatiuam apparet ex hoc: quoniam semper alterum membrum, tàm oppositionis contradictoriæ, quàm priuatiuę negationis rōnē semper habet secundum Aristo. in Post prædicamentis, sed in Deo cum sit perfectissimus, non potest esse negationis ratio, quæ imperfectionem præsefert: ergo in Deo, non est oppositio, vel contradictoria, vel priuatiua. Nec etiam reperitur contraria oppositio, quandoquidem contraria sic se habent, vt alterum contrariorum defectiui rationem habeat iuxta 10. metha. tex. 16. sed in Deo, non potest esse aliquis defectus, cum sit optimus: ergo in Deo, non potest contraria oppositio inueniri: Itidem nec oppositio relatiua, secundum Aristot. in Deo reperitur; quoniam relatiua oppositio, secundum ipsum in Postprædicamētis capite de oppositis, est eorum, quorū esse est ad aliud; at diuinæ perfectiones, secundum Arist. sunt res absolutæ, vt constat de bonitate de sapientia, de intelligentia, & ità de alijs ab ipso duodecimo methaphic. annumeratis: ergo &c.

Contra istam veritatem, talis instantia potest fieri. Si in Deo perfectiones minimè sunt distinctæ: ergo in Deo tantum vna realis perfectio erit. Hoc autem videtur falsum.

Re-

Respondetur negando consequentis falsitatem, immò in Deo est tantum vna perfectio realis, quæ est Deitas, & infinita perfectio, rerum omnium creatarum, & creabilium omnes præhabens perfectiones.

Deus est bonus, ad mentem Arist. *Cap.* 22.

EX prædictis de facili demonstramus Deum esse bonum multis rationibus, ad mentem Arist. quę reducuntur ad quinquè.

Prima ratio desumitur ex secundo Ethicorum lect. 6. D. Thom. *Virtus vniuscuiusquè rei, est quæ eius opus reddit bonum, & virtus est, quę bonum facit habentem, opusquè eius bonum reddit*, ex quibus verbis Aristotelicis, talis formatur propositio: virtus rei est id quo vnumquodquè bonum est, sed vnumquodq; perfectum est, quando propriam attingit virtutem, vt dicitur septimo physic. tex. 18. ergo omne perfectum est bonū; sed Deus vt probatum est ad aures Aristo. est perfectus, immò perfectissimus: ergo Deus est bonus.

Secunda scribitur primo Eth. cap. 1. *Bonum est, quod omnia appetunt*, ex consequenti primum appetibile, est primū verum bonum: at Deus est primum appetibile, vt docetur duodecimo meth. tex. 36. ergo Deus est bonus, & primum bonum.

Tertio. Ens actu, est bonum, vt demōstrat Arist. nono meth. tex. 19. quoniam per actus priuationem, potentia malū consequitur, quod bono oppositum est: ergo actus est quoddam bonū: at Deus (vt ex pręcedentibus conspicuum est) est in actu: ergo Deus est bonus, immò maximè bonus.

Quarta rō cōstituitur ex vno supposito, quod est tale. Communicatio esse bonitatis prouenit, ex producentis bonitate, quod duobus modis suadetur. Primò affirmat Arist. 4. metheo. text. 18. signū perfectionis alicuius, (ex consequenti bonitatis; quoniam vt ex prima ratione patet, omne perfectum, est bonum) est posse sibi simile producere: ergo productio, seu communicatio esse, & bonitatis ex producentis bonitate procedit. Secundò sic. Finis mouet agentem, ad agēdum, vt docetur secundo phys. tex. 29. & 5. meth. tex. 2. sed bonum finis rationem habet, cum, vt assertum fuit in secunda ratione, bonum sit, quod omnia appetūt tamquam finem: ergo finis mouet agentem, ad agendum.

Ex isto fundamento ità conclusio demōstratur. Communicatio esse, & bonitatis ex producētis bonitate, emanat: at Deus, vt determinabimus infrà, ad aures Arist. est totius esse, & bonitatis causa; ergo Deus est bonus.

Quinta ratio desumitur ex auctoritate Arist. expressè concludentis duodecimo meth. tex. 52. *Deum esse extrinsecum vniuersi bonum, sicut Dux est bonū exercitus extrinsecum.*

Contrà hanc veritatem, est tale argumentum. Bonum est quod omnia appetunt, sed Deum non omnia appetunt: ergo Deus non est bonus. Minor ità suadetur. Nihil appetitur nisi quod cognoscitur, sed non omnia Deum cognoscunt: ergo non omnia Deum appetunt.

Respondetur inficiando minorem, & ad probationem asserimus, illam propositionem, nil appetitur, nisi quod cognoscitur, esse intelligendam, vt illud, quod appetitur necesse sit, vt cognoscatur, vel ab appetēte, vel à superiori appetentē dirigente, & ita omnia Deum appetunt, & ipsum Deum cognoscunt, vel ipsa Deum appetentia, vel superius appetentia dirigens, & pro maiori huius responsionis claritate, sciendum est, omnia proprias appetēdo perfectiones, appetunt etiam Deum, quatenus rerū omnium perfectiones sunt quædam diuini esse similitudines. & tribus modis contingit entia Deum appetere: nam Primò quędam Deum appetunt; quoniam ipsum cognoscunt secundum seipsum, & iste est modus creaturæ rationalis proprius. Secundò quædam appetunt Deū

non

non quia cognoscant Deum secundum se, ac per hoc, nec Deum secundum se appetunt, sed quia aliquas, suæ bonitatis perfectiones cognitione sensitiua cognoscunt, ex consequenti, dicuntur appetere Deum in quantum proprias perfectiones, quæ sunt diuini esse similitudines appetunt, & iste est modus appetendi Deum animalibus conueniens. Tertiò modo, quædam naturali appetitu Deum appetunt, absquè alia cognitione, inquantum inclinata sunt ad suos effectus, ab alio superiori cognoscente.

Deus est summum bonum, secundum Aristotelem.

Cap. 23.

CVm summum bonum, secundum Arist. quinto meth. tex. vndecimo, duobus modis dici possit. Vno modo in genere, et est illud, quod cætera in illo ordine excedit, sicut fecilitas dicitur summum bonum humanum, cum omnia humana bona excedat. Alio modo aliquid dicitur summum bonum simpliciter, & hoc est quod in tota entium latitudine est supremum: idcircò ostendendum est ad aures Aristo. Deum esse summum bonum simpliciter; hocq; tribus rationibus ex eius doctrina desumptis demonstratur.

Prima ratio. Docet Arist. duodecimo meth. tex. 7. 38. & 39. Deum esse optimũ respectu omnium: ergo Deus excedit, & omnibus in bonitate præstat: ergo est summum bonum simpliciter. Consequẽtiæ ex terminis sunt patentes, cum de summi boni simpliciter ratione sit, in bonitate omnia excedere, & de optimi ratione respectu omnium, sit etiam omnibus in bonitate præstare.

Secunda ratio ex duodecimo metha. tex. 52. desumpta talis est. Bonum extrinsecum vniuersale totius vniuersi est melius quocunque bono particulari, sicut Dux, qui est totius exercitus bonum extrinsecum, & vniuersale, quacunquè exercitus parte melior est: at Deus est bonum totius vniuersi extrinsecum, & vniuersale, ergo Deus quacunquè vniuersi parte melior est: ergo est summum bonum. Primam propositionem ità suadet Arist. eo loci: bonum particulare ad bonum vniuersale tamquam ad finem ordinatur, sicut omnes exercitus partes ad Ducem, tamquam ad finem ordinantur, sed finis est omnibus melior, quam quæ ad finem sunt: ergo &c. Secũdã autem propositionem ità ostendit, omnia quæ sunt in vniuerso tamquam ad finem totius vniuersi extrinsecum, & vniuersalem ordinantur ad primum mouens, & ad primum intelligens, & ad primum volens; sed Deus vt ostensum est suprà, concluditurquè vltimo tex. metha. est primum mouens, primum intelligens, primumquè volẽs; ergo Deus est finis vniuersalis, bonumquè vniuersale & extrinsecum totius vniuersi.

Tertia ratio secundum Aristo. 3. metha. tex. 4. Primum in vnoquoquè genere, & ordine est maxime tale: at Deus vt nunc assertum est, est primum bonum: ergo est maximum bonum, seu summum.

Contra hanc veritatem est tale argumentum ad aures Aris. secundum ipsũ, vt supra assertũ est, bonum est, quod omnia appetunt; at solus Deus est id, quod omnia appetunt: ergo solus Deus est bonus; at summũ dicitur per comparationem ad alia bona, sicut summum calidum per respectum ad omnia calida: ergo Deus non potest summum bonum appellari.

Respondemus propositionem Arist. esse intelligendam hoc pacto; illud quod omnia appetunt, est bonum, non autem hoc modo, scilicet vnumquodque bonum est, quod omnia appetunt.

Deus est solus bonus per essentiam, apud Aristotelem.

Cap. 24.

DEum esse solum bonum per essentiam de facili demonstrari potest ad aures Aristo. & primo demonstratur Deum esse per essentiam bonum. Secũdò nil aliud à Deo per essentiam bonũ esse.

Primum ità demonstratur. Quod est bonum per participationem habet ante se aliquid aliud bonum, à quo suam bonitatem suscipit, sed Deus est primum totius bonitatis principium, nullum habẽs ante se principium: ergo Deus non est bonus per participationem; ergo est bonus per essentiam. Prima propositio cõspicua est ex eo; quoniam vt asseritur secundo meth. tex. 4. primum in vnoquoq; genere est omnium aliorum; quæ in eodem genere sunt, causa. Modo cõstat, qđ est tale per participationem esse causatum: ergo ante se illud primum, à quo causatur, habet. Secunda autem propositio diffusè superius cap. quinto, & sexto demonstrata fuit, & inferius per amplius demonstrabimus Deum esse omnium cãm effectricem, & finalem.

Secundò ostenditur omne aliud à Deo esse bonum per participationem, ex cõsequenti minimè per essentiam. Omne causatum, bonum est per participationẽ hæc ex terminis aperta est: at secundum Arist. omne aliud à Deo est ab ipso causatum, vt in supradicta materia demonstrabitur: ergo &c.

Et ista est expressa Arist. mens 12. metha. tex. 54. iuxta D. Th. expositionem: Etenim Arist. in illo textu antiquos reprehendit asserentes vnum primũ principium bonum dari, & non determinãtes an hoc bonum sit principium, vt finis, aut vt forma, aut vt mouens; Ex quibus verbis expressè colligitur, ad mentem Arist. principium se habere, vt finis & vt forma, & vt omnium mouens, ex consequenti esse bonum per essentiã, vt sibi attribuit D. Th. 1. p. quæst. 6. articulo quarto.

Ex quibus & colligitur oĩa entia creata esse bona effectiuè, exemplariter, & finaliter diuina bonitate, & bona formaliter intrinsecè similitudine diuinæ bonitatis tali ratione. Vnumquodque dicitur bonum effectiuè exemplariter, & finaliter à suo principio effectiuo, exẽplari & finali, & formaliter intrinsecè est bonum per similitudinem illius bonitatis sibi inhærentem: at Deus ad aures Arist. est principium effectiuum exemplare, & finale respectu omnium aliorũ bonorum; ergo &c. Prima propositio ex terminis conspicua est. Secunda autem ex nunc assertis manifesta est.

Deus est infinitæ perfectionis substantialis, in doctrina Aristotel.

Cap. 25.

EXpleta diuinæ perfectionis consideratione, agredienda est contemplatio de eius infinitate, dequè eius in rebus existentia, & primo ostendetur Deum esse infinitæ perfectionis substãtialis, supponendo primo tria fundamẽta ad aures Arist.

Primum fundamẽtum. Actus, qui est ab omni materia, & potentia separatus est infinitus. Hoc fundamentum bifariã probatur. Primò ex primo phys. tex. 69. & 70. Nam eò loci ita Arist. scribit, *sicut se habet aes ad statuam, & lignum ad lectum, sic se habet materia ad formam.* Tunc ita arguitur: sed aes, & lignum formam determinant, quoniam qñ aliqua forma est in ære, vel in ligno, ad aes, & ad lignum coarctata est, & ideo eadem numero forma, in alio subiecto minimè recipi potest, quæ tamen ante pluribus in subiectis recipi poterat: nam eadem Cęsaris forma, in hoc, vel illo ligno, in hoc, vel illo ęre fieri poterat: ergo forma (quæ secundum se quandam habet infinitatem, cũ in plurib. substantialis recipi possit)

R per

per materiam finitur, & determinatur, actusquè p potentiã: ergo forma ab omni materia separata, & actus ab oĩ potẽtia sejunctus infinitatem retinet. Secũdò demonstratur ex 9. meth. tex. 11. Arist. n. asserit eã proportionem habere actum, et potentiam, quã habet ædificans ad ædificabile, sed ædificans per ædificabile determinatur; qm ædificans antequã actu ædificet, p ó ædificare, & non ædificare, similiter potest hoc, vel illud ædificare; qm & ipse docet, in lib. Perihet. *Vnumquodque dum est necessario est*; Ex consequenti dum aliquid ædificat determinatum, non potest non edificare illud: ergo actus per potentiam finitur; ergo actus, qui est, ab omni semotus potentia infinitus est.

Secundũ fundamentũ. Infinitas, quæ se ex parte formæ tenet infinitam dicit perfectionem, & infinitas ex parte actus est substantialis perfectionis infinitas, quæ est infinitas simpliciter, & absolutè perfecta. Hoc fundamẽtum docet Arist. 1. phys. tex. 81 vbi affirmat, formam esse quoddam diuinũ, & optimum: ergo infinita forma, & infinitus actus, est infinitum bonum, infinitumquè perfectũ.

Tertium fundamentũ. Esse existentię est omnium rerum actualitas, quod ità probatur. Res non sunt in actu, nisi prout significantur, ipsas existere. Et ità docet Arist. 9. meth. text. 11. vbi scribit hæc aurea verba. *Est autem actus existere rẽ*.

Ex his fundamentis demonstratur Deũ esse infinitæ perfectionis substantialis, hũc in modum. Ille actus, qui est ab omni potentia separatus est infinitus infinitæq; perfectionis substantialis: at Deus est ab omni potentia separatus: ergo Deus est infinitus, perfectionisq; substantialis infinitæ. Prima propositio ex primo fundamento conspicua est. Secũda autem per tertium suadetur fundamẽtũ. Esse est omnium rerũ actualitas: at Deus est ipsum esse existentiæ ab omni potentia separatum, vt demonstratũ fuit ad aures Arist. cap. 11. ergo Deus est actus ab omni potentia separatus.

Duo sunt argumenta de mente Arist. contra hanc veritatem. Primum affirmat Arist. 1. phys. finitum, & infinitum quantitati conuenire: at in Deo, non est quantitas, cum non sit corpus, neque in eo, aliquod accidens reperiatur: ergo infinitum Deo minimè conuenit.

Respondetur Arist. habere sermonem de infinito naturali, quod gratis concedimus, maximum enim quod quantitati congruit, est infinitum se tenens ex parte materiæ; eo qm̃ quantitatis terminus se habet tamquam eius forma, hinc videmus figuram (quæ in quantitatis terminatione consistit) esse quandam formam, circa quantitatem, ideòquè quantitas, quæ non habet terminum, sed interminata est, & infinita, forma caret, ac per hoc ista infinitas, ex parte materię se tenet, hácquè infinitatem, minimè Deo attribuimus.

Secundum docetur 3. phys. omne infinitum esse imperfectum, sub ratione partis, & materiæ habet; sed Deus perfectissimus est; ergo &c.

Respondetur dicẽ qm Arist. verũ esse de infinito materiali; non autem de infinito formali: hoc enim perfectissimũ est.

DE EXISTENTIA Dei in rebus.

Deus est in omnibus rebus intimè de mente Aristotelis.

Cap. 36.

In omnibus rebus Deum esse, non sicut essentiæ partem, vel accidens in subiecto, sed sicut agens suis in effectibus, ad aures Arist. facilimè comprobari potest multifariam. Verum ad tres rationes hæc reducuntur.

Prima ratio. Docet Aristo. 7. physic. tex. 8. & 9. omne agens necessariò coniunctum esse ei, in quod agit immediatè, illudquè, sua virtute complecti, quapro-

propter eo loci docet, mouens & motũ necessario ſimul eſſe: at Deus ad mentem Ariſt. eſt omnium effectuum in rebus inuentorum cauſa, vt demonſtrabitur in conſideratione de creatione: ergo Deus eſt omnibus rebus coniunctus. Hæc ratio probat etiam Deũ eſſe in omnibus rebus intimè ſecũdum ipſius doctrinam. Nam eſſe eſt rerum omnium formale principium, vt 5. metha. text. 13. vbi docet, ens per ſe, eſſe id, quod eſſe dicitur ex conſequenti, vnumquodq; ens per ſe actuatur per eſſe, quia de ratione actus eſt dare eſſe: ergo eſſe eſt intimius omnibus in re contentis, quia eſt primum in compoſitione, & vltimum in reſolutione; & actus eſt intimior omnibus in ipſa re contentis: at Deus (vt in ſpeculatione de creatione explicabitur) eſt cauſa eſse omnium: ergo Deus eſt ipſi eſſe omnium coniunctus: ergo intimè adeſt.

Secunda ratio. Docetur 2. phyſ. text. 37. & 5. meth. tex 3. hanc propoſitionẽ. *Cauſa in actu, & effectus in actu, ſimul ſunt, & non ſunt*, quę ità à D. Th. exponitur. Hæc propoſitio intelligenda eſt formaliter hoc pacto. Si cauſa eſt tantũ in fieri cauſa, ſicut ędificator eſt tãtum cauſa in fieri, reſpectu ædificij, ſimul eſt cum fieri ipſius effectus, ſi autem cauſa eſt cauſa in fieri, & in eſse ipſius effectus, ſimul etiam eſt cum illo effectu ſecundum fieri, & ſecundũ eſse ſicut Sol eſt cauſa in fieri, & in eſse luminis in aere, & ideò quãdiù Sol eſt ſup Terrã, ſemper lumen eſt in aere, & quamdiù lumen eſt in aere ſemper Sol eſt ſuper Terram, ſed Deus eſt cauſa omnium rerum non ſolum in fieri, ſed etiam in eſſe, ad aures Ariſtot. vt explicabimus in illo tractatu de creatione: ergo Deus eſt in omnibus rebus; quapropter ad aures Ariſto. ſi Deus ſuam actionem à rebus ſubtraheret, omnia in nihilum deciderent, vt etiam deduxit D. Th. ad mẽtem Ariſt. ſecundo phy. textu trigeſimoſeptimo.

Tertia ratio. Habetur ſecundo phyſ. tex. trigeſimoſecundo, trigeſimotertio; & trigeſimonono, Quemadmodum ſe habet particularis cauſa, ad ſuum effectum, ità vniuerſalis cauſa ad ſuum, ſed particularis cauſa ſuo effectui ſemper adeſt, ſicut ignis per ſuam pręſentiam calefacit, & anima corpus informat per ſuam præſentiam, hocquè deductum fuit in prima ratione: ergo vniuerſalis cauſa ſuis effectibus præſens eſt, ſed Deus eſt vniuerſaliſſima omnium cauſa, (vt pluries fuit inculcatum:) ergo Deus eſt omnibus reb. pręſens.

Ex doctrina Ariſtot. duodecimo metha tex. quinquageſimoſecundo contrà hanc veritatem tale colligitur argumentum. Quod eſt ab omnibus rebus ſeparatum, minimè rebus ipſis intimè adeſt, hæc propoſitio ex terminis notiſſima videtur: at Deus eſt ab omnibus rebus ſeparatus, vt determinatur ab Ariſ. loco adducto, vbi docet Ariſt. Deum eſſe bonum, ab hoc vniuerſo ſeparatum: ergo Deus non eſt in rebus intimè.

Reſpondemus Eſse ab aliquo ſeparatum duobus modis contingit Vno modo per ſuę naturę excellentiam, & hoc modo Deus eſt à rebus omnibus ſeparatus, quia omnia excedit, cum ſit omniũ cauſa effectiua, & finalis, & hoc pacto intelligit Ariſt. loco citato. Alio modo, vt agens ab aliquibus ſeparatum eſt, & hoc modo Deus non eſt à rebus ſeparatus, cum immediatè eſſe omnium cauſet; Et ideò formaliter ad argumentum reſpondendo aſserimus, primam propoſitionem eſse veram de ſecundi modi ſeparatione; non autem primi: at tunc minor ſubſũmenda falſa eſt, vt demonſtratum fuit.

Deus est in omnibus rebus immediatè, immediatione suppositi nedum virtutis, secundum Aristotelis doctrinam.

Cap. 27.

EX assertis ostenditur, Deum esse in omnibus rebus, non tm immediatè immediatione virtutis, sed etiam suppositi, ad mentem Arist. verum antequam hoc indicemus. Primò explanãdum est, quid isti termini præseferant, scilicet immediatione suppositi, & immediatione virtutis. Sciendum itaquè est secũdum doctrinam D.Th.3.contra gen.cap.70. virtutis immediationẽ esse, quãdo agentis virtus, effectui coniungitur, talẽ virtutis coniunctionem ab aliquo alio agẽte non mẽdicando: quocirca quantò agens est vniuersalius, & superius, tantò immediatius virtutis ĩmediatione agit; eo quoniam particulare agens, & inferius superioris virtute agit, & non econtrà. Immediationem autem suppositi esse decernimus qñ inter suppositum efficiẽs, & effectum nullum mediat suppositum subordinatum coagens, qua de re in creatis agentibus quanto agens est inferius tanto immediatius suppositi immediatione agit.

Istis explanatis conclusio proposita, bifariam demonstratur.

Primò demonstratur ex demonstratis in superioribus. In Deo nullum est accidens, vt probatum est cap. 14. ergo Dei actio est ipsemet Deus, diuinumq; suppositum: at Dei actio est in omnib. rebus, cum omnia conseruet, vt deductum est in secunda ratione præcedentis capitis: ergo & Deus est in omnibus rebus immediatè suppositi immediatione.

Secundò. Secundum omnium expositionẽ. Illa Aristotelis propositio in prima ratione præcedentis capitis assumpta. s. mouẽs, & motũ simul sũt, de simultate suppositali intelligitur: at Deus immediatè producit, & conseruat res, ex cõsequenti immediatè oĩa mouet, sicut proprium agens, alia verò mouẽt, sicut Dei instrumẽta; qm nõ mouẽt, nisi quatenus Dei virtus omnia creata mouentia ad suas operationes applicat, vt docebimus in tractatu de creatione ad mẽtem Arist. ergo Deus est in omnibus rebus immediatè suppositi ĩmediatione.

Deus est vbiquè locorum, de mente Aristotelis. *Cap.* 28.

EX demõstratis facilimè deducimus, ad mentem Arist. Deum esse aliquo modo in omnib. locis. Verum antequã istam veritatem ostendamus, quædam bimẽbris distinctio supponẽda est. Esse itaquè in loco bifariam contingit. Vno modo formaliter, per modum loci proprium, & hoc modo aliquid est in loco, quando locus non est maior, nequè minor locato, vnde locatum totum locũ replet: & hunc modum docet Aristo. 4. phys. text. 30. & 42. Alio modo, aliquid est in loco per modũ quo vna res in alia esse dicitur sicut accidens in subiecto, hocquè modo loci accidentia in loco esse dicuntur, sicut in quadam re: & de huiusmodi loci accidentibus loquitur Arist. 4. phys. tex. 38. & ratio huius distinctionis est, quia locus potest considerari duobus modis. Vno modo vt locus est formaliter, & ità aliquid dicitur esse in loco primo modo. Alio modo vt res q̃dam est, habensq; suas proprietates, suaquè accidentia, & hoc pacto aliquid dr̃ esse in loco secundo modo.

Istis suppositis facilime ex assertis in præcedenti capite demonstramus. Deũ esse in loco aliquo modo, secundum vtrumquè distinctionis membrum. Et primò ostendimus Deum esse in omnibus locis aliquo modo per loci modũ hoc pacto; tunc aliquid est in loco per loci modum, quando locatum totum replet locum, vt constat ex Aristo. loco citato: at Deus sua virtute omnia replet loca: ergo Deus est in oĩ loco tãq̃ replẽs sua virtute oĩa loca. Minor probatur ex

dictis in præcedenti cap. Deus est in omnibus reb. eis esse conferens: ergo Deus est in omnibus omnia loca replentibus dans esse omnib. replentibus: ergo Deus est in omnibus locis, quodammodo vt omnia loca replens.

Circa hanc partem suamquè rationē animaduertendum est. Replere locum accidere duobus modis. Vno modo formaliter, & hoc modo Deus minimè replet, verum iste modus est proprius corporum locatorum. Alio modo effectiuè, & ita Deus omnia loca effectiuè replet, quatenus omnia replentia loca causat, ex quo colligitur, corpus replēs alia locata excludere, Deum autem alia replentia nequaquam excludere, immò illa locata includere, illa locari faciens.

Deinde facilius demonstratur Deū esse omnibus in locis, eo modo quo vniuersaliter vna res dicitur esse in alia, hoc pacto Deus est in rebus omnibus, sicut agens immediatè, immediatione virtutis, & suppositi, vt in præcedenti capite fuit demonstratū; sed omnis locus est quædam res: ergo Deus est omnibus in locis, sicut vna res dicitur esse in alia.

Hic aduertendum est, Deum esse vbiquè locorum, non quia per locorum spacia diuidatur, quasi vna pars sit hic, alia vero alibi, sed vbiquè totus est.

Ad aures Arist. contrà hanc veritatē, ità potest obijci. Sicut se habet tēpus ad successiua, ità locus ad permanentia; quoniam secundum ipsum in prædicamento quantitatis ambo sunt quantitates mensurantes. Tempus autem successiuè mensurat, secundum ipsum quarto phys. tex. 114. docentem tempus esse motus mensuram, locum autem permanentia mensurare, cum locata mensuret vnde docuit 4. phys. tex. tertio, locum esse locato æqualem. Tunc subsumitur minor: at vnum indiuisibile actionis, & motus in diuersis temporibus minimè esse potest: ergo nec vnum indiuisibile, in rerum permanentium genere, potest esse in omnibus, vel pluribus locis, sed Deus est indiuisibilis, vt ex præcedentibus conspicuum est: ergo Deus non est in pluribus locis: ergo non est vbiquè locorum.

Respondemus. Indiuisibile esse in duplici discrimine, alterum quod est continui terminus, vt momentum in successiuis, & punctus in permanentibus, & hoc indiuisibile in permanētibus in pluribus loci partibus, uel pluribus in locis, nequaquam esse potest cum determinatum habeat situm: Itidem actionis, & motus indiuisibile, non potest esse in pluribus temporis partibus, cum in motu, & in actione ordinem habeat determinatum. Alterum est indiuisibile quod est extra totum continui genus, & huiusmodi sunt substantiæ incorporeæ, vt Deus substantia separata, & anima humana. Et hoc indiuisibile ad continuum minimè applicatur, veluti aliquid eius, sed inquantum illud sua contingit virtute; quapropter sicut sua virtus se potest ad vnum, vel multa extendere ad paruum, vel magnum ità est in vno, vel pluribus locis, & in loco paruo, vel magno: Idcircò formaliter ad argumentum respondendo, autumamus primas propositiones assumptas, veras esse de his, quæ in generis quantitate continentur, & de hoc indiuisibili quantitatiuo demonstratur, non posse esse pluribus in locis; at tunc minor subsumenda, falsa est, scilicet Deus est in quantitatis genere, vt demonstratum fuit supra capite duodecimo, & decimotertio, in quibus demonstratum est, Deum extra omne genus esse.

DE IMMVTABILITATE Dei, ad aures Aristotelis.

Deus est omnino immutabilis, secundum Aristotelem.

Cap. 29.

NEminem latet Deum esse immutabilem ad aures Arist. ex pluribus eius auctoritatibus, quę ad quinquè principales reducuntur.

Prima auctoritas. Ex dictis in cap. 5. diffuse demonstratum, est Deum esse omnino à materia separatum, esseq; mouens omnino non motum, & hoc præsertim fuit conclusum, ex 12. met. tex. 36. & 37. 38. & 41. ergo &c.

Secunda ex diffinitione motus tradita 3. phys. tex. 36. *Motus est actus existentis in potentia: inquantum huiusmodi*: colligitur omne quod mutatur quocunquè pacto esse aliquomodo in potentia; at in Deo nulla est potentia, cum sit actus purissimus: vt colligitur 12. met. text. 36. 37. 38. & 39. ergo Deus est omninò immobilis.

Tertia. Docet sexto phys. tex. 32. omne quod mutatur esse diuisibile: quoniam partim est in termino à quo partim in termino ad quem, ac per hoc oē q̄d mutatur diuisibile est, sed Deus est omninò simplex, vt asseritur 12. meth. tex. 37. & longo processu, hoc fuit demonstratū superius à capite 7. vsque ad cap. 18. & præsertim cap. 15. ad aures Aristo. ergo Deus nullomodo est mutabilis.

Quarta ex diffinitione motus, quia motus est actus imperfecti, cum motus sit actus existētis in potentia, & mouet, vt actus perfectionem acquirat, colligitur omne, quod mouetur esse imperfectum, suoquè motu perfectum actū acquirere: at in Deo nulla est imperfectio ad mētem Arist. vt conspicuū est ex ca. 19. & 20. ergo Deus est oīnò īmutabilis.

Quinta. Omnis mutatio secundum Arist. 5. phy. tex. 7. & sequentibus, aut est de subiecto, in subiectum; hæcquè mutatio accidentalis est, aut de non subiecto in subiectum, huiusmodiquè mutatio, est substantialis generatio, aut de subiecto in non subiectum, & illa est corruptio substātialis: sed nulla harum mutationum in Deo, aliquo pacto reperiri pōt: ergo &c. Minor quoad singulas partes declaratur, & primo quo ad primā. In Deo nullum est accidens, vt probatū fuit capit. decimoquarto, ergo &c. Quò ad secundam, & tertiam. Deus nullo modo habet materiam, cum sit actus purissimus: ergo non potest generari, & corrumpi cōsequentia probatur ex primo phys. vbi ostenditur materiam esse generationis, & corruptionis subiectū.

Solus Deus est omnino immutabilis, idcirco, esse immutabile Dei proprium est, secundum Aristotelem. *Cap.* 30.

OMnimodā īmutabilitatē soli Deo congruere demonstrandum est, ad mentem Arist. suppositis tribus fundamentis ex eius doctrina desumptis.

Primum fundamentum. Res creatæ sunt in triplici ordine. Quædā sunt ex forma, & materia priuationi substātiali subiecta compositę, & huiusmodi sunt omnia hęc inferiora generabilia, & corruptibilia. Quædam verò sunt composita ex forma, & materia substantiali priuationi minimè subiecta, cuiusmodi sunt celestia corpora. Quædā verò sunt puri actus à materia separati, vt sunt substantiæ separatæ. De reb. primi ordinis tractat Arist. in tota sua philosophia naturali, de secundi ordinis rebus considerat in 8. phy. in lib. de cęlo, & in 12. metha. de tertij autem ordinis rebus in 10. meth.

Secundū fundamentū. Mutatio est duplex, altera physica, & altera meth. physica mutatio est illa, quā considerat Aristo. 3. phy. per totum, quæ diuidit in genera-

nerationem, corruptionē, & motū. Motusq; diuiditur, eo loci, in motū localē, in motū augmenti, & decrementi, & in motum alterationis. Mutatio meth. est illa, quā speculatur Arist. 3 de anima, & 12. meth. quæ præcipuè est intelligere, & velle.

Tertium fundamentum. Aliquid dicitur immutabile duobus modis. Vno modo per potentiam in se, & est illud, quod mutabilitatis potentiam, in se habet: altero aliquid dr̄ mutabile solū per potentiam in alio, in se autem nullā habet mutabilitatis potentiam.

Illis suppositis, hęc veritas proposita quatuor conclusionibus determinatur. Prima conclusio; Omnia creata, siue incorporea, siuè corruptibilia, siuè incorruptibilia per potētiā in alio. s. in Deo mutabilia sunt, quæ ità suadet̄: Omnia ista à Deo creata fuerint, omniaquè in nihilum redigerentur si Deus subtraheret actionem suā, vt deductum fuit supra c. 26. in secunda ratione, ex 2. phy. & 5 metha. hocquè magis explicabitur in consideratione de creatione: ergo omnia per Dei potentiam mutabilia sunt.

Secunda conclusio. Omnia hæc inferiora sunt generabilia, & corruptibilia per potentiam in se, ac per hoc sunt mutabilia secundum esse substantiale, quæ ita probatur. Omnia habentia materiā priuationi substantiali subiectā, corrumpuntur, vt suadet Aris. primo phy. à tex. 78. vsquè ad illius libri finem, & 9. met. tex. 15. docens oēm potentiā esse cōtradictionis potentiā, hoc est ad esse, & nō esse: potentiā seu generationis, seu corruptionis, sed hęc inferiora, habent materiam primā, substātiali priuationi subiectā: ergo sunt generabilia, & corruptibilia, ex consequenti, secundum esse substantiale mutabilia.

Tertia cōclusio. Corpora cęlestia sūt mutabilia secundum esse accidentale, hoc est, secundum motum localē, quę cōclusio notissima est, ad mentem Aristo. cum moueantur motu ęterno circulari, vt constat 8. phys. in lib. de cœlo, de generatione, & corruptione, & 12. meth.

Quarta conclusio. Substantiæ separatæ ab alio mouentur, motu meth. quæ etiam conspicua est ex 12. meth. text. 36. vbi ab Arist demōstratur substantias separatas à Deo moueri motu intelligibili, & appetibili, & hanc veritatē, nos diffusè declarauimus supra capite 5.

Ex his quatuor conclusionibus intenta conclusio demonstratur. Omnia alia præter Deum, sunt mutabilia per potentiam in Deo, & etiam aliquo modo per potentiam in se, eo modo quo in prædictis quatuor conclusionibus explanatū est: ergo Dei proprium est esse omninò immutabile.

Cōtra hanc veritatem ita arguitur. Ad mentem Arist. 2. meth. tex. 14.

In omni eo, quod mouetur necesse est materiā intelligere: at substantiæ separatæ materiam minimè habent: ergo non mouentur: ergo soli Deo non conuenit.

Respōdemus, Arist. auctoritatē intelligendam esse de eo, quod physico motu mouetur, nō autē motu meth. qualis est substantiarum separatarum motus.

DE ÆTERNITATE Dei, ad aures Aristotelis.

Deum esse æternum demonstratur ad mentem Aristot. Via motus.

Cap. 31.

LIcet Arist. multa obscurè docuerit, vt penè eius intentio, ad mentem philosophorū eius asseclarum peruenerit: attamen explicatissimè docuit, Deum esse æternum, vt intueri licet in 8. phys. & in 12. meth. locis infrà deducēdis.

Cumquè nostrū institutum sit, Theologiam ad aures ipsius ordinare, operę precium est, eius assumere fundamēta, eiusquè demonstrationes Dei æternitatē concludentes, vt eius intentionem, &

ordinem videamus; & qm̃ docet quędã contrà veritatẽ, fidẽquè nostrã (licet cõclusio de Dei ęternitate sit Catholica) id circò fundamẽta rõnesquè suadẽtes motus ęternitatẽ, cum sint falsæ à nobis in secundo libro cap. 1. & 2. fuerunt destructę, & expugnatæ. Verumtamẽ: qm̃ nũc conamur habere exploratam intentionem Aristo. de Dei ęternitate, suppositũ tamquam notissimo in eius doctrina, motum esse ęternũ (licet hoc suppositũ falsissimum sit) prima via probandi Dei ęternitatem ex motus ęternitate summẽda est.

In textibus 47. 48. 49. 8. phys. iuxtà D. Th. expositionem tex. 1. & tex. 53. 8. phy. deducit perpetuitatem seu æternitatem vnius primi motoris ex motus perpetuitate in communi.

In tex. itaquè 47. demonstrat dari vnũ, vel plura mouentia prima hac ratione: Perpetuus effectus non potest esse, nisi à causa perpetua: at vt probatum est motus est perpetuus: ergo non potest esse, nisi à perpetua causa mouẽte, siuè illud primum mouẽs sit vnum, vel plura mouentia, erit vel perpetuum, vel illa mouentia erunt perpetua.

Deinde in tex. 48. demõstrat hoc primum mouens, esse solum vnum tali rõne. In his quæ sunt secundum naturam semper accipiendum est illud, quod melius est, si sit possibile; sed melius est, & possibile, principium esse finitum, quàm infinitum, & vnum, quàm multa: ergo vnum solum principium accipiendum est. Maior propositio nota est ex eo; quoniam ea, quę sunt secundum naturam optimè disposita sunt. Minor etiam conspicua est, quia ad causandam motus perpetuitatem vnũ principium æternũ sufficit.

Et qm̃ aliquis asserere posset, cãm perpetuitatis motus nõ esse aliquid vnum mouens æternum, & primũ, qñquidem cã continuitatis generationis est aliqđ primum mouens seipsum ęternũ: attamẽ, hoc primũ mouens seipsum aliũ habet motorem, à quo mouetur, qui motor non est vnus, sed multa, q̃ continuò generantur, & corrumpuntur, & ideò licet primũ mouens seipsum, qđ motus perpetuitatẽ causat sit vnũ, & perpetuũ, in primus absolutè motor, qui hoc primum mouens seipsum mouet, non est vnus, & sempiternus, verum plures, & corruptibiles: idcircò in tex. 49. hanc excludit responsionẽ tali pacto. Motus est sempiternus: ergo est cõtinuus: ergo est vnus: ergo est absolutè ab vno primo mouente ęterno, vniusquè mobilis. Prima cõsequentia patens est, quia si motus sempiternus, non est cõtinuus esset motus cõsequenter se habens, ex consequenti, minimè esset sempiternus; Secunda consequentia suadetur, quia motus appellatur cõtinuus, qa est vnus, etsi nõ esset vnus, nõ esset cõtinuus, sđ discretus. Tertia cõsequẽtia suadet̃: qm̃ motus vnitas à mobilis & motus vnitate desumit̃, vt demõstratur 8. phy. tex. 83. Datur itaquè vnus primus motor æternus, qui est Deus, & hanc conclusionẽ, probat Arist. 12. met. tex. 29. resumendo in quodam compendio rationes diffusè allatas in 8. phys. & à nobis impugnatas, & expugnatas in 2. libro cap. 1. & 2.

Quatuor alijs rationibus demõstratur, ad mentem Arist. Deum esse æternum. Cap. 32.

Circa rõnes motus ęternitatẽ demõstrãtes, duo sũt aĩaduertẽda. Primũ Notãdũ ẽ ex D. T. 12. met. tex. 30. Aris. firmiter opinatũ esse, & credidisse necessariũ fore motus, & tẽpus ęterna esse; qm̃ super hoc suã de inquisitione substãtiarũ separatarũ intentionem fundauit.

Secundũ ex D. Th. 1. p. q. 46. ar. 1. Aris. ẽt cognouisse has suas rõnes, non fuisse simpliciter demõstratiuas, sed tãtũ secũdũ quid. s. ad contradicendũ antiquorũ rõnib. opinantiũ mundũ incępisse secũdũ quosdã modos in rei veritate impossibiles. Hocq; ex trib. ostenditur. Primò qm̃ tam in 8. phy. tex. 10. & sequẽtib. quã in primò de cęlo tex. 101. quasdã p̃mittit opiniones veluti Anaxagorę, Empedoclis, Democriti, & Platonis, cõt. quos cõtradictorias rõnes ĩducit. Secũdò vbicumque

tūq; de hac materia sermonē hēt, antiquorū inducit testimonia, qđ nō est munus demōstrationis, sed psuadētis, pbabiliter. Tertio qa expsse primo Top. tex. 9. astruit esse quædam problemata Dialectica, de quibus rationes non habemus, vt an Mundus sit æternus.

Quare cum Aristotel. supradictas demonstrationes de æternitate motus cognouerit non esse demonstrationes simpliciter, ac per hoc nec absolutè Dei æternitatem concludere; idcircò in tex. 53. 8. Physic. demonstrat absolutè, & simpliciter Dei æternitatem tali demonstratione, quæ sit secunda ratio. Quod est omnino immobile est ęternū; at Deus est omnino immobilis, ergo Deus est æternus. Minor propositio conspicua est ex quinto, & trigesimo capitibus. Maior autem ità demonstratur. Quod incipiet, vel desinet, vel incępit, & desinet per motum, vel per mutationem, vel per simplicem emanationem, est aliquo modo mutabile; ergo quod est omnino immutabile, nunquam incępit, vel desinet; ergo quod est omninò immutabile est æternum.

Tertia ratio. Aristotel. duodecimo Metaphys. tex. trigesimoquarto, & trigesimoquinto, probat Dei ęternitatem ex perpetuitate motus cœlestis tali ordine. Perpetuitas generationis, & corruptionis, quæ fit secundum circulum causatur ab aliquo permanente semper eodem modo, ut ostensum est secundo libro de generatione: sed hoc agens est motus primi Cœli; ergo motus primi Cęli est perpetuus; ergo & primum mouens est perpetuū. Prima propositio probatur. Nō oportet causam perpetuitatis (quæ in generatione, & corruptione inuenitur) esse aliquod vnum eorum, quę generantur, & corrumpuntur; quoniā nullum eorum est semper: neque etiam omnia, cum non possint esse simul, vt ostensum est, in 8. Phys. ergo necesse est esse aliquod vnum agens perpetuum, quod vniformiter semper agat, ad causandam perpetuitatem. Secunda autem propositio patet, quia motus primi Cœli, qui est motus diurnus est vniformis. Vltima Consequētia comperta est, quia si effectus est perpetuus, necesse est, causam esse perpetuam, motus autem primi Cœli est effectus primi motoris. Hæc ratio à Christianis de facili soluitur negando generationem, & corruptionem esse perpetuas, cum itaquè supra falsitatem fundetur, tota ruit.

Quarta ratio. Quoniam Aristotel. hanc rationem non absolutè concludere optimè perspexit, idcirco in textibus subsequentibus eiusdem duodecimi Dei ęternitatem alijs rationibus demonstrat. Nam in tex. 38. ità procedit. Primum mouēs est primum necessarium; ergo semper fuit, & erit. Antecedens ità demonstratur. Quod non potest aliquo modo aliter, & aliter se hrē est necessariū absolutè, vt habetur quinto Metap. text. 6. at primum mouens non potest aliter & aliter se habere; ergo est absolutè necessarium. Minor huius prosyllogismi suadetur eo: quoniam primum mouens est omninò immobile, vt iam probatū est. Consequentia probatur; quoniam necessarium absolutè, & primum nullam habet causam suæ necessitatis, verū ipsum est à quo Cęlū, & natura dependent; ergo nunquam fuit productum; ergo semper fuit, & erit.

Quinta ratio. Ex tex. 41. Ità Aristotel. arguit. Quod est impassibile, & inalterabile est ęternum, hæc propositio clara est e ratione generationis, & corruptionis, & mutationis tradita ab ipso Arist. in tota doctrina sua; at Deus est inalterabilis, & impassibilis; ergo &c. Probat minorem tex. citato. Remoto priori, posteriora necessariò remouentur, sed à Deo remouetur motus localis, qui est primus motuum, & hoc totum fuit demonstratum in 8. Physic. ergo à Deo motus alterationis, & cuiuscunque alterius speciei remouetur.

Tri-

Tribus alijs rationibus ostenditur, ad mentem Aristotelis Deum esse æternum. *Cap.33.*

SExta ratio desumitur ex assertis ab Aristot. 4. Physic. tex. 119. vbi docet ea, quæ nullo modo mouentur, tempore nequaquam mensurari; at Deus est omninò immobilis, vt sæpè fuit demonstratum; ergo Deus tempore nequaquã mensuratur; ergo in Dei duratione non est prius, & posterius. Hæc consequentia nota est; quoniam prius, & posterius tempus sequuntur, cum tempus sit numerus motus secundum prius, & posterius: tunc vltrà. In Dei duratione, non est prius, & posterius; ergo duratio Dei, est tota simul; ergo Dei duratio est æternitas. Consequentia hæc vltima suadetur, quia ęternitas nil aliud est, nisi duratio tota simul existens, vt diffinitur à Boetio quinto de Consolatione, asserente, æternitatem esse interminabilis vitæ totam simul perfectamquè possessionem.

Septima ratio colligitur ex Aristot. nono Metaphysic. tex. decimotertio, & decimoquarto, docente omne quod fit produci ab agente priori in actu existente. Tunc ità ratio formatur. Si Deus non semper fuit; ergo est productus de non esse, ad esse ab aliquo priori in actu existente; ergo Deus non est prima causa, hoc consequens est falsum, vt probatum est in superiori cap. 6. Prima consequentia aperta est ex doctrina Aristotel. adducta. Secunda autem notissima est.

Octauo ratio colligitur ex verbis Aristotel. duodecimo Metaphysicæ text. trigesimonono, ità concludentis Deum esse ęternum per hæc verba. *Dicimus autem Deum esse animal sempiternum optimum quare vita, & duratio continua, & ęterna existit Deo: hoc enim Deus.* Hæc Aristotel. Ex quibus verbis apertè habemus, nedum Deum esse ęternum, sed etiam suam esse durationem ęternam, hoc est, suam æternitatem, & hoc ex vltimis verbis, f. Hoc enim Deus, idest vita Dei, eiusquè duratio sempiterna est Deus, non autem duratio Dei æterna reipsa à Deo distinguitur, sicut aliarum rerum durationes ab ipsis rebus mensuratis reipsa semouentur.

Verum contrà hanc veritatem adest tale dubium. Aeternitas est quædam mensura; at Deo mensurari minimè conuenit cum sit ens infinitum; ergo &cæt.

Respondemus. Aeternitatem nil aliud esse quam Deum, ideò asserimus, Deum esse æternum, non quasi aliquo modo mensuratum; verum hoc loci, mensuræ rationem accipimus solummodo secundum nostram apprehensionem, quapropter ad argumentum negatur absolutè prima propositio, si accipiatur mensura realiter, & secundum se, si aũt accipiatur solum secũdum nostram apprehensionem, secunda propositio negatur, prima concessa, & ad probationem dicimus infinitum non posse secundum rem mensurari, potest tamen mensurari secundum nostrum intelligendi modum.

DE VNITATE DEI, ad mentem Aristotelis.

Deum esse vnum multifariam demonstratur, in via Aristotelis.

Cap. 34.

CVm Dei vnitas eius sempiternitatem sequatur, iure optimo demonstrandum est, ad aures Aristot. primum motorem Deum optimum maximum esse vnum numero, quę veritas in doctrina Aristot satis clara est, & demonstratur sex demonstrationibus.

Prima

Prima desumitur ex 8. Phys. ad quam demonstrandam, supponit quatuor fundamenta ex quibus prima ratio formatur.

Primum fundamentum est. Motus continuus, & sempiternus est vnus, hoc fundamentum diffusè demonstratur quinto Phy. tex. 39. 40. & quadragesimo primo.

Secundum fundamentum. Datur in natura rerum motus continuus sempiternus; hoc fundamentum probat octauo Phys. tex. 53. & duodecimo Metaphy. tex. 34. hocquè duabus rationibus suadet. Prima. Motus, qui non est continuus, & æternus est à motore, qui mouetur per se, vel per accidens, vt probatum est in præcedentibus textibus; at primum mouens est immobile, & perpetuum adeò, vt non moueatur per se, nec per accidens; ergo primum mouens motum continuum, & sempiternum causat. Secunda rō fuit adducta in capite præcedenti, & est tertia.

Ad has rationes iam responsum est, & assertum fuit posse contingere absq; omni mutatione primi motoris, vt non semper moueat.

Tertium fundamentum: Ad motus vnitatem requiritur vnus motor, quod demonstratur 8. Phys. tex. 82. in proiectis. Quando Socrates lapidem proijcit per aliquod aeris spacium puta per quinquaginta cubitos, hac de causa motus iste non est vnus, & continuus, quia motor non est vnus. Nam primus motor est Socratis manus, secundus est pars aeris manum Socratis tangens, tertius est pars aeris sequens præcedentem, qui motores ità se habent etenim manus Socratis proximum impellit aerem, & aer manui proximus sequētem impellit aerem, & hæc pars aliam sequentem, donec omninò deficiat impetus à Socratis manu factus, & inceptus in his, aeris partibus, quæ sunt ipsum lapidem deferentes per talem, & tantum spacium. Quia itaquè aeris partes non sunt vnus motor, sed plures, idcircò lapidis motus non est vnus; sed plures sibi inuicem succedentes, sicut, quando lapides plures ordine erriguntur, & primus à manu percussus firi percutit, & secūdus percutit tertiū, vsq; ad vltimū, quocirca quot sunt lapides tot sunt motus, quapp, cum oppositorū causæ sint oppositę, si plures motus causantur à pluribus motoribus, vnus motus erit ab vno tantum motore.

Quartum fundamentum. Ad vnius sempiternitatem motus exigitur omninò primò primi motoris immobilitas; hocquè suadetur 8. Physic. tex. 83. ex regularitate, & vniformitate diurni motus, hoc modo. Motus primus est maximè regularis, & vniformis; ergo primus motor est maximè immobilis consequentia ità suadetur; nam ad sensum motus irregularitatem à motoris varietate procedere intuemur; ergo maxima regularitas à motore maximè inuariabili, procedit, hæc consequentia suadetur; quoniam si affirmatio est affirmationis causa, negatio causa negationis est.

E his fundamentis ità fabricatur ratio prima. Datur in rerum natura motus continuus sempiternus ex secundo fundamēto, sed motus cōtinuus ē vnus ex primo fundamēto; ergo datur vnus motus sēpiternus. Tūc vltrà. Sed ad motus vnitatē, & sempiternitatē vnitas motoris, & mobilis exigitur ex tertio fundamēto; ergo datur vnus primus motor sēpiternus, & oīnò immobilis; hæc vltima cōsequētia cōspicua est ex quarto fundamēto. At nulli dubiū est primum motorem esse Deum; ergo Deus vnus est.

Secunda ratio. In superioribus præsertim c. 9. & decimo, hic Deus, & Deus est omnino vnum, & idem secundum rem, quia Deus est sua essentia, vt colligimus ex multis textibus, scilicet, & ex tex. 8. octaui Metaph. & tex. 41. septimi Metaphys. ex 49. 10. Metaphys. & tex. 9. 3. de Anima, ex quibus omnibus colligitur, hunc Deum esse suam Deitatem, & Deum, vt videri est in capite decimo, sed hic Deus substantiam dicit

sin-

singularem, quam impossibile est plurificari, vt constat ex diffinitione substantię singularis tradita, tùm in prædicamento substantiæ, tú 7. Met. tex. 7. vbi differitur singularem substantiam, nequè esse in subiecto nequè dici de subiecto, & à prima substantia nulla est prædicatio; ergo impossibile est Deum plurificari.

Tertia ratio. Demonstratum est sup. à capit. 19. vsquè ad cap. 25. inclusiuè ad mentem Arist. Deum esse infinitę perfectionis, comprehenderequè in se totam essédi perfectioné; si ergo duo Dij essét, tunc aliquid in vno esset, quod non esset in alio, per quod ab illo distingueretur; tunc illud distinctiuum, aut esset perfectio, aut imperfectio: si perfectio, túc aliqua pfectio esset in vno, q̃ in alio nó esset, & ità ille alius nó eēt Deus, qa Deus cótinet in se totá essendi perfectioné, si aút illud distinctiuum esset imperfectio, tunc ille in quo hoc distinctiuum esset, non esset Deus, cum in Deo nulla possit esse imperfectio.

Quarta ratio. In cap. 23. demonstratú est, ad mentem Aristot. Deum esse summum bonum, omnia bona excedens, at esse summum bonum excedens omnia bona, vni soli conuenit; ergo &c. Secunda propositio ità suadetur. Si essent duo summè bona, omnia bona excedentia, tunc vel vnum aliud excederet, vel non, si excederet, tunc excessum non esset summa ratio boni excedens omnia bona, immò esset excessum, & ità non esset Deus. Si autem vnum non excederet aliud, tunc neutrum esset Deus: quia de ratione Dei est, ut omnia excedat.

Quinta ratio colligitur ex 12. Meta. tex. 49. hunc in modum. Si essent plura numero principia prima; ergo essent materiam habentia: hoc autem est falsum. Cósequentia probatur, quia distinctio numeralis fit per materiam. Consequentis falsitas iam demonstrata fuit 12. Met. à text. 35. vsquè ad quadragesimú inclusiuè, vt fuit diffusè demonstratum suprà cap. 9. Hæcquè ratio tota est Aristotelis.

Sexta ratio est Aristot. 12. Metaphy. text. 52. 53. & vltimo. Nam in vltimo textu concludit, Deum principem esse vnum, ita scribens: *Vnus ergo princeps.* Quæ conclusio ità demonstratur in textibus, quinquagesimosecundo, & 53. Finis coordinationis, & mundi gubernationis est bonum per essentiam, ex consequenti optimum: ergo mundi gubernatio optima est; ergo ab vno est. Prima consequentia clara est; quoniá causa, & effectus sibi correspondent, vt docet Aristotel. tex. citatis. Secunda autem consequentia suadetur ab Aristot. duabus propositionibus, quarú prima ista est. Gubernatio vnitatem intendit: quæ ità demonstratur. Bonum, & vnum, conuertuntur, & omne bonum est vnú & econuersò; sed gubernatio bonum intendit; ergo gubernatio vnum, seu vnitatem intendit. Maior ità suadetur. Omne ens est bonum; quoniam bonum appetibilis rationem habet, vt testatur Aristot. primo Ethi. *Bonum est, quod omnia appetunt*; ex consequenti bonum, perfecti rationem habet, cum vnumquodquè suam appetat perfectionem, vt docet Aristot. primo Physic. text. 80 & 81. vbi affirmat materiam appetere formam, sicut imperfectú suam perfectionem appetit, ac per hoc bonum rationem entis in actu habet; cum vnumquodquè tunc perfectum sit, quando est ens in actu, habens quod debet habere, vt docetur quinto Met. capi. de perfecto; ergo ens, & bonum sunt idem realiter, & conuertuntur: ergo omne ens est bonú: tunc vltrà: at omne vnum est ens, vt docet 4. Met. tex. 3. ergo omne vnum est bonum, & omne bonum est vnum, & ità maior probata est. Minor ita demonstratur. Docetur 2. Phys. tex. 31. illud cuius causa est, est sicut finis, & bonum aliorum, sed gubernatio intendit proprium finem, seu intrinsecum, seu separatum, vt docetur 12. Met. tex. 52. & 53. ergo gubernatio bonum intendit, & ista est minor probanda, quam expresse docet Aristoteles textibus nunc adductis.

Secunda

Secunda propositio. Vnitas melius causatur per vnum, quam per multa, quæ ità demonstratur. Vnumquodquè melius est, quod causatur à causa per se, quàm id, quod causatur à causa per accidens, hæc patet; quoniam accidentalis causa, ad per se cām reducitur, & nihil effectui, vt sic confert, vt docet Aristot. 2. Phys. tex. 54. Sed vnum est causa per se vnitatis, multa autem causa per accidens; quoniam multa non causant, nisi inquantum aliquo modo vniuntur; ergo vnitas melius per vnum causatur, quam per multa.

Ex istis duabus propositionibus demonstratur secunda consequentia. Vnitas melius per vnum, quam per multa causatur, vt affirmat secunda propositio: ideò optima vnitas est causata ab vno, sed gubernatio intendit vnitatem, vt prima asserit propositio, & ideò optima gubernatio (qualis est Mundi gubernatio) optimam intendit vnitatem; ergo gubernatio optima est ab vno, quod erat demonstrandum. Et hanc rationem vna cum conclusione voluit docere Aristot. (vt affirmat D. Thom. prima par. q. 103. ar. 3.) quando concludit in vltimo text. Metaphysic. ità scribens. *Entia vero nolunt disponi male, nec bonum pluralitas principatuum. Vnus ergo Princeps.*

Contra hanc veritatem est tale argumentum. Vnum, quod de Deo prædicatur: aut est vnum, quod est numeri principium, & hoc non, quia nulla quantitas potest de Deo prædicari: aut est vnum, quod cum ente conuertitur, & hoc etiam minimè, quoniam priuationē importat: ōis aūt priuatio importat imperfectionem, quæ Deo nullo modo conuenire potest; ergo Deus non est vnus.

Respondetur. Vnum quod conuertitur cum ente de Deo prædicatur, & licet in Deo nulla sit secundum se priuatio, attamen à nobis nequaquam cognoscitur, nisi per modum priuationis, & remotionis, & ideo priuatio in Deo ponitur solummodo ratione nostræ apprehensionis, & de Deo prædicatur, quocirca dicimus Deum esse incorporeū, infinitum, & etiam vnum.

Deum esse maximè vnum demonstratur, ad mentem Aristotelis. Cap. 35.

NOn tantum fatemur ad aures Aristotel. Deum esse vnum, verum etiā maximè vnum, quod sic ostenditur; Docetur 5. Metaphy. tex. 11. rationem essentialem vnius esse ens indiuisum; ergo illud est maximè vnum, quod est maximè ens, & maxime indiuisum: at Deus est maxime ens, & maximè indiuisus: ergo Deus est maximè vnus. Quod autem Deus sit maximum ens, patet ex c. 25. vbi demōstratū est, Deum esse infinitū secūdū essentiā, & secūdū substantiā suā. Quod vero sit maxime indiuisus patet, quia Deus est simplicissimus, vt probatum est superius à c. 9. vsquè ad 15. & ex consequenti non potest diuidi actu, nequè potentia.

Deinde Aris. 5. Met. tex. ij. Illa sunt maximè vnum, quæ sunt maxime indiuisibilia secundum substantiā, sed Deus est omnino indiuisibilis secūdū substātiā; quia omnia, quæ sunt ī Deo, sunt Deus: nullaquè est distinctio realis, sicut in cęteris creatis; nam ibi saltem est distinctio accidentis, & subiecti, vt diffusissime declaratū est in superioribus; ergo Deus est maximè vnus.

Contra hanc veritatem arguitur de mēte Aris. sicut quod est bonum per essentiā, est maximè bonū, ita quod vnū est per essentiā, est maximè vnū: sed per Arist. 4. Met. tex. 3. omne ens est vnum per essentiā suam; ergo omne ens est maximè vnum, ergo Deus non est magis vnus, quam alia entia.

Respondetur. Licet omne ens sit vnū per suā essētiā; verūtā substātia nō ęqualiter se habet ad vnitatē causandā, cū aliquorū substantia sit ex multis composita; aliquorum autem minimè, & ideo prima propositio absolutè falsa est.

DE

DE DEI NOMI-nibus ad aures Arist.

Deus à nobis, ex creaturis nominatur, per Aristotelem.

Cap. 36.

CVm vnumquodquè à nobis nominetur, quatenus à nobis cognoscitur. Et vsquè modo ea, quæ ad diuinam spectant perfectionē considerauerimus: idcircò aggrediendа est nominum consideratio, ad diuinam perfectionem pertinentium, & primò statuendum est, Deum à nobis nominari posse, inquantum ex creaturis ipsum cognoscimus. Hæcque veritas bifariam ad aures Aristot. demonstratur. Primò hoc modo. Docet ipse primo Periher. cap. primo, voces, & nomina esse signa intellectuum, & intellectus esse rerum similitudines dicens, *sunt ergo ea, quæ sunt in voce, earum quæ sunt in anima passionum notæ.* Hęc Aristot. Ex quibus verbis apertè colligitur voces, & nomina ad res significandas mediante intellectus conceptione referri, ex consequēti vnumquodquè à nobis nominatur, sicut à nostro intellectu cognoscitur, at Deus sin Aristot. à nostro intellectu ex creaturis cognoscitur, vt clarum est ex toto 8. Phys. & ex toto 12. Met. Nam ex motu ęterno ex intelligibili, & appetibili, ex intelligentijs, & rerum causalitate &c. cognitus fuit Deus ab Aristotel. ergo secundum ipsum Deus ex creaturis nominādus est. Nomina itaque Deo conueniunt ex creaturis.

Secundò Aristot. 12. Metap. nominat Deum, appellans ipsum substantiam primam, simplicem, vt patet tex. 37. Primum mouens omninò immobile, ens actu, primum principium, vt videre est, in tex. sequenti. Mirabilem, animal sempiternum, & optimum, vt manifestum est ex tex. 39. Et in tex. 52. appellat ipsū, bonum, optimum, & finem totius vniuersi extrinsecum. Et tandem in text. vltimo ipsum nominat Principem. Ex quibus omnibus colligitur ad mentem Aristot. nomina Deo conuenire.

Pro maiori intelligentia huius doctrinę Peripateticę, notanda est doctrina D. Thom. prima p. quæst. 13. arti primo ad secundum, quæ talis est. Quoniā ex creaturis in Dei peruenimus cognitionem, eumq; è ex ipsis nominamus; idcircò nomina, quæ Deo attribuimus, eò modo significant, quo materialibus creaturis conueniunt, quarum cognitio nobis naturalis est. Et quoniā in his creaturis materialibus ea, quæ sunt perfecta, & subsistentia, sunt composita; forma verò nō est aliquid completum subsistens, sed magis quo aliquid est, quapropter omnia nomina à nobis ad significandum aliquid completum subsistēs, imposita, in concreto significant, quatenus compositis competit. Nomina vero, quæ ad significandas simplices formas imponuntur, minimè aliquid subsistens significant, sed vt quo aliquid est, sicut albedo significat, vt quo aliquid est album: quia itaquè Deus, & simplex est, & subsistens est, ideò ei attribuimus, & simplicia nomina, & nomina abstracta, ad eius simplicitatem significandam: Et nomina concreta ad significandam eius subsistentiam; vtraquè tamen nomina ab ipsius modo deficiunt, sicut etiam intellectus noster in hac vita nequaquam Deum cognoscit sicuti est.

Contra hanc veritatem ita potest argui. Nomina secundum Grammaticos significant substantiā cum qualitate, verba autem significant cum tempore secundum Aristo. primo Periher. cap. secundo. Itidem participia. Pronomina autem cum demonstratione, vel relatione: at nil horum Deo conuenit; quoniam Deus est sine qualitate, sine omni accidente, sine tempore; sentiri non potest, vt demonstrari possit, nec relatiuè significari, cum relatiua sint aliquorum antedictorum recordatiua, vel nominū,

vel

vel pronominum demonstratiuorum, vel participiorum; ergo Deus nullo modo à nobis nominari potest.

Respondetur. Nomen significare substantiam cum qualitate, est significare suppositum cum natura, vel formā determinatā, in qua subsistit: idcircò quemadmodum aliqua de Deo prædicātur in concreto, ad perfectionem ipsius, & substantiam significandam, ita dicuntur de Deo nomina substantiam cum qualitate significantia. Verba autem, & participia tempus consignificantia de Deo dicuntur, ex eo quoniam æternitas omne tempus includit. Pronomina verò demonstratiua de ipso dicuntur, vt demonstrationem faciunt ad id, quod intelligitur, non autem ad id, quod sentitur: qua de re secundum illum modum, quo nomina, participia, & pronomina demonstrātur, de Deo dicuntur: secundum hoc, Deus significari potest pronominibus, relatiuisquè nominibus.

Nomina positiua absolutè dicuntur de Deo substantialiter, secundum Aristotelem.

Cap. 37.

CVm nomina, quæ de Deo dicuntur, in multiplici sint discrimine, & non eodem modo de Deo dicantur, explorandum est; quonam modo de Deo dicantur, & præsertim determinādum est, nomina positiua absoluta dici de Deo substantialiter. Et pro huius difficultatis dilucidatione duo agēda sunt; primò quatuor fundamenta supponenda sunt; deinde duabus conclusionibus difficultati respondendum est.

Quò ad primum. Primum fundamentum. Sciendum est nomina, quæ de Deo prædicantur in triplici esse discrimine. Quædam sunt negatiua, vt infinitus, immensus, incorporeus &c. Quędam relatiua, vt Dominus, finis, efficiēs. Quędam absoluta positiua, vt ens, intelligens, sapiens, viuens &c. In præsenti speculatione habemus sermonem, de nominibus positiuis absolutis, licet etiam de alijs sermo habendus sit, secūdariò tamen.

Secundum. Considerandum est, nomen duplex significatum habere posse; alterum formale, quod est primarium; alterum est secundarium, quod est id, quod copulatur, aut quod supponit. In præsenti sermo est de formali significato.

Tertium. Sciendum est, hoc loci, substantialiter, sumi, vt distinguitur contrà accidentaliter; attamen vocamus accidens omne, quod est extrà rei essentiam, siue sit prædicatum proprij quarti modi, siuè sit accidens prædicatum, vnde homo, animal, rationale, dicuntur prædicata Petri substantialia, album, musicum, risibile, disciplinabile sunt prædicata Petri accidentalia.

Quartum. Aduertendum est, dici, seu prædicari nil aliud esse, quam attribui, ideò idem dictu prorsus est, aliqua nomina dici, seu prædicari de Deo, & aliqua nomina Deo attribui. Hæc de primo.

Quò ad secundum. Istis declaratis, hanc difficultatem duabus absoluimus conclusionibus. Prima conclusio: Nomina positiua absoluta dicuntur de Deo substantialiter imperfectè tamen. Quæ ita demonstratur ad aures Aristot. Nomina Deum significant, vt est à nostro intellectu cognitus, vt clarè constat ex primo Periher. quoniam voces sunt eorum, quæ sunt in anima passionum notę; ergo nomina Deū significāt, vt est cognitus, & representatus ex creaturis, eisquè assimilatur; hæc consequentia clara est ex eo; quoniam (vt declaratum fuit in præcedenti capite) Deus non est cognitus nisi ex creaturis, cum omnis nostra cognitio à sensu ortum habeat, nilquè sit in intellectu, nisi prius fuerit in sensu, vt docetur secundo Poster. cap. vltimo, & primo Metaph in Proemio, & tertio de Anima tex. 30. vbi docetur, intellectum nostrum nil sine Phantasmate intelligere. Tunc vltrà; at creatu-

rae

ræ Deum perfectè minimè represen-tare possunt: verum modo imperfe-ctissimo; quoniam vt probatum est in superioribus. Deus est infinitus, omnes què, & infinitas cõtinens perfectiones: ergo creaturæ Deum representant, eiq. assimilantur, vt est supereminens principium; cuius forma, seu essentia ab ipsis creaturis valdè defectiuè participatur, ac per hoc, quod quid est cuiuscunquè creaturæ est quædam diminutissima similitudo diuinę substantiæ simplicissimę, ergo diuina substantia à creaturis, valdè imperfectè participatur, representatur, cognoscitur, significatur, & nominatur: ergo nomina positiua Deo attribuuntur, de eoquè prædicantur, substantialiterquè dicuntur modo declarato. Vltima consequentia notissima est.

Secunda conclusio. Nomina negatiua & relatiua de Deo minimè substantialiter prædicantur secundum Aristo. quæ ita probatur. Nomina quæ substã tialiter de Deo prædicantur. Dei substã tiam exprimunt: at nomina negatiua nõ exprimunt substantiam, sed negationem, & nomina relatiua itidem non substantiam, sed relationem exprimunt: ergo huiusmodi nomina non prædicantur de Deo substantialiter. Maior propositio nota est, tùm ex terminis, tũ ex declaratis: minor autẽ quò ad primam partem aperta est ex post prædicamentis, & 5. Met. tex. 27. quò ad secundam partem nota est, tùm ex Prædicamento ad aliquid tùm ex 5. Metap. text. 20.

Tale insurgit argumentum contra hanc doctrinam. Vt ex assertis in pręsenti patens est, secundum hoc à nobis aliquid nominatur, sm̃ quod intelligitur, sed Deus in præsenti vita secundum suã substantiam à nobis minimè intelligitur: ergo nec aliquod nomen ad significandam Dei substantiam, à nobis impositum est.

Respondemus, & imus inficias minorẽ vniuersaliter, & absolutè: quoniã licet essentiam Dei, in hac vita secundum quod in se est, minimè cognoscamus: veruntamen eam cognoscimus, quatenus in creaturarum perfectionibus representatur, quo pacto nomina à nobis imposita ipsam significant.

Aliqua nomina Deo attributa propriè, & magis, & prius dicuntur de Deo quò ad rem significatam, nulla autem quò ad modum significandi, secundum Aristotelẽ.

Cap. 38.

ETsi nulla nomina Deo attributa, quoad modum significandi propriè de Deo dicantur, aliqua tamẽ propriè, & magis, & prius de Deo dicũtur quò ad rem significatam: Verum antequam veritas hæc demonstretur, duo sunt supponenda. Primum. Propriè apud Philosop. duobus sumitur modis: altero modo, vt contra commune secernitur, quo pacto, animal de homine minimè propriè dicitur, cum alijs conueueniat: altero modo, vt seiungitur contrà Metaphoricè, & hoc modo, animal dicitur de homine, florere autem non propriè, sed Metaphorice de homine: qua de re propriè dici est, nominis significatum in eo inueniri, de quo dicitur secundum se. Metaphoricè autem est, nominis significatum in eo inueniri, de quo secundum suam similitudinem dicitur, hoc loci, sumitur propriè, vt contra Metaphoricè distinguitur.

Secundum suppositum est, quædam distinctio. In nominibus Deo attributis duo consideranda sunt: alterum est perfectio: alterum est significãdi modus, quæ distinctio ità demonstratur, ad mentem Aristo. Perfectiones à Deo in creaturas procedentes, sunt modo eminentiori in Deo, quam in creaturis, vt demonstratum est capit. 20. ergo iste perfectiones à Deo in creaturas procedentes, in se, hęc duo habent, scilicet, ipsam

ām perfectionē, & modum essendi; sed nos Deum cognoscimus ex his perfectionib. secundum modum quo in creaturis sūt; ergo nostri conceptus ita se habēt proportionaliter rē conceptā, & modum concipiendi (non rei cōceptę, quę est res diuina) ipsius conceptus, qui tū modus ipsius conceptus à modo rei cōceptæ deriuatur.

Istis suppositis demōstratur ad aures Arist. aliqua noīa d̄ Deo dicta propriè, & magis, & prius dici, quò ad rē significatā, nulla autem quò ad modum significandi. Et primò suadetur, aliqua noīa de Deo dicta quò ad rē significatam, vt sapiens, uiuens &c. propriè, & magis, & prius dici de Deo, q̄ de creaturis, hocq; ità demonstratur. Docetur 2. Met. text. 4. Vnumquodq; quod est aliorum causa est maximè tale, ex consequēti nedum est propriè, & magis tale, verum etiā est maximè tale. Et in Pręd icamētis capite de Priori asseritur, causam esse priorē cāto: at Deus est prima oīum cā, vt explanabitur in tractatu de creatione: ergo aliqua noīa de Deo dicta, vt sapiēs, viuens &c. propriè, & magis, & prius Deo attribuuntur quò ad rem significatam, quam creaturis.

Deindè probatur, nulla nomina quò ad significandi modum de Deo prędicari. Modus creaturarum: minimè Deo conuenit; quoniam Deus est suum esse, sua essentia, omnisquè sua perfectio, vt demōstratum est ad mentem Aristo. cap. 10. & vndecimo: creatura autem nō est sua essentia, nec suum esse, nec sua perfectio, vt ostēsum est in 2. lib. de intelligentijs ad aures Arist. ergo modus essendi, & significādi noīum creaturarum minimè Deo conuenit; verum oīum nominum modus Deo attributorum est modus proprius nominum creaturarum, cum Deum cognoscamus ex creaturis, ut sup. ostensū est c. 36. ergo nulla nomina quò ad significādi modum de Deo dicuntur.

Contra hanc veritatem ità arguitur suadēdo nulla nomina dici de Deo propriè. Omnia nomina, quæ dicuntur de Deo, sunt à creaturis accepta, ut iam probatum est: sed noīa creaturarum de Deo Metaphoricè dicuntur, ut cum dr̄ Deus est leo, Deus est lapis, & id genus: ergo nomina Deo attributa Metaphoricè dicuntur.

Negatur minor vniuersaliter: q̄m non omnia nīa dr̄ de Deo Metaphoricè; verum quędam Metaphoricè, & quędā propriè; nam quædam sunt noīa, quæ perfectiones à Deo, in res creatas procedētes significāt tali pacto, vt modus ipse imperfectus, quo diuina pfectio à creatura participatur, in ipso noīs significato includatur: sicut lapis significat aliq̄d naturaliter ens, & hmōi nomina Deo attribui nō pn̄t, nisi Metaphoricè. Quędam verò nomina sunt, quæ ipsas perfectiones absolutè significāt, sine hoc, q̄d aliquis modus participandi in eorum significato claudatur, vt ens, uiuēs, sapiēs, & id genus; & talia nomina prædicantur de Deo, nedum propriè, sed etiam magis, & maximè, & prius.

Nomina, quæ Deo attribuuntur, non sunt synonima, ad mentē Arist. Cap. 39.

NE autem in dictis Arist. superfluitatē, & nugationem ponamus, suadēdum est nomina Deo attributa nequaq̄ esse synonima: quę ueritas tali demōstratione, ad aures Arist. suadet. Ex assertis in trib. præcedentib. capitib. Noster intellectus ex creaturis Deum conspicit: quocircà nostræ de Deo, cōceptiones, sunt pfectionib. à Deo in creaturas, pcedētib. proportionatę, sed idē Deus realiter unus, omnino simplex à multis in esse reali perfectionib. representatur: ergo conceptiones, de Deo sunt multę, uarię, & diuersæ, sicut & perfectiones, in creaturis repertæ, sunt multę, uarię, & diuersę: tunc ultra sed cōceptio ē ipsa nominis rō, ut ex primo Perih. constat, q auoces, seu noīa sunt signa passionū, hoc est, aīę cōceptionum, sm̄ oium

expositionē,& 4.Met.tex. 28. asseritur rē, quā significat nomē, esse diffinitionē, ex consequenti esse conceptionē, cum diffinitio sit nominis ratio, mediante conceptione; ergo rōnes nominū, quas noster intellectus de Deo concipit, sunt multæ, variæ, & diuersæ; ergo noīa de Deo dicta, seu Deo attributa nō sunt synonima. Ista vltima cōsequētia suadet ex rōne noīum synonimorū qa illa sūt synonima, quæ eādē oīnò rōnē hñt, vt vestis, & indumētū; ergo illa noīa nō sūt synonima, quæ diuersas habent rōnes.

Tria sunt argumēta cōtra hāc veritatē. Primū tale est. Magis est vnū, qđ est re, & rōne vnū, q̃ qđ est vnū re, & multiplex ratione; at Deus, vt demōstratū est superius, ē maximè vnus; ergo est vnus re, & rōne, non autem multiplex rōne: ergo nomina Deo attributa, diuersas rationes minimè significant.

Rñdemus, & ad maiorē asserimus pluralitatē rōnū formaliū, ex duob. oriri posse, vno mō ex diuersitate in re, reperta; & ità conceditr maior, sed negatr minor; alio mō, dicimus cōceptuū pluralitatem posse oriri, ex summa vnitate, infinitate obiecti, & finitate intellectus creati, nō potētis, vnico cōceptu, summā infinitāq; obiecti vnitatē cōcipere, verū pluribus indiget cōceptib. ad intelligēdū illud obiectū infinitū, & sūmè vnū, qualis est Deus. Idcirò Deus est obiectū infinitū corrñdens plurib. imò infinitis cōceptib. nostris, & in illo sensu maior assumpta negatur.

Secundum argumentum. Synonima sunt nomina, quæ oīnò idē significāt, sed illa noīa, Deo attributa oīnò idē significāt, cū Dei bonitas sit eius essentia, eiusquè sapientia; ergo illa nomina omnino synonima sunt.

Rñdetur. Maiorem esse ità interpretādā, Synonima sunt nomina, quæ omninò idē significant, sm̄ eūdē conceptū; sed tunc negatur minor, quia vt assertū est, significat vnū, & eundē Deum, secūdū diuersos tñ cōceptus, secūdúq; diuersas rationes, nomina aūt, quę significāt diuersas vnius rei rationes, nō significāt vnū primum, & per se; quoniā nomen non significat nisi mediante intellectus conceptione, ex cōsequēti, vbi sunt diuersæ conceptiones diuersęq; rationes formales, ibi sunt diuersa primò, & per se nominum significata, & ideò illa nomina non sunt synonima.

Tertium argumentū militat cōtra responsionē ad secūdū, & conclusionē simul. Ratio, cui non corrñdet aliquid in re, vana est; si ergo istę rationes sunt multæ, & res est vna; ergo istæ rationes vanæ videntur.

Rñdemus, admittēdo antecedēs. Verū negatr cōsequētia, qñquidē illis multis conceptionib. corrñdet vna res infinita, multipliciter intelligibilis, multipliciterq; repræsentabilis oīb. illis conceptionib. eminenter corrñdens; pluralitati aūt cōceptuū, nō rñdet in re pluralitas nisi virtualiter, & eminēter, quę eminētia vnitè cōtinet, qđ diuisim ab intellectu creato apprehēditur; quapp arguere ex distinctione conceptuū, ad rei obiectę distinctionē, est arguere ex effectuū distinctione ad causæ distinctionē, qđ esse absonū clarū est, quia cū multitudine, & distinctione effectuū stat causę vnitas.

Argumenta Scoti, quibus suadet nomina dicta de Deo, & creaturis esse vniuoca. Cap. 40.

HOc in loco videndum est, quonā modo nomina, quæ de Deo, & creaturis prædicantur vniuocè, an ęquiuocè, an verò analogicè prędicētur, & determinandū est, hmōi nomina, analogicè tm̄ prædicari, sed primò resoluendū est vniuocè non prædicari, pro quo tria agenda sunt. Primò adducemus argumēta Scoti, quib. suadet hæc noīa esse vniuoca. Secundò adducemus demōstrationes demonstrātes huiusmodi nomina, non esse vniuoca. Tertiò dabimus responsa ad Scoti argumenta.

Primū Scoti argm̄ Arist. 2. Met. tex. 4. probans cām entitatis, & veritatis esse maximū ens, & maximū verū; hanc assumit propositionē, vnūqdq; maximè ipsum

ipsum aliorũ dr̃, secundũ qđ alijs inest vniuocatio;ergo secundũ Arist. ens dr̃ vniuocè de causa entitatis, & de alijs, hoc est de Deo,& creaturis.

Secundum, si ens, nõ est vniuocũ Deo, & creaturis;ergo Deus nõ est à nobis naturaliter cognoscibilis aliquo cõceptu simplici, cõsequẽs,est cõt. Aris.doctrinã 8.phys.& 12.Met.ergo antecedẽs est cõtra Arist.consequẽtia ita suadetur. Nullus conceptus est naturaliter in nr̃o intellectus producibilis,qui nõ contineatur essentialiter,vel virtualiter in obiecto,in Phantasmate relucente, sed conceptus,non vniuocus Deo, & obiecto, in Phantasmatib. relucenti,est nõ contẽtus,tam essentialiter, q̃ virtualiter in obiecto in Phantasmatib. relucenti:ergo nullus cõceptus est in nr̃o intellectu producibilis, nisi sit Deo,& obiecto relucẽti in Phantasmate vniuocus,sed obiectũ in Phãtasmate relucens est creatura;ergo conceptus simplex,quẽ de Deo habemus ẽ Deo,& creaturæ vniuocus. Maior manifesta, minor ità manifestè suadetur. Obiectũ creatũ, non cõtinet in se essentialiter, increatũ obiectũ,vt de se notũ est,nec virtualiter; qm̃ prius in posteriori minime virtualiter includitur,sed econuerso.

Tertio. Oĩs inquisitio Metaphysicalis de Deo,procedit considerãdo rõnẽ formalẽ alicuius creaturę, & auferẽdo ab ea imperfectionẽ,q̃ habet in creaturis, & reseruando illã rõnem formalẽ,& attribuẽdo sibi oĩnò summã perfectionẽ, illãque in Deo ponendo;ergo omnis inquisitio de Deo supponit illum intellectum habere conceptum eundem vniuocum,quẽ ex creaturis accipit.

Quartum:comparatio est aliqualiter in vniuoco,ex 7. Phys.sed inter Deũ,& creaturã est aliqua cõparatio;ergo &c.

Istis Scoti argumẽtis etiam addere possumus. Secundũ Arist.10. Met text. Mensura est homogenea mensurato, at Deus est prima omniũ entiũ mensura, vt dr̃ tex.2.eiusdẽ libri;ergo Deus est homogeneus creaturis;ergo aliqđ nomẽ de Deo,& de creaturis vniuocè dici põt.

Nomina Deo, & creaturis attributa non sun vniuoca de mente Arist. Cap. 41.

QVò ad secundũ. In hac secũda parte determinãda est,ista cõclusio cõtra Scotũ.Nomina,quę de Deo,& creaturis prædicãtur,nõ sunt vniuoca, quę conclusio quatuor rõnibus demonstranda est,ad mentem Arist.

Prima rõ est hoc modo ordinãda,primò vnũ fundm̃ ponendũ est,qđ erit antecedẽs,deinde formãda est.Fundm̃ primo supponẽdũ, qđ erit antecedens in ista rõne tale,est. Creaturę diuisim,& distinctè perfectiones,q̃ in Deo sunt vnitę partecipãt. Hoc antecedẽs primo declarandũ est. Subinde demonstrandũ. Declaratur itaq; hoc modo. Perfectiones namq; quę in creaturis inueniũtur, puta,sapientia,iustitia,& id genus, sũt reipsa, & formaliter distinctæ, alia.n. est realitas sapiẽtię,a iustitię realitate,itidẽ alia est rõ formalis sapiẽtię, à rõne formali iustitiæ. Istę aũt perfectiones,in Deo repertę,secundũ se non distinguũtur realiter,nec formaliter,licet formaliter,quò ad nos distinguantur,& ideo in Deo realitas,& rõ formalis sapiẽtię, sm̃ se est ipsa,& alię realitates,aliæq; rõnes formales:imò,vt subtilius loquamur rõ, & realitas sapiẽtię,nõ est ipsa, nec aliæ realitates,rõnesq; formales,verũ ẽ quædã rõ formalis, & entitas altior phabẽs eminenter,& formaliter oẽs simpliciter perfectiones: quocircà, si quæratur, qđ est homo inquantũ sapiens.responsum dabitur hominẽ esse ordinatiuũ,vel aliqđ hmõi;si aũt sciscitetur,quid ẽ Deus, inquãtum sapiens. Respondendũ est esse aliquid præhabens eminẽter, & formaliter esse ordinatiuum.

Quod aũt doctrina hęc sit ad aures Arist. trifariã suadetur,& ista erit probatio,huius fundamẽti, qđ erit antecedẽs, in ista prima rõne. Primo docet 2.Phys. tex.70. formã vniuoci agentis esse eãdẽ, sm̃ speciẽ,cũ forma effectus, formã aũt agẽtis ęquiuoci,seu vniuersalis(secũdũ

D. Th. expositionē) non esse eadē secūdū speciē cū effectus forma; verū hmói effectus agētis vniuersalis, seu æquiuoci participat solūmodo aliq̄ similitudinē ipsis vniuersalis agētis inquātū participari possūt, vt constat in his, quæ à sole gñantur, & hāc doctrinā innuit, & docuit Aristo. qñ in citato tex. affirmauit, cām agentis formalē, & finalē multoties coincidere in eandē cām secundū speciem, nō aūt semper hoc euenit, pp agens, & vniuersale, & æquiuocū, vt eo loci, D. Th. adnotauit. At tunc subsumitur minor propositio: sed Deus est causa oium creaturarū vniuersalis, vt docetur in materia de creatione; ergo creaturæ diuisim, & distinctè perfectiones, quæ in Deo vnitæ reperiuntur participāt. Secundò illud fundamentū, quod erit antecedens primæ rōnis expresse docet Aristo. 12. Metaph. tex. 52. vbi ait, in singulis vniuersi partib. bonum reperiri particulare, in Deo aūt bonum cōe. Tertio demōstratur hoc suppositum ex dictis in cap. 20. vbi ostēsum est in Deo omnes rerum perfectiones, in vna Dei essentia inueniri, & in cap. 25. demonstratū est, Deum esse infinitæ perfectionis substantialis, ac per hoc necesse est, vt vnitè, & eminenter omnes perfectiones diuisim in creaturis repertas, contineat.

Hoc supposito demōstrato, ita prima formatur rō pro nostra conclusione, sumendo hoc fundamētum pro antecedēte. Creaturæ participāt diuisim, & distinctè perfectiones, quæ in Deo sunt vnitæ; ergo perfectiones in Deo, & in creaturis repertæ eandē rōnē minimè hñt, cū in Deo sint vnitè, & in creaturis distinctè; ergo noīa Deo, & creaturis communia, has perfectiones importantia, non sunt vniuoca: ista consequētia suadetur ex vniuocorū diffinitione ab Aristo. in antepraedicamētis tradita. *Vniuoca enim sunt quorum nomen commune est, & eadē ratio.* ergo & nomina, quæ diuersas habent rationes, non sunt vniuoca.

Secunda rō. Omne quod de pluribus vniuocè prædicatur vel est genus, vel species, vel differētia, vel propriū, vel accidens; at in Deo nihil prædicatur, vt genus, nec vt differētia, vt cōstat ex assertis in c. 12. & 13. nec vt species, cum species ex gñe, & differētia cōstituatur; nec vt accidens siuè propriū, siuè cōmune, vt sup. c. 14. monstratū est; ergo nil de Deo, & creaturis demonstratum, vniuocè prædicatur.

Ad hanc rationē nil aliud rñderi potest, q̄ affirmare primā propositionē esse mancam; qm̄ ens prædicatur vniuocè, & tamen nō est vnū illorū. Verum rñsio hæc nulla est; qm̄ si ens de pluribus vniuocè prædicaretur, & cū prædicetur de plurib. differentibus specie ī eo quod quid, tunc ens esset genus contra Arist. 3. Met. text. 7. Consequētia probatur ex generis diffinitione ab Arist. primò Topicorū c. 4. tradita. *Nam genus est, quod vniuocè prædicatur de pluribus specie differentib. in eo, quod quid.*

Tertia rō. Quod vniuocè de pluribus prædicatur est simplicius illis, de quib. prædicatur saltem secūdū intellectū, & rō est; qm̄ vniuocata addūt aliquid rōni eius, quod de illis vniuocatis prædicatur; sicut homo, leo, & c. addunt aīalis rōni, quod de illis vniuocè prædicatur; puta, homo addit rōnalitatē, leo irrōnalitatē, & ideo, animal est simplicius homine leone & c. & ista est nois vniuoci rō. Tunc subsumitur alia propositio: at Deo nihil est simplicius etiam secūdū intellectū, cum sit oium simplicissimus, vt sup. c. 15. ostensum est: ergo non pōt esse aliquod nomē vniuocū, qđ de Deo, & creaturis prædicetur.

Quarta rō. Omne quod de pluribus vniuocè p̄dicatur, cuilibet eorū de quo prædicatur cōuenit per participationē; etenim speciē dr̄ genus participare, vt docet Arist. 4. Top. c. 1. & 2. at de Deo nihil dr̄ per participationē; qm̄ quod est tale per participationē est secūdū partē, ex consequēti nō est sm̄ oēm perfectionis modum: Deus aūt est perfectus sm̄ oēm modum perfectionis, vt assertum est ca. 20. & 25. ergo de Deo, & de creaturis aliqđ nomē vniuocè minimè prædicatur.

Vil-

Diluuntur rationes Capitis 40.

Cap. 42.

EX istis facilè damus responsa ad argumenta Scoti superius adducta cap. 40. Veruntamen prius aduertẽdũ est, si Scotus non asseruisset de vniuocis ratione esse, vt vniuocum dicat pręcisum conceptum, cum exposuisset, quid esset vniuocum, astruens illud esse vniuocum, quod fundare contradictionem potest, conueniremus cum ipso asserentes etiam nos, esse vniuocum; at quoniam nos docemus ens, conceptum præcisum minimè præseferre, licet, contradictionem fundet; idcircò soluenda sunt sua argumenra, & ideo ad primum asserimus Aristote. eò loci appellasse analogum nomine vniuoco, & ratio est; quoniam secundum ipsius doctrinam 5. Phy. tex. 6. medium altero extremorum comparatũ, inducit alterius extremi rationem, vt color fuscus nigro colori comparatus dicitur albus, & ideo analogum æquiuoco comparatum, quod diuersas simpliciter dicit rationes vniuocum est ab Aristo. nuncupatum, eò loci, quandoquidem ibi analogo vtebatur secundum illud, quod habet de vnitate, cum ad verificandam illam maximam in argumento adductam necesse est, vt effectus aliquo modo cum illa causa, conueniat.

Ad secundum autumamus, si sermo sit de conceptu Dei adæquato consequens admittimus: qm̃ nos, non possumus ex creaturis, conceptum aliquem habere adęquatum de Deo, nec de aliqua eius perfectione, vt docet D. Tho. prima p. q. 13. art. 5. cum hoc nomen sapiens de Deo dicitur relinquit rem significatam, vt incomprehensam, & nominis significatum excedentem neque hoc est contra Aristote. quoniam nunquam dixit nos habere conceptum adęquatum de Deo, immo docuit oppositum secundo Mat. tex. 1. asserẽs nr̃um intellectũ se hr̃e ad manifestissima naturę, sicut se habẽt oculi Nicticoracũ, ad diei lucẽ. Si autem sermo sit, de conceptu imperfecto, & inadęquato Dei, inficiamur cõsequentiam, & ad eius probationem negamus maiorem absolutè tanquam insufficientem, cum detur triplex modus continendi, scilicet, essentialiter, virtualiter, & participatiuè, & hoc tertio modo effectus causam in se continet.

Ad tertium, Imus inficias consequentiam; quoniam satis est, illum intellectum habere eundem conceptum proportionalem.

Ad quartum, dicimus comparationem etiam fieri ĩ analogo, vt declarauit Caiet. in libello de nominũ analogia c. 8. ad aures etiam Arist. loquendo de comparatione Methaphysica, licet loquendo de Physica comparatione, fiat comparatio tantum in vniuoco, & Aristo. in Phys. Physicè loquebatur.

Ad quintum, dicitur Aristo. loqui in tex. 4. citato de mensura proportionata, dum asserit mensuram esse mensurato homogęneam, in tex. autem secundo sermonem habebat de omni mensura, siuè proportionata siuè improportionata Hæcquè responsio est D. Tho. 1. p. q. 13. ar. 5. ad tertium.

Nomina quæ de Deo, & creaturis prædicantur non esse purè æquiuoca ad mentem Arist. demonstratur. *Cap. 43.*

QVemadmodũ noı̃a dicta de Deo, & creaturis, non sunt vniuoca, pari modo asserẽdũ est, non esse purè ęquiuoca. Dixerim aũt purè ęquiuoca, & nõ absolutè ęquiuoca, sed cum limitatione purè ęquiuoca: quoniã analoga (quæ de Deo, & creaturis prædicantur vt dicemus in sequenti capite) sunt verè ęquiuoca, quæ in ante prædicamentis describuntur, sed non sunt purè ęquiuoca. Et pro maiori huius doctrinę dilucidatione aı̃aduertẽdũ est, ęquiuoca esse ĩ duplici discrimine, quę-

dam sunt, quorum nomen est commune, & ratio secundum illud nomen est totaliter diuersa, & ista vocantur purè ęquiuocà, & appellantur etiam ęquiuoca à casu; quoniam impositum est illis nomē à diuersis ad diuersa significāda, non ex aliqua similitudine vnius ad alterum, sed quia ità accidit, & ideò dicuntur ęquiuoca à casu, & hanc rationem docet D. Thom. primo contra gen. cap. 33. & de istis in præsenti cap. habemus sermonem; quædam autem sunt æquiuoca, quorum nomen commune est, & ratio secundum illud nomē, partim est eadem, partim diuersa, idcircò non est totaliter diuersa, vt euenit in primis æquiuocis. & ista appellantur analoga, & æquiuoca à consilio, & ratio est, quia ista ęquiuoca ità se habent, vt importent vnum, cum similitudine ad alterum, & nominis impositor similitudinem proportionalem inter illa considerans, quodam consilio, & quadam ratione, ea eodē nomine nominauit. Quod autem sub diffinitione æquiuocorum ab Aristot. tradita ista duo æquiuocorū genera contineantur, facile est intueri illum videntibus textum. Diffinit enim æquiuoca in communi, vt prædicātur de omnibus æquiuocis, siuè à consilio, siuè à casu, & de æquiuocis à casu nulli dubium est, & de æquiuocis à consilio ex suo exemplo conspicuum est, asserit enim hominem verum, hominēquè pictum esse æquiuoca, constat autem, ista esse æquiuoca à consilio; quoniam non habent rationem totaliter diuersam, sed tantum diuersam secundū habitudinem diuersam ad vnum terminum, scilicet, animal rationale, eandem autem secundum vnum terminum, scilicet ipsum animal rationale, vt patet ex eorum rationibus, homo enim verus est animal rationale, homo autem pictus est animalis rationalis imago. Ecce animal rationale esse terminum in quo cōueniunt; verum diuersam habitudinem ad ipsum terminum habent.

Istis declaratis, quatuor rationibus ostenditur proposita conclusio.

Prima ratio. Si nomina dicta de Deo, & creaturis purè æquiuoca essent; ergo ex creaturis nil posset demonstrari, aut cognosci de Deo, sed hoc consequens est contra Aristo. vt constat ex dictis, & probatis in 8. Physic. & in 12. Met ergo & antecedens contra Arist. erit. Consequentia probatur; quoniam in huiusmodi rationibus æquiuocationis fallacia incideret, ex qua fallacia postmodum error, & ignorantia generatur, vt docet secundo Elench. cap. 3.

Secunda ratio. In ęquiuocis à casu nullus ordo, nullusquè respectus vnius ad alterum consideratur; verum omninò per accidens est, vt idem nomen diuersis attribuatur, vt iam explanatum est, cum nomen vni impositum, nequaquam significet, ipsum habere ordinem ad aliud, at in nominibus de Deo, & creaturis dictis cōsideratur ordo causæ, & causati, vel formaliter, vel fundamentaliter, vt expresse habetur 12. Metaph. tex. 38. vbi docetur, Cęlum & naturam, dependere à primo principio Deo; ergo nomina Deo, & creaturis attributa non sunt purè æquiuoca, seu æquiuoca à casu.

Tertia ratio. In purè æquiuocis, vt æquiuoca sint, nulla attenditur similitudo, sed solummodo vnitas nominis, vt ex ipsorum diffinitione manifestū est; sed aliquis similitudinis modus, inter Deum, & creaturas inuenitur; cum inter cām agentem, suumq; effectū aliqua similitudo semper reperiatur, & hoc tam in agente per intellectum, quam in agēte per naturam, cum omne agens, siuè naturale, siue per intellectū sibi simile agat, vt docet Arist. 7. Met tex. 22. 23. & 24. & 12. Met. tex. 13. Deus autē est vniuersalissima oīum causa, vt explicatur ī tractatu de creatione; ergo nomina, quę de Deo, & creaturis prædicantur non sunt purè æquiuoca.

Quarta ratio. Rerum cognitio ex vocibus non dependet, sed ex nominum ratione, & hoc docet Aristo. 7. Met. tex. 20. & 21. vbi docet rerum scientiam haberi, per quod quid erat esse rerum.

Quod

Quod quid erat esse autē diffinitio nuncupatur ab Aristo. secundo Poster. capi. quinto. Diffinitio autem est nominis ratio, vt docetur quarto Metaphys. tex. 28. qua de re de primo ad vltimum cognitio rerum ex nominum rationibus, dependet, non autem ex vocibus, at purè æquiuoca solum modo in vocibus conueniunt, vt ex eorum ratione constat; ergo ex vno purè æquiuoco in alterius ęquiuoci cognitionem deuenire minimè possumus; & ità ex creaturis non possumus in diuinorum cognitione deuenire, quod est contrà Aristo. 8. Physico. & 12. Metaphy. vt iam assertum est, ex creaturis in Dei cognitionem deuenit.

Nomina, quæ prædicantur de Deo, & creaturis analogicè prædicantur, ad mentem Aristotel.

Cap. 44.

QVa de re ex dictis facilimè colligitur à sufficienti diuisione nomina, quæ de Deo, & creaturis prędicantur analogicè prædicari. Verum antequam efficaciori demōstratione probetur duo supponenda sunt, & declaranda, quæ maximè nos conducunt ad hanc obscurissimam veritatem.

Primo itaquè notandum est ex Aristot. doctrina, Analogiam esse in duplici discrimine. Altera est analogia ex vno, vt ab arte Medicinæ aliquis liber dicitur medicinalis, aliquodquè instrumentum medicinale appellatur: vel ad vnum, vt medicina, cibus, labor moderatus sana nuncupātur in ordine ad vnam animalis sanitatem. Et de ista analogia sermonem habet Arist. 4. Met. text. primo, & septimo, tex. 15. Hæcquè vocatur attributionis analogia à latinis, à Græcis autem nuncupatur nomina ex vno, & ad vnum, vt constat ex Aristotel. locis citatis, & ex Ammonio, & Simplicio in expositione descriptionis æquiuocorum traditæ ab Aristotel. in ante prædicamentis. Altera est analogia proportionalitatis, quæ est duarum similitudo proportionum, & hæc secundum Ammonium, est ad minus, inter quatuor terminos; quoniam est duarum ad minus similitudo proportionum; quælibet autem proportio duos habet terminos, vt pes hominis, & pes lectice. Pes dicitur analogicè, quam enim proportionem pes hominis habet ad hominem eādem habet pes lecticæ ad lecticam. Et de ista analogia sermonem habet Aristot. quinto Metap. cap. de vno tex. 12. secundo Poster. cap. 17. & primo Eth. cap. 7. Et hæc analogia est verè, & propriè analogia; & ideò Aristo. nominat analogiam primi modi, non analogiam; sed potius nomina ex vno, vel ad vnū, vt patet in textib. primo adductis. Analogiam autem secundi modi appellat nomine analogiæ, vt videre est in textibus, secundo loco, allatis.

Secundò notandum est, maximum interstitium esse inter primam & secundam analogiam; etenim, quæ sunt analoga secundum primam analogiam ita se habent, vt tantum primum analogatum tale sit formaliter, secundaria autem analogata dicuntur talia secūdum extrinsecam denominationem; vt intueri licet in sanitate; nam animal solum dicitur formaliter, & intrinsecè sanum, alia vero nuncupantur sana tantum extrinseca denominatione; nuncupantur enim sana à sanitate in animali existente; & hanc veritatem docet Aristo. quarto Metaph. tex. primo, & 7. text. 15. Quæ autem sunt analoga secundi modi ita se habent, vt omnia formaliter, & intrinsecè sint talia, vt patet ex Aristote. primo Eth. c. 7. lect. secunda D. Thom. in fine, vbi declarans hanc analogiā docet, ista esse analoga hoc modo, sicut visus in corpore, ità in anima intellectus; constat autem vtrumquè inhęrere formaliter suis subiectis; vnde D. Tho. eò loci, in lectionis calce affirmat, hanc analogiam fieri secundum bonitatem inhęrentem; analogiam autem à casu, seu analogiam ad vnum, seu ex vno (quæ ap-

pellatur analogia attributionis) fieri secundum bonum separatum.

Istis suppositis talis conclusio respondens ponitur, scilicet, nomina Deo, & creaturis attributa sunt analoga, non secundum attributionis analogiam, verum secundum analogiam proportionalitatis. Quæ conclusio primo probatur quò ad vtramquè partem, ad mentem Aristo. auctoritate adducta ex primo Eth. capit. septimo, quæ talis est. *Non est igitur bonum commune, quod secundum vnam ideam, sed qualiter vtiq. dicuntur. Non enim assimilantur à casu æquiuocis, an certe ei quod est ab vno esse, vel ad vnum omnia contendere: Vel magis secundum analogiam, sicut in corpore visus, in anima intellectus, & aliud vtique in alio.* Hæc Aristot. D. Thom. hunc tex. exponens ità scribit. Sic enim ergo dicit, quod bonū dicitur de multis non secundum rationes penitus diuersas, sicut accidit in his, quæ sunt à casu æquiuoca; sed magis secundum analogiam idest, proportionem eandem, inquantum omnia bona dependent ab vno primo bonitatis principio, vel inquantum ordinantur ad vnum finem. Non enim voluit Aristotel. quod illud bonum separatum sit idea, & ratio omnium bonorum; sed principium, & finis. Vel etiam dicuntur omnia bona, magis secundum analogiam idest, proportionem eandem, sicut visus est bonum corporis, & intellectus bonum animæ; ideo hunc tertium modum prefert quia accipitur secundum bonitatem inhærentem: primi autem duo modi secū dum bonitatem separatam, à qua non ita propriè aliquid denominatur. Hæc D. Thom. Ex quibus apparet, licet Diu. Thom. in principio videatur velle attributionis analogiā in hac prædicatione amplecti: tamen in fine ipsam reijcit; quoniam etiam secundum hanc non fit denominatio propriè intrinseca, sed tantum extrinseca. Constat autem omnia creata dici bona intrinsecè, & formaliter.

Ex his omnibus prima formatur ratio, vtramquè partem conclusionis suadens. Bonum est nomen, quod dicitur de Deo, & creaturis; at bonū, quod prædicatur de Deo, & creaturis inhæret intrinsecè Deo, & creaturis vt patet ex auctoritate Aristotel. & expositione D. Thom. ergo nomen bonitatis dicitur de Deo, & creatura secundum analogiam proportionalitatis, non autem attributionis, secundum Arist. & D. Tho. & cum non sit maior ratio de vno nomine, quod dicitur de Deo, & creaturis; quam de alio nomine, cum omnia huiusmodi nominum significata intrinsecè inhæreant nedum Deo, sed etiam creaturis, sequitur omnia dicta de Deo, & creaturis, esse nomina analoga proportionalitatis analogia, non autem attributionis. Ista vltima sequela clara est ex secundo fundamento afferente, nominum significata secundum analogiam proportionalitatis formaliter inhęrere omnibus analogatis: significata autem nominum analogiæ attributionis, tantum in primo analogato intrinsecè reperiri; & ideo nomen analogū attributionis dicitur de alijs denominatione intrinseca.

Secunda ratio. Probat secundam partem conclusionis, quæ est. Nomina dicta de Deo, & creaturis non prædicantur de Deo, & creaturis secundum analogiam attributionis, & est talis. Analogata attributionis habent aliquod vnū tertium prius analogatis; sicut animal medicina, cibus, dicuntur sana per respectum ad sanitatem animalis, quę sanitas saltem secundum intellectum fundamentum in re habētem, est prior omnibus supradictis sanis; at nil est prius Deo etiam secundum intellectum, in re fundamentū habntem; cum sit primū ens, & primū intelligibile secūdū se, vt ex præcedentib. manifestū est, ergo &c.

Tertia ratio probat primā partē cōclusionis. s. Noīa dicta de Deo, & creaturis prædicātur de Deo, & creaturis sm analogiā proportionalitatis, & est talis. Deū nō possumus noīare, nisi ex creaturis; sicut & nō possumus ipsū cognoscere nisi

nisi ex creaturis, vt declaratum est cap. 36. ad aures Arist. ergo nomina Deo, & creaturis communia dicuntur talia secũdum analogiam vnius ad alterum, hoc est creaturæ ad Deum, cum Deus sit causa, creatura autem effectus: ergo dicuntur analoga secundum analogiam proportionalitatis, hæc vltima consequẽtia patet per locum à diffinitione talis analogiæ.

Pro maiori supradictorum claritate aduertendum est, vt ex supradictis constare potest, hunc prędicationis modum esse medium inter puram æquiuocationem, & purum vniuocationem, & hoc conspicuum est, ex ipsorum diffinitionibus: nam pura æquiuoca sunt, quorum nomen est commune, & ratio est totaliter diuersa; pura autem vniuoca sunt quorum nomen est commune, & ratio est totaliter eadem: analoga autem sunt, quorum nomen est commune, & ratio est aliquo modo eadem, & sic participãt de puris vniuocis, & aliquo modo diuersa, & ità cum puris æquiuocis participant.

Nomina methaphoricè dicta, prius de creaturis, quam de Deo dicuntur. Nomina autem propria quo ad rem significatam prius de Deo quàm de creaturis, quo autem ad nominis impositionem prius de creaturis quam de Deo, dicuntur ad aures Arist.

Cap. 45.

OPere preciũ est, hoc loci ꝑ maiori nominum analogatorum intelligẽtia, quæ de Deo, & creaturis prædicantur decernere: An ista nomina analoga, prius de Deo, quam de creaturis dicantur: Et pro huiusmodi determinatione, duo præcipuè peragenda sunt. Primò adducenda est quædam regula, ex qua discernendum est, de quo nomen prius dicatur, & de quo posterius. Secundò duabus conclusionibus respondendum est difficultati.

Quò ad primum. Regula hęc est. Analogum prius dicitur de eo, quod in aliorum diffinitione ponitur, quam de alijs quæ ità demonstratur ad mentem Arist. quarto metha. tex. secundo, & septimo, tex. 15. In omni nomine analogo est vnum, quod à cæteris respicitur, & illud vnum in cęterorum diffinitione collocatur, & hanc veritatem declarat quarto meth. tribus exemplis. Primò exemplo sanitatis, nam omnia sana animalis sanitatem respiciunt, sanitasquè animalis in cęterorum diffinitione sanorũ reponitur Secundò exemplo medicinę; omnia enim medicatiua artem medicinæ in medico existentem, respiciunt, & medicatiua medici in aliorũ diffinitione collocatur. Tertiò exemplo entis: etenim omnia entia substantiã respiciunt substantiaquè in aliorũ diffinitione collocatur, & vide ibi Arist. & expositores, præcipuè D Tho. Tunc vltrà: ergo illud vnum cæteris prius est secundum diffinitionem: ergo secundum rationem prius est cęteris: ergo analogum prius dicitur de eo, quod in aliorum ponitur diffinitione, quã de alijs. Prima consequentia patet; quoniam diffinientia sunt causa diffiniti, vt docet Arist. secundo phys. tex. 72. & 73. & 2. post. cap. 8. causa autẽ suo effectu prior est, vt dicitur ĩ Postprędicamentis in cap. de priori: ergo diffinientia sunt diffinito priora; ergo illud vnum analogum, quod in cæterorum diffinitione ponitur est prius secundum diffinitioné. Secunda consequentia principalis ità probatur. Diffinitio est nominis rõ, vt dr̃ 4. meth. tex. 8 & 2. post. cap. 7. ergo prius secundũ diffinitionẽ est & prius secũdũ rationẽ. Tertia principalis cõsequẽtia nota est ex eo, qñqui em, idẽ dictũ est, analogum prius de eo dici, qđ ponitur in aliorum diffinitione, quàm de alijs; & esse prius secundum rationem, cum analogum, prius cæteris secundum rationem ponatur in aliorum diffinitione, & est prius cæteris.

Quo

Quò ad secundum. Prima conclusio. Nomina Methaphoricè dicta prius dicuntur de creaturis, quàm de Deo, quæ ità suadetur. Analogum prius, dicitur de eo, quod in aliorum diffinitionibus collocatur, quam de alijs, vt iam comprobatum est: at nominum ratio Methaphoricè dictorum, vt dicuntur de Deo, nō potest intelligi absquè eorundem ratione: ergo nomina methaphoricè dicta de Deo prius dicuntur de creaturis, quam de Deo. Minor propositio hoc modo declaratur, Deus dicitur animal, vt patet duodecimo meth. tex. 39. hac ratione, sicut enim vita manifestè in animalibus apparet, ità etiam vita in Deo reperitur, ideò Deus animal nuncupatur, & nos non possumus intelligere hoc nomen animal methaphoricè dici de Deo, nisi prius intelligamus rationem animalis.

Secunda conclusio. Nomina propriè dicta quò ad rem significatam prius dicuntur de Deo, quam de creaturis; quo autem ad nominis impositionem, prius de creaturis, quam de Deo: Quæ probatur quo ad vtramquè partem, & primo quoad primam, hūc in modum. Ista nomina puta sapiens bonus: &c. significāt Deum, vt est essentialiter formaliter bonus, & sapiens, nec non vt est omnium perfectionum creaturarum causa, cum dicantur de Deo substātialiter, & essentialiter, vt probatum est cap. 37. ergo quo ad rem significatam &c. Quo ad secundam partē ita demonstratur. Secundū enim quod cognoscimus aliquid secundum hoc nominamus illud: quoniā nomina sunt signa intellectuum, secundū Arist. primo Periher. cap. 1. at prius creaturas cognoscimus, quàm Deum, vt manifestum est ex assertis in 8. phys. & 12. meth. ergo prius creaturas nominamus, ac per hoc nomina propriè dicta de Deo, & de creaturis, quo ad nominis impositionem, prius de creaturis, quàm de Deo dicuntur.

Deus est nomen naturæ quo ad id, ad quod nomen est impositum, operationis autem quoad id, à quo nomen impositum est de mente Aristotelis.

Cap. 46.

CVm inter alia nomina, quæ propriè de Deo prædicātur, sit hoc nomen Deus, inuestigandum est, an sit nomen naturæ, vt natura contra operationem, & perfectionem distinguitur an vero sit nomē perfectionis, seu operationis. Et pro huiusmodi determinatione duo sunt agenda. Primò quædam distinctio ponenda est. Secundò determinanda est difficultas.

Quo ad primum. Distinctio hæc est. Nomina rerum in duplici sunt discrimine, quædam sunt, quæ idem significant, & quantum ad id, à quo imponuntur, & quantum ad id, ad quod imponuntur: Et ista sunt, quæ secūdum se nobis sunt manifesta, vt calor, frigus &c. Nam ista nomina à substantia imposita fuerunt, & ad substantiam, significandam etiam imposita sunt. Quędam verò sunt, quæ non idem significāt, quoad id, à quo imponūtur, & quò ad id, ad quod significādum imponuntur; sed aliud, & aliud significant, & huiusmodi sunt, quæ per suas operationes, vel per suas proprietates cognoscuntur; non autem per suam essentiam, & ideo, sibi imponuntur nomina, vel ab operationib. vel à proprietatibus; verum non ad significandas operationes, vel proprietates, sed ad substātiā significandam; sicut hoc nomē lapis impositum est à sua actione, scilicet à lęsione pedum, non tamen ad hanc actionem significandum, sed ad lapidis substantiam significandam.

Hæc distinctio quo ad vtrumquè membrum suadetur per illam Aristote. sępe sępius inculcatam propositionem, scilicet sicut cognoscimus, ita no-

nominamus desumptam ex primo capite libri primi Periher. *Ea quæ sunt in voce sunt signa*; *&c.* ergo qn res cognoscuntur per suam essentiam, etiam à sua essentia nominantur, suamquè essentiam significant, quando autem cognoscuntur per suam actionem, vel per suam passionem, etiam à sua actione, vel passione nominantur, significant autem suam substantiam; quia ità imponuntur, vt substantiam significent.

Quo ad secundum. Ponitur talis conclusio. Deus est nomen naturæ quo ad id, ad quod impositum fuit; sed operationis, quo ad id, à quo fuit nomen impositum. Quæ probatur ex iacto fundamento. Quãdo res cognoscitur, non per suam essentiam, verum per suam operationem, nomen habet à sua operatione, & imponitur ad suam substantiam significandam: at Deus apud Aristotelem, per suam operationem tantum cognoscitur; ergo hoc nomen Deus, quoad impositionem nominis, significat Dei operationem; quo autem ad id, ad quod nomen fuit impositum, eius substantiam significat. Maior propositio manifesta est ex supposita distinctione. Minor autem superius fuit demonstrata ex octauo physicorum, & duodecimo methaphisicè, vbi ex generatione æterna, & motu æterno, & ex mouere primo dum intelligibilis, & appetibilis, Dei substantia demonstrauit, vt videre est à textu trigesimo, vsque ad finem duodecimi methaphisicæ.

Hoc nomen Deus est incommunicabile secundum rem, communicabile autem secundum hominum opinionem, nec non secundum similitudinis participationem, apud Aristotelem.

Cap. 47.

Licet hoc nomen Deus sit nomen naturæ Dei, & secundum se sit incommunicabile, attamen secundum hominum opinionem communicabile est, nec non secundum quandam similitudinis participationem ad mentem Arist. Et ad huius manifestationem tria sunt peragenda. Primò communicabilitas distinguenda est. Secũdò quatuor fundamenta ex Aristote. doctrina tradenda sunt, per quæ nomina communicabilia ab incommunicabilibus discernuntur, & per quæ etiam ostẽditur, quã diuersimodè, nomina sint communicabilia. Tertio ad aures Arist. propositam conclusionem demonstrabimus.

Quo ad primum duobus modis aliquod nomen potest esse communicabile; altero modo propriè; altero modo per quandam similitudinem. Propriè aliquod nomen est communicabile, quod secundum totam nominis significationem est multis communicabile, vt hoc nomen, homo, illis omnibus communicatur, in quibus reperitur natura, quam hoc nomen homo exprimit, & de isto communicabilitatis modo loquitur Aristo. 8. meth. tex. 34. vbi docet, nomen speciei multis conuenire, & text. 39. 40. 41. idem docet. Communicabile autem per similitudinem est, quod est communicabile secundum aliquid eorum quæ in hominis significatione includuntur sicut hoc nomen leo per similitudinem illis cõicatur, quę aliquid leonis, puta audaciam, vel fortitudinem participant; & ideò, tales dicũtur metaphoricè leones & hũc cõmunicabilitatis modũ innuit Arist. primo Elenc. cap. 3. sermonem habens de æquiuocationis fallacia, quem pos-

postmodum egregiè declarauit D. Tho. in opusc. de fallacijs, cap. nono, & primo physico. tex. 81. vbi Aris. assimilat materiam feminæ, & matri, formā autem masculo.

Quò ad secundum. Primum fundamentum est. Omne nomen naturam ab indiuiduo distinctam significās est propriè communicabile, vel secundum rē, vel secundum rationem saltem. Quod ità probatur. Quo ad primam partem. Nam homo leo, & omnes species inferiores in multis reperiuntur indiuiduis secundum rem, vt notissimum est; & ratio ab Arist. signatur primo phys. tex. 69. & 70. quoniam horum materia inferiorum est secundum se in potentia ad omnes inferiorum formas, & nono meth. tex. 15. vbi docet omnem potentiā esse contradictionis potentiam. Quo ad secundam partem, Sol, Luna &c. licet non sint secundum rem communicabilia; sunt tamen secūdum rationem cōicabilia, quod ità suadetur. Specifica natura à nobis intelligitur, à singulari abstrahendo; ergo esse in vno, vel pluribus est præter naturæ specificæ rationem: ergo seruata specificę naturæ ratione, Sol potest intelligi, vt in pluribus existens: cōsequentiæ notæ sunt: Antecedens probatur per Aris. tertio de anima tex. 15. docētē naturam vniuersalem abstrahi ab indiuiduo per intellectum; quo fit, vt intellectum in potentia fiat intellectum in actu: deinde in eodem libro text. 11. hoc idem docet affirmans, sicut res sunt à materia separabiles, sic circa intellectum sunt; ergo res in materia existentes, oportet, vt à materia abstrahantur, nec non à materialibus similitudinibus, quæ sunt phantasmata.

Secundum fundamentum. Omne nomen singulare significans est incommunicabile propriè, tam secundum rem, quam secundum rationem methaphoricè tamē communicari potest, quod probatur quoad singulas partes, & primo quo ad primum hoc pacto. Singulare est vnum numero, vt patet quinto meth. text. duodecimo, vnum autem numero est diuisum ab omnibus alijs, vt eo loci docetur. Quo ad secundum: pluralitas huius indiuidui nō potest in intellectu cadere, cum de ratione vnius numeri sit vt indiuisibile in se sit, & ab omnibus alijs diuisum, vt docetur 5. meth. text. 11. Quo ad tertium ex hoc, quia aliquid potest appellari Achilles, quatenus habet de Achillis proprietatibus.

Tertium fundamentum. Omne nomen formā significans nō indiuiduatā per aliud suppositum, sed per se ipsam, quatenus in se consideratur est propriè incommunicabile, potest tamen metaphoricè communicari. Suadetur. Primò quo ad primam partem. Omnis numeralis cōcatio fit per materiā; ergo forma per se subsistens, & per seipsam indiuidua est ſm se incōicabilis; & hæc ratio est tota Arist. 12. met. tex. 49. vbi ostendit non posse dari plura prima principia. Quò ad secundam. Aliqua possūt aliquo pacto participare illarum perfectiones formarum sicut inferiora participant de perfectionibus superiorum, vt probat Arist. duodecimo meth. text. 34. ergo &c. consequentia constans est, ex nominis metaphoricè ratione.

Quartum fundamentum. Omne nomen, quod nos habemus formas per se subsistentes significans, licet sit incommunicabile secundum rem, tamen secundum rationem communicabile est, qđ ita demonstratur. Nos intelligimus formas per se subsistentes, non suo modo, sed rerum compositarū modo, quæ habent formas in materia: ergo in concreto illas formas subsistentes per se intelligimus, sicut etiam intelligimus res compositas: ergo sicut nomina rerum compositarum, puta Solis, & Lunæ concreta, licet secundum rem sint incommunicabilia, sunt tamen secundum rationem communicabilia; pari passu, nomina subsistentes formas significantia secundum rationem communicabilia sunt: Antecedens patet ex declaratis in capitibus 36 & 38. Prima consequentia nota est: Secunda verò patet ex primo fundamento.

Quo

Quòd ad tertium, bifariam demonstratur hoc nomen Deus esse incommunicabile secundũ rem, cõicabile autem secundum hominum opinionem; & secũdum similitudinis participationẽ. Primò ex declaratis, & primò quoad primã partem. Natura diuina Dei nomine significata est secundum rem incommunicabilis: ergo hoc nomen Deus secũdũ rem incommunicabile est. Antecedens notum est ex tertio fundamento. Cõsequentia autem nota est ex ratione communicabilitatis, & incommunicabilitatis, in capitis principio declarata. Quo ad secũdam ità probatur. Omne nomẽ formas per se subsistentes significans, secundum nostram rationem communicabile est, vt ex quarto fundamento constat: ergo potest intelligi à nobis plures Deos dari. Quo ad tertiã. Plures diuinas perfectiones participant: ergo sunt plures Dij per participationem. Antecedẽs patens est ex declaratis in tertio fundamẽto. Cõsequentia autem manifesta est ex ratione terminorum in principio capitis declarata.

Secundò. Demonstratur ex auctoritatibus Arist. valdè claris, & primò quoad primã partem: nam 12. meth. tex. 49. demonstrat esse impossibile dari plures Deos, & ideò in fine metha. concludit. *Vnus ergo Princeps &c.* Et hanc veritatem latè declarauimus, ad aures Aristo. in consideratione de vnitate Dei. Quo ad secundũ, hanc ostendit Arist. 12 met. tex. 50. & 51. affirmans, esse plures Deos secundum hominum opinionem. Quo ad tertiũ, plurib. in locis expressè astruit omnes substantias imateriales esse Deos vt patet ex tex. nunc citato, & 10. Eth. lectio. 12. particula 4. & 5. lect. 13. par. 6. & cum non sint Dij per essentiam, secundum ipsum; quia iste est tantum vnus: erunt ergo plures Dij per participationem apud ipsum.

Nomen Deus prædicatur analogicè, non autem æquiuocè, vel vniuocè de Deo per naturam & per participationem, & secundum opinionem hominum, ad mentem Aristotel.

Cap. 48.

Licet hoc nomen Deus cum affirmatur de Deo vero (vt cum dicitur, vnus tantum est Deus) sit vniuocũ immò, & incommunicabile, & propterea, de omnibus aliis negatiuè prædicetur secundum veri Dei significationẽ: attamen cum hoc nomen Deus affirmatiuè prædicatur de illis tribus in præcedenti capite explicatis; vt cum dicitur primum principium est Deus, & substãtiæ separatæ omnes sunt Dii, & Iuppiter est Deus, analogicè prædicatur; non autem æquiuocè, vel vniuocè. Quod ità facilimè demonstratur ex terminorum rationibus traditis ab ipso Arist. in Antepraedicamentis. Vniuoca sunt, quæ eãdem omnino rationem habent æquiuoca autem diuersam. Analoga verò sunt, quæ habent rationem partim eandem & partim diuersam, vt patet ex declaratis ab Arist. in principio quarti libri metha. & ideò oportet, vt nomẽ analogum secundum vnam acceptum significationem ponatur in diffinitione eiusdẽ nominis secundum alias significationes; vt ens dictum de substantia ponitur in entis diffinitione, vt dicitur de accidentibus; & sanum de animal; dictum in sani diffinitione locatur, vt sanum dicitur de lotione, & medicina; nam medicina, vt est sana, est sanitatis animalis causatiua, & lotium, vt est sanum est sanitatis animalis significatiuum; vnde patet animalis sanitatem in aliorum sanorum diffinitione collocari: hæcquè omnia clarissima sunt ex quarto methaph. tex. primo; sed hoc nomen Deus, vt dr̃ de vero Deo ponitur ĩ Dei rõne, vt Deus p̃dicatur de

Deo

Deo per participationem, & de Deo secundum hominũ opinionem; ergo &c. Maior notissima est; Minor autem ità probatur. Nam Deus per participationẽ est aliquid habens veri Dei similitudinem: itidem Deus per opinionem, est aliquid de quo homines opinantur esse verum Deum; Ecce verum Deum poni in diffinitione Dei per participationem, & Dei secundum hominum opinionem.

Hoc nomẽ, Qui est, est maximè Dei proprium, ad aures Aristo.

Cap. 49.

CVm multis nominib. gaudeat Deus est enim sapiens, bonus &c. tamen hoc nomen, Qui est, inter nomina Diuina est maximè ei proprium, alijsquè rebus minime conuenit. Hæcquè veritas bifariam demonstratur ad aures Aristot.

Primò. Qui est significat ipsum esse, & non significat aliquam formam, vt cætera Dei nomina, vt docet Arist. 2. Perierh. ca. primo, & secundo post. cap. 1. at Deus est suum esse vt fuit demonstratum c. 11. ergo hoc nomẽ, qui est, est maximè Deo proprium.

Secundò. Deus non potest à nobis in præsenti statu cognosci secundum Aristo. 2. meth. text. 2. asserentẽ, intellectum nostrum se habere ad naturę manifestissima, sicut oculi Nycticoracum ad lucem diei; quocirca omnis Dei modus secundum se, est nobis incognitus, & propter eius essentiam omninò infinitam est amplissimus, & indeterminatissimus: ergo quanto aliqua nomina magis indeterminata sunt, tãtò magis Deo propria sunt; sed hoc nomen, Qui est, est indeterminatissimum; cum esse, ens significet secundum Arist. secundo posterio: text. septimo, vt ibi perpulchrè declarat Caietanus, & quinto meth. textu decimoquarto, ens autem dicit conceptum communissimum, ac per hoc indeterminatissimum, vt docetur ab Aristotele pluribus in locis, præsertim quarto meth. tex. primo, quinto meth. tex. decimoquarto, sexto meth. tex. quarto, ergo hoc nomẽ, Qui est, maximè Deo proprium est.

Affirmatiuæ propositiones verè de Deo formari possunt, secundum Aristotelem.

Cap. 50.

QVoniam licet Deus vna sit res simplicissima, verumtamen à nostro intellectu diuersis cognoscitur cõceptionibus; hinc sequitur affirmatiuas propositiones verè de Deo affirmari posse; quod tali ratiocinio demonstratur. Omnis proposito affirmatiua aliquã subiecti, & prædicati identitatem secundum rem significat, cum distinctione eorundem subiecti, & prædicati secundum rationem. Hanc veritatem docet Aristó. primo Perierh. capite de verbo, & cap. de enunciatione, vbi docet enunciationem affirmatiuam importare subiectũ, predicatum, & verbum, prędicatum cũ subiecto copulans; quocircà propositio affirmatiua significat identitatem ratione copulæ, & distinctionem ratione diuersitatis extremorum: Tunc alia subsumitur propositio: at in Deo hæc duo inueniuntur, scilicet identitas subiecti, & prædicati; cum sit res simplicissima, & etiam distinctio secundum rationem nostram; quoniam intellectus noster sub diuersis conceptib. Deum intelligit, vt ex superioribus conspicuum est: ergo de Deo affirmatiuæ propositiones verè formari possunt.

DE

DE SCIENTIA Dei, ad aures Aristotelis.

Scientiam esse in Deo secundum Aristotel. doctrinam demonstratur.

Cap. 51.

CVm vsque modo pertractauerimus ad mentem Arist. ea, quæ ad Dei essentiam, seu naturam spectant, iure optimo consideranda sunt postmodum ea, quæ ad eius operationem pertinent; & quoniam operationes in dupli ci sunt discrimine, vt docetur nono metha. & primo Ethic. nam quædam sunt immanẽtes in ipso operante; quædam autem in effectum procedentes exteriorem: primò agendum est de operationi bus in ipso operante permanẽtibus, cuiusmodi sunt operationes intellectus, et voluntatis. Deinde considerandum est de operationibus in exteriorẽ effectum procedentibus, quæ ad Dei potentiam spectant. Primò itaquè determinãdum est, scientiam esse in Deo (intelligendo nomine scientiæ, cognitionem intellectiuam perfectam, & euidẽtem,) & hoc demonstrandum est quinquè rationibus, ex Aristotelis doctrina desumptis.

Prima ratio. Arist. duodecimo meth. tex. 36. concludit, primum mouens esse primum appetibile, primumquè intel ligibile: ergo intellectus primi mobilis fit intelligens in actu per primi mouentis intelligibilis contactum, hæc consequentia relinquitur tamquàm nota ab Arist. 12. meth tex. 49. ergo & primum mouens est intelligens, & multò magis, quam primi mobilis intellectus, hæc cõsequentia suadetur ab Aristot. eodem in loco per illam regulam posterioristicã. Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis: at intelligere, & delectari in intellectum primi mobilis inuenitur propter primum absolutè mouens: ergo intelligere, & delectari in primo est mouẽte, & multò magis, perfectiusquè: ergo in Deo est sciẽtia modo perfectiori. Hęc vltima consequentia nota est ex scientię nominis ratione.

Secunda ratio. Omne mouens per aliquam formam mouet, quam in mouẽdo intelligit, mouens, & agens vniuersale, necessariò per formam vniuersalem mouet, sed primum absolutè mouẽs est vniuersale motus principiũ: ergo forma per quam mouet est vniuersalis; sed forma vniuersalis agentis per intellectum non est nisi in intellectu: ergo primum mouẽs immobile intellectum habet: ergo est intelligens. Prima propositio quo ad ambas partes suadetur, quarum prima est. Omne mouens per aliquam formam mouet; quæ ità probatur, omne agens agit propter aliquem finem intẽtum, vt docetur secundo phys. tex. 29. & 30. & quinto meth. tex. 2. finis autem intentio est per quam agens, & mouens agit, & mouet. Secunda pars est ista. Agẽs & Mouens vniuersale per formam agit vniuersalem, quæ ita probatur habetur secundo phys. tex trigesimonono, & 5. meth tex 3 ordinem effectuum causarũ ordini correspõdere: ergo agens vniuersale debet in se habere formam vniuersalem, per quam effectum producat vniuersalem. Secunda autẽ propositio quæ est. Primum mouens immobile est vniuersale motus principium, est Aristot. 12. met. tex 37 & 38 & clarius inferius demonstrabitur, quando primum principium esse totius esse causam demõstrabimus. Minor propositio, scilicet forma vniuersalis agentis per intellectum, nõ est nisi in intellectu, habetur ab Aris. primo post. cap. 23. vbi docet, sentire esse singularium, intelligere autem vniuersalium.

Tertia ratio. Quidquid perfectionis in omnibus reperitur creaturis in Deo etiam inuenitur, & modo excellentiori, vt demonstratum est supra ca. 19. & 20.

sed

sed intelligere in creatis summam dicit perfectionem, vt explicatur 12. meth. tex. 39. & 10. Eth. ca. 8. vbi ponit perfectam felicitatem in operatione intellectus: ergo &c.

Quarta ratio. Nullus finem, vel sibi, vel alicui determinare potest, nisi finem intelligat; at Deus omnibus rebus naturalibus finem determinat: ergo Deus finem intelligit, quem rebus naturalibus præstituit, & determinauit. Prima propositio probatur ab Aristot. 3. de anima text. 49. & 50. vbi docet finis cognitionem in omnibus actionib. principiũ esse, ex qua propositione colligunt omnes philosophi, ea quæ finem minimè cognoscunt, in finem nequaquàm tendere, nisi à finem cognoscentibus directa, vt manifestum est de sagitta à sagittario directa, vt habetur à D. Th. secũdo phys. tex. 75. ecce itaquè finis cognitionem supponi in omni finis determinatione. Secunda autem propositio habetur ex Arist. secundo phys. tex. 86. vbi cõparat naturam arti medicinæ existenti in medico seipsum medente. Ex quibus elicit D. Th. ad aures Arist. naturam nil aliud esse, quàm cuiusdam artis diuinæ rationem rebus inditam, qua ipsæ res ad finem determinatum mouentur; quemadmodum, si nauis artifex posset tribuere lignis, vt ex se ipsis mouerẽtur ad formam nauis inducendam.

Quinta ratio. Ratio vt aliquid sit cognoscitiuum, est immaterialitas, & secũdum immaterialitatis modum, est cognitionis modus; at Deus est in summo immaterialitatis gradu; ergo Deus est in summo cognitionis gradu; hoc autem est scientiam habere perfectissimam Minor propositio demonstrata fuit ad mentem Aristo. supra cap. septimo, vsque ad cap. 17 & supradictæ demonstrationes fuerunt desumptæ 12. meth. à tex. trigesimo, vsquè ad tex. 51. Maior autem, quo ad primam partem fuit demonstrata in secundo libro, dum ageremus de substãtiarum separatarum cognitione, quæ tamen etiam iterum in præsenti bifariam demonstratur. Primò cognoscens est ipsum cognitum secundum Aristo. tertio de anima tex. 3. 6. 7. & 38. vbi docet animam esse omnia sensibilia, omniaquè intelligibilia, ac per hoc cognoscens est, et seipsum, & alia; Idcircò extensum, & illimitatum est, limitatio autem fit per materiam, vt in secundo libro (agentes de substãtiarum cognitione separatarum) determinatum est: ergo immaterialitas est radix, vt aliquid sit cognoscitiuum. Secundo omne agens perfectum habet in se sufficiens suæ operationis principium, vnde Arist. propter huiuscemodi sufficiẽtiam dari intellectũ agentem in agente cognoscitiuo tertiò de anima tex. 17. ostendit: at cognoscens est agens perfectum, vt supponit Arist. loco nunc citato: ergo cognoscens debet habere in se suæ operationis sufficiẽs principium; at principium operationis specificatiuũ est principium ad ipsam operationem necessario requisitum: ergo principium operationis specificatiuum est in cognoscente: sed cognitum est specificatiuum cognitionis principium secundum Aristo. duodecimo meth. tex. quinquagesimoprimo, quo in tex. docet cognitionis nobilitatem à cogniti nobilitate dependere: ergo cognitum est intrà cognoscẽtem, adeò vt cognoscens sit, & se ipsum, & cognitum: ergo à primo ad vltimum est illimitatum, ac per hoc, sinè materia Secunda pars maioris propositionis, scilicet, secundum modum immaterialitatis est cognitionis modus, ità probatur ex gradibus cognitionis, apud Arist. 3. de anima textibus 4. 5. & 6. nam sensus vnus cognoscit vnum sensibilium genus, quia est specierum sine materia susceptiuus, & intellectus omnia cognoscit, quia est omninò à materia separatus.

Contra hanc veritatem adsunt duo argumenta. Primum, docet Arist. duodecimo diuinorum, tex. 51. intellectum primi mouentis semper in actu intelligere, nunquàm autem esse in potentia, vel in habitu, sed scientia est habitus, vt ex sciẽ diffinitione cõstat, etenim sciã est habitus p demonstrationẽ acqsitus: ergo &c.

Re-

Respondemus. Creaturarum perfectiones in Deo inueniri quodam altiori modo, omnibus imperfectionibus remotis, quare de re, scientia in Deo reperta, minimè habitus rationem habet, sed actus, & ideo illa scientiæ diffinitio est tãtum de nostra scientia.

Secundum. In Deo nihil est causatũ; sed scietia ex principiorum cognitione causatur; ergo &c.

Respondemus, sciẽtiam Dei esse simplicem Dei intuitum, quo omnia cognoscit; & ideò secunda propositio de scientia nostra tantum vera est.

Deus se ipsum intelligit per suam essentiam, secundum Aristotelis sententiam.

Cap. 52.

NEminem fugit, Deum seipsum intelligere secundum Aris. doctrinã, vt cõspicuum est omni per suam doctrinam discurenti, & nos in præsenti per eius doctrinam discurrentes sex inuenimus demonstrationes valdè pulchras, hanc veritatem demonstrantes

Prima demonstratio colligitur ex 12. meth. tex. 49. quo in loco, ità procedit Arist. Primò quatuor iacit fundamenta. Secundò ex fundamentis demonstrationẽ format.

Primum itaquè fundamentũ est hoc. Intellectus se ipsum intelligit, quatenus transmittit, vel concipit in se aliquod intelligibile: & ratio sua est; quoniam intellectus fit intelligibilis, in quãtum aliquod intelligibile attingit.

Secundum Arist. fundamentũ est hoc. Intellectus ad intelligibile comparatur, sicut potentia ad actum, & perfectibile ad suã perfectionẽ: & ideo sicut perfectibile est perfectionis susceptiuũ, ità intellectus est sui intelligibilis susceptiuus, quod quidem intelligibile est quod quid est substantiæ.

Tertium eius fundamẽtũ tale est. Intellectus fit in actu, in quantũ ipsum recipit intelligibile, & tũc intellectus dum ipsum recipit intelligibile, appellatur, & est in actu in genere intelligibilium, esse autem actu in genere intelligibilium est esse ipsum intelligibile. Hoc fundamentũ ex secundo fundamento colligitur. Nam vnumquodquè est in actu, inquantum suam cõsequitur perfectionẽ; at intelligibile est intellectus perfectio; vt assertum est in secundo fundamento: ergo intellectus fit in actu, quãdo ipsum intelligibile recipit.

Quartum fundamentum Arist. est tale. Intellectus inquãtum intelligibile attingit, fit agens & operans, hoc est, intelligens: & ratio est, quia vnumquodque agit, & operatur inquantum est in actu; sed per secundum, & tertium fundamẽtum intellectus fit in actu, attingendo & recipiendo suum intelligibile; ergo intellectus inquantum intelligibile attingit, fit agens, operans, & intelligens.

Ex his fundamentis Aristoteles talem formát demonstrationem. Intellectus in quantum attingit intelligibile, fit agens, operans, & intelligens, per secundũ, tertium, & quartum fundamentum: at anima cœli primum absolutè attingit motorem, vt supremum appetibile, & intelligibile, vt supra probatum est textu trigesimosexto: ergo cœli anima primum, & supremum intelligibile attingendo fit intelligens; ex qua intellectione maxima sequitur delectatio; quoniam delectatio operationem alicuius intelligentis, & desiderantis connaturalem consequitur; & hoc fuit probatum decimo Ethicorum. Tunc vltrà; sed propter quod vnumquodquè tale, & illud magis, vt explanatum est primo posterio. ergo quidquid nobilitatis, & diuinitatis (sicut est intelligere, & delectari) inuenitur in intellectu primum intelligibile attingente, multò magis in primo intelligibili reperitur: ergo si intelligentia primi mobilis primum absolutè

motorē intelligit, multò magis primus absolutè motor seipsum intelligit.

Secunda demonstratio colligitur ab Arist. 12. meth tex. 51. hoc modo. Nobilitas īellectionis ab intelligibilis nobilitate dependet: ergo dignius est intelligibile, seu intellectum ipsa intellectione. Probat sequela ex illa maxima propter quod vnumquodquè tale &c. Tūc vltrà, sed Dei intellectio est eius substantia, vt ostensum est in tex. 39. eiusdem 12. & magis in sequentibus demonstrabitur: ergo intellectum à Deo debet esse eius substantia, ac per hoc in Deo idem sunt intellectus, & intellectum: quæ sunt idem reipsa, quod ipse Deus. Consequentia hæc suadetur; quoniam intellectum est perfectius ipso intelligere; sed Dei intelligere est de eius substantia, vt nunc assertum est: ergo si intellectum à Deo non est essentia seu substantia Dei, aliquid aliud erit ipso Deo nobilius; hoc autem falsum est, cum Deus sit nobilissimus, & potentissimus omnium; idcircò ad aures Arist. Deus seipsum per seipsum intelligit.

Tertia ratio colligitur ex trib. Aristotelicis fundamentis.

Primum fundamentū. Obiectum intellectus necesse est, vt sit actu in intelligente ad hoc, vt intelligat. Hoc fundamentū apertissimè est Arist. nono met. tex. 16. & primo Eth. vbi ponitur discrimen inter operationem in exteriorem effectum transeuntem, & operationem in ipso operante permanentem. Nam operatio trāsiens habet pro suæ operationis termino, aliquid extrà operantem, quod appellatur transeuntis operationis obiectum: Operatio autem immanens pro termino, seu obiecto suæ operationis aliquid intrà ipsum operantem habet, & quatenus hoc obiectum est in operante, operans dicitur in actu: & tali modo necesse est, obiectum operationis immanentis (cuiusmodi est intelligere) sit actu in ipso operāte, vt obiectum intellectus, & ipsemet intellectus, sint idem in esse intelligibili, vt explicatur tertio de anima, & duodecimo methaph. tex. 39. vbi docetur (& præcipuè in tertio de anima) intelligibile in actu esse intellectum in actu.

Secūdum fundamentum. Omnis intellectus diuersitas ab obiecto est propter admixtam naturæ potentiam. Hoc fundamentum colligitur ex antedictis: nam intelligibile in actu est intellectus in actu; non autem intelligibile in potentia est intellectus in actu: ergo diuersitas omnis intellectus ab obiecto est propter admixtam naturæ potentiam.

Tertium fundamentum. Deus nullam habet admixtam potentiam. Hoc fuit pluries demonstratum supra cap. 9. & colligitur 12. meth textibus 35. 36. 37 & 39.

Ex his fundamentis talis constituitur ratio. Intelligibile necesse est, vt sit in intelligente, ex primo fundamento, & nō est distinctum ab ipso intelligente nisi p admixtam potentiam, ex secundo fundamento; at in diuino intellectu nulla est potentialitas, ex tertio fundamento: ergo in Deo intelligens, & intellectum omninò idem sunt; qua de re Deus seipsum per seipsum intelligit.

Quarta ratio colligitur ex duodecimo methaph. tex. quinquagesimo primo hunc in modum. In separatis à materia idem sunt intellectus, intelligere, & intellectum, ait Aristote. in text. citato: at Deus est maximè à materia separatus, vt demonstratum est supra cap. quinto, & sexto: ergo in Deo idem sunt reipsa intellectus, intelligere, & intellectum, ac per hoc Deus intelligit seipsum per seipsum.

Quinta demōstratio desumit ex 3. de anima tex. decimo quinto. Ea quę sunt in actu puro in ordine intelligibilium, per suam essentiam intelligunt, & intelliguntur; at Deus est actus purissimus in ordine intelligibilium, qui est omninò à materia separatus, & ea quæ sunt omnino à materia separata sunt in actu in genere intelligibilium, vt explicatur tertio de anima tex. 11. ergo Deus seipsum per suam essentiam intelligit.

Sexta

Sexta demonstratio colligitur ex tertio de anima tex. 25. vbi talis propositio explicatur. Si est aliquis intellectus, cui vnum contrariorum ad alterius cognitionem non inest, tunc necessum est, talē intellectum cognoscere se ipsum primò, & per se, et alia cognoscere, & semp cognoscere in actu, & esse penitus à materia separabilē etiam secundum esse: at in intellectu diuino non inest vnum cō trariorum per quod alterum cognoscat contrarium, cum in Deo nihil sit causatum; quoniam est primum ens absolutè: ergo Deus semper est actu cognoscens, & seipsum per seipsum cognoscens.

Contra hanc veritatem sunt duo argumenta quorum primum tale est. Per Aristo. tertio de anima tex. secundo, & decimoquarto: Intelligere est quoddā pati, & moueri; sed Deus non mouetur à seipso, cum sit primum mouens omninò immotum, vt superius probatum est: ergo &c.

Respondetur. Moueri, & pati sumi ab Arist. tex. citato æquiuocè, prout intelligere dicitur æquiuocè quoddam pati, & quoddam moueri; nam motus propriè dictus est actus existentis in potentia, ac per hoc actus imperfecti, qui nullo modo conuenit Deo; intelligere autē est actus perfecti.

Secundum argumentum. Sciētia est ad rem scitam, assimilatio, & scitum est scientis perfectio; at nihil sibi ipsi assimilatur, nequè à seipso perficitur: ergo &c.

Respondetur primam propositionē quoad vtramquè partem esse intelligendam de intellectu, qui aliquando in potentia est; quando per hoc quod est in potentia, differt ab intelligibili, & assimilatur per intelligibilem speciem, quæ est rei intellectæ similitudo, per ipsamquè perficitur, sicut potentia per actum; Diuinus autem intellectus, cum semper sit in actu purissimo, ab intelligibili minimè perficitur; neque ei assimilatur, verùm sua est perfectio, suumquè intelligere, vt explanatur duodecimo methaphisicæ textu trigesimonono.

Diuinus intellectus per nullam aliam speciem intelligit, quàm per suam essentiam, secundum Aristotelem.

Cap. 53.

Licet ex assertis cōpertum sit, Deum per nihil aliud intelligere, quam p suam essentiam; veruntamen ad doctrinam abundanciorem adhuc ista assertio quadrifariam demonstranda est ad aures Arist.

Primò. Species intelligibilis ab essentia seiuncta, accidentalis forma est; at in Deo nullū est accidens: ergo in Deo nulla est species intelligibilis ab eius essentia semota: ergo &c. Prima ꝓpositio notissima est ex accidentis natura ab Arist. tradita in tota sua doctrina. Secunda autem fuit ad ipsius mentem cap. 14. demōstrata.

Secundò. Species intelligibilis, & intellectum cuius est species comparatur sicut actus ad potentiam; at in Deo nulla est potentia: ergo in Deo nulla est species: ergo &c. Prima propositio est Arist. tertio de anima tex. 6. 8. 13. & 18. in quibus locis docet intellectum actuari per intelligibilem speciem, in actuquè fieri; ergo species intelligibilis ad intellectū comparatur sicut actus ad potentiam, vt superius fuit demonstratum.

Tertiò, demonstratur supponēdo primo speciem esse rei intellectæ similitudinē, hocquè ꝓbat̃ ex primo fundm̄to rationis tertiæ capitis præcedentis, vbi assertum fuit, ad aures Arist intellectū in actu esse intelligibile in actu: hoc autem fit per intelligibilem speciem vt explicatur tertio de anima tex. trigesimo octauo. Intelligibile autem nequaquàm fieret intellectus per speciem, nisi species esset rei intelligibilis similitudo, hoc supposito ità fit demōstratio. Si in

Deo esset intelligibilis species ab eius substantia distincta, hæc species, aut esset diuinæ similitudo essentiæ, aut alterius rei: Istud assumptum suadetur ex iacto fundamēto; qm̄ intelligibilis species est rei īntellectæ similitudo; at neutro modo ista species potest esse similitudo; ergo ista intelligibilis species minimè datur. Minor suadetur quoad vtramq; partem, & primò, illam speciem non posse esse diuinæ essentiæ similitudinem, ità suadetur. Datur ista species intelligibilis, vt intelligibile in potentia fiat ab ipsa intelligibile in actu, vt patet tertio de aīa textibus 17. 18. & 38. at Dei essentia est purissimus actus in ordine intelligibilium, vt in cap. præcedenti demonstratū est: ergo Dei essentia non indiget intelligibili specie. Secūdò probatur, hāc speciem non posse esse alterius rei similitudinem; qm̄ si alterius rei similitudo esset, aut ista similitudo ab ipso Deo imprimeretur, aut ab alio; non ab ipso Deo quia in omni natura distinguuntur agens, & patiens, vt clarum est ex 3. de anima tex. 17. & 18. nec etiam ab alio, tū quia esset aliquod agens prius Deo, tū quia ī Deo aliquod causatum esset; hæc autem in superioribus fuerunt improbata ad mentem Arist.

Quartò. Vt allegatum fuit in prima ratione capitis præcedentis, ex tertio de anima tex. 25. si datur aliqs intellectus, cui non inest vnum contrariorum, per quod alterum cōtrarium cognoscatur, qui semper intelligat, & sit omninò à materia semotus, tūc iste intellectus omnia per suam essentiam intelligit, non autem per speciem; at Dei intellectus est huiusmodi, vt in præcedenti capite demonstratum est; ergo &c.

Deus perfectè se ipsum comprehendit, secundum Arist. Cap. 54.

DEus nedum suam per essentiam se ipsum cognoscere, verum etiam se ipsum comprehēdere perfectè, tū ex dictis, tum ex dicendis, satis conspicuum est, quæ assertio quadrifariam ostenditur.

Primò. Deus est dignissimus, & perfectissimus, vt ex præcedentibus compertissimum est, & hoc etiam colligitur ab Arist. 12. meth. tex. 51. at Dei intelligere est ipsemet Deus, vt demonstratur ab ipso Arist. 12. meth tex 39. & in sequēti capite magis dilucidabitur: ergo intelligere Dei est dignissimum, perfectissimumquè: ergo Deus seipsum perfectissimè intelligit; hoc autem est comprehendere.

Secundò. Hæc assertio demonstratur suppositis duobus fundamentis ad mentem Arist.

Primum fundamentū. Tanta est Dei cognoscibilitas, quanta est eius actualitas, quod ita probatur. Docetur 9. meth. Vnumquodquè esse cognoscibile, secundum quod est in actu; ergo quanta est Dei actualitas, tanta est eius cognoscibilitas.

Secundum fundamentum. Tanta est vis Dei cognoscitiua, quanta est eius actualitas. Hoc fundamentum demōstratum fuit supra cap. 51. vbi demonstratum est, immaterialitatem esse causam, vt aliquid sit cognoscitiuum.

Ex istis fundamentis ita ratio formatur. Tanta est vis Dei cognoscitiua, quāta est eius cognoscibilitas ex iactis fundamentis: ergo Deus se ipsum cognoscit sicut cognoscibilis est; hoc autem est se ipsum perfectè comprehendere.

Tertiò. sm Arist. 3. de anima textibus 11. 12 & 38. Vnumquodquè est intelligibile sm qd est immateriale, & hoc ēt satis abūdè cap. 52 fuit demonstratum, & actu intelligitur, quatenus est vnum cū in-

intelligente, vt explicatur 3. de anima tex. 8. 12. 15. & 12. meth. tex. 39. Tunc secunda propositio subsumitur: at Deus est maximè immaterialis, & maximè sibi vnus, vt superius demõstratum est: ergo Deus se ipsum maximè intelligit, qđ est se ipsum comprehendere.

Quartò ostensum est supra cap. 20. in Deo omnium rerum perfectiones inueniri; sed comprehẽdere Deum maxima est perfectio, vt dicitur 12. meth. text. 39. ergo Deus seipsum comprehendit.

Intelligere Dei est eius substantia, ad aures Arist.

Cap. 55.

INtelligere Dei esse eius substantiam, sex rationibus ex Arist. doctrina excerptis demonstratur.

Prima ratio fuit formata ab Arist. 12. met. tex. 39. Si Dei intelligere non esset eius substantia; ergo intelligere ad Dei substantiam compararetur sicut actus ad potentiam, hoc autem est impossibile, cum Dei essentia sit purissimus actus; Omnes propositiones sunt Arist. tex. citato.

Secunda ratio pari modo est Aristo. 12. met. tex. 51. Si primi mouentis substãtia non est ipsum suum intelligere, seu sua intelligentia: ergo primum mouens est in potentia ad hoc, vt intelligat, ex cõsequenti quantum sit ex se, poterit intelligere, & non intelligere: ergo probabile est, vt intelligere sit ei laboriosum. hæc autem omnia absurda sunt, &c. Omnes pari modo propositiones istæ sunt Aris.

Tertia. Deus est actus purissimus in genere intelligibilium, vt probatur text. 36. & 37. sicut etiam in genere entium, est purissimus actus, vt superius fuit demonstratum: at in genere entium, Deus est suum esse, vt probatum fuit cap. 11. ergo Deus in genere intelligibilium est suum esse; sed intelligere est esse Dei in genere ĩtelligibiliũ: ergo Deus est suũ intelligere. Quod aũt ad aures Aris. Dei intelligere sit esse Dei in genere intelligibilium, ità suadetur. Affirmat Arist. 12. met. tex. 39. actu intellectus (quod est intelligere) esse Dei vitam, proculdubio in genere intelligibilium; sed vt affirmatur in secundo de anima tex. 32. & 37. vita est uiuentium esse; ergo Dei intelligere est eius esse in genere intelligibilium.

Quarta. In Deo nullum est accidens, vt cap. 14. mõstratum est; ergo quidquid est in Deo Deus est.

Quinta explicatur 12. meth. tex. 51. nobilitatem inhærere intellectui intelligenti per ipsum intelligere: ergo si Dei intelligere à Deo intelligente semouetur, Deus erit perfectus, & nobilis per aliud à se, hoc autem est omninò falsum, quia tunc Deus non esset primum ens perfectissimum.

Sexta. Contestatur Arist. 2. de cœlo tex. 17. Vnumquodquè esse propter suã operationem: ergo si Dei operatio aliud est à sua substantia, sequitur aliquid aliud à Deo esse finem intrinsecum, & proximũ ipsius Dei: hoc autem secundum Arist. falsissimum est, qui docet 12. meth. textu 12. Deum esse vltimum finem omnium. Consequentia constat ex auctoritate adducta, quia operatio est finis cuiuscunq; rei, cum vnumquodquè sit propter suã operationem.

Ex istis assertis duo corollaria deducuntur; Alterum intelligere Dei est æternum, inuariabile, & in actu tantum existens. Probatur. Qm̃ Dei essentia talis est vt in superioribus demonstratum fuit. Alterum corollarium, Deus non est in potentia intelligens, nequè de nouo intelligere incipiens, nequè in se mutationem habens. Probatur eodem medio, quoniam substãtia Dei semper fuit in actu, non habens in se aliquam mutationem.

Duorum argumentorum solutio, ab Arist. factorum.

Cap. 56.

Contra hanc veritatem Aristot. 12. metab. tex. 51. duo monet dubia.

Primum dubium. Deus se ipsum intelligit; sed Deus est suum intelligere, seu sua intelligentia: ergo intelligere, seu intelligentia Dei nil aliud est, quã intelligere, seu intelligentia ipsius intelligere, seu intelligentię, sed hoc est falsum; quã actus sensus, scientia, opinio, & meditatio, semper videntur esse alterius. Et si aliqñ sint sui ipsius; veluti cum aliquis intelligit se intelligere, hoc est præter actum principalem; quoniã actus principalis intelligentis circa aliquod intelligibile versatur; cum autem aliquis intelligit se intelligere aliquod intelligibile, est actus accessorius. Qua de re, si Dei intelligere non est nisi intelligentia intelligentię, sequitur suum intelligere nõ esse principalissimum.

Secundum dubium. Compertum est, aliud esse intelligere, & aliud intelligi, et si eueniat, ista duo esse idem re ipsa, semper tamen ratione distinguuntur: si ergo Deus est suum intelligere, & est ipsũ quod intelligitur, quod est optimum, dubium est, secundũ quid inest ei hoc, quod est bonum esse, est ne secũdum intelligere, an secundum intelligi?

Ad hæc duo dubia respondet, supponendo primo duo fundamẽta. Alterũ. In his, quæ sunt sine materia idem est res scita, & scientia, seu idem est intelligẽs, intelligere, intellectus, res intellecta, & intelligi. Alterum fundamentum. Deus est maximè à materia semotus.

His suppositis. Ad primũ Arist. cõcedit totũ primũ argumentũ, & asserit intelligentia Dei, seu eius intelligere nil aliud esse, quã intelligentia intelligẽtię. Et cũ argu. intelligere est alicuius alterius intelligibilis, non aũt ipsius intelligere. Respondet Arist. ista vera esse, quãdo intellectus, & intelligere, re ipsa distinguuntur; non autem qñ unum, & idem sunt. Similiter cum dicitur: Intelligere principaliter circa aliquod intelligibile versari, secundariò autem, & accessoriè circa ipsum intelligere, eodem modo Respõdet, hæc vera esse, quando illa re ipsa semouentur; non autem quando re idem sunt.

Ad secundum dubium respõdet: Qñ intelligens, intellectus, intelligere, & res intellecta sunt idem re ipsa, ex se ipso intelligens ipsum suam habet perfectionẽ, ac per hoc cum in ipso sint idem intelligere, & intelligi ab vtroquè suã habet perfectionem.

Deus primò, & per se solum se ipsum cognoscit, ad mentem Aristotelis.

Cap. 57.

Ex prædictis etiam conspicuum est, Deum primò, & per se solum seipsum cognoscere; verumtamen, vt abundantius hanc doctrinam pertractemus, quatuor rationibus hoc assertum demõstrandũ est ad mẽtem Arist. verum antequam hoc ostendamus. Primò explicandum est, quid sit cognoscere per se primò. Asserimus itaquè, quatenus ad nostrum spectat institutum, aliquid cognosci p se primò, est ab aliqua potẽtia apprehendi non per aliud cognitũ, in quo cognoscatur, sed per se ipsum ab illa potentia apprehendatur: quo pacto album dicitur videri per se primò, cum nõ videtur per aliud visum. Pari modo asserimus Deum per se primò solum cognoscere, qm in Deo non datur aliud cognitum per se primò, eo quia Deus solum se ipsũ i seipso itelligit, alia verò oĩa p se ipsum, & in seipso, tamquam per medium cognoscendi, seu tamquam per intelligibilem speciem, cognoscit. Hoc explorato formamus ità rationes.

Prima ratio desumitur ab Arist. duodecimo met. tex. quinquagesimoprimo, quæ ratio super duobus fundamentis fundatur.

Pri-

Primũ fundamentum. Deus seipsum primo, & per se intelligit, hoc fundamẽtum demonstratum fuit supra cap. 52. 53. 54. & 55.

Secundum fundamentum. Impossibile est primò, & per se plura intelligere. Hoc fundamentum est Arist. 2. Thopic. & ratio est, quia impossibile est, vnam operationem terminis pluribus terminari. His suppositis. Prima ratio ità formatur. Impossibile est Deum plura per se primò intelligere, ex secundo fundamento: ergo cum Deus se per se primò intelligat ex primo fundamento si aliquid aliud intelligat per se primò suus intellectus mutatur de consideratione sui in alterius considerationem, illudq; esset Deo ignobilius; quia non possunt dari duo prima principalia, & illud intelligibile, cum nõ esset Deo nobilius, relinquitur illud esse Deo ignobilius, & ità Deus in peius mutaretur, quod est summum absurdum.

Secunda ratio talis est. Docet Arist. 2. de anima text. 33. operationes distingui penes obiecta adæquata: ergo si Deus intelligit aliud à se, tamquam principale, & per se primo obiectum, in Deo duę erunt operationes; altera qua se ipsum intelligit; altera qua illud aliud intelligit; tunc vltrà. Istæ duæ operationes, aut erunt idem cum sua essentia, & tũc Dei essentia erit in plura diuisa; aut non erũt sua essentia, & ita datur aliqua Dei operatio, quæ non erit sua essentia quorum vtrumquè esse falsissimum ostensum est.

Tertia ratio. Ex Aristo. 12. meth. text. 51. Primum intellectum est intelligẽtis perfectio, & ideo primum intellectum, est ipso intelligente perfectius: si ergo esset aliquid aliud, à Deo distinctum per se primo, à Deo intellectum, illud esset, Dei perfectio, ac p hoc Deo perfectius: hoc autem falsissimum est, cum ipse, sit nobilissimus, & potentissimus. Hæc ratio tota est Arist.

Quarta ratio. Ex eodem tex. operatio intellectus, speciem nobilitatemquè à suo primo trahit obiecto, vt eo loci demõstratur: si ergo esset aliud primo, & per se à Deo cognitum, tunc Dei intellectio speciem nobilitatemquè haberet ab aliquo, à Dei essentia distincto: hoc autem est impossibile, cum Dei operatio sit eius essentia, vt superius ostẽsum est, pari modo hæc ratio tota est Arist.

Quædam rationes, ad aures Aristo. persuadentes, Deum non cognoscere alia à se. sed solummodo seipsum.

Cap. 58.

Aliqua difficultas est in Aristot. doctrina, an Deus tantũ seipsum cognoscat, alia verò minimè. Circa quam difficultatem, tria agenda sunt. Primò adducendę sunt rationes, Deum nihil cognoscere, nisi seipsum de mente Arist. persuadentes. Secundò demonstrandum est, ad aures Arist. Deum cognoscere non solum se ipsum, verum etiam omnia alia à se. Tertiò rationibus primò adductis respondendum est.

Quoad primum. Gregorius Ariminẽsis, primo sent. d. 35. q. prima, sex adducit argumenta quibus nititur persuadere, ad aures Arist. Deum non intelligere nisi seipsum.

Primũ argumentum. Si Deus intelligeret aliud à se tunc sua substantia non erit eiusdem intellectio, sed erit potentia, per quam fit intellectio; hoc autem est cõtra Arist. qui docet Dei intellectio nẽ esse eius substantiã, vt superius demõstratum est.

Secundum. Si intelligeret aliud à se, tunc aliquid esset ipso præstantius; hoc autem est falsum. Consequentia probatur; quoniam intellectum est perfectio intelligentis, scilicet causaliter; quoniã causat in intelligente suam perfectionẽ, quæ est intellectio: omne autem tale, inquantum huiusmodi est illa perfectius.

Tertium. Si ita esset, tunc non esset simpliciter indepēdens, & esset indigēs alio, hoc autem est falsum. Consequentia probatur; quoniam intellectus depēdet ab intellecto.

Quartum. Si sic esset: ergo Deus patetur, & mouetur ab alio, consequens falsum, ergo &c. Consequentia probatur qm̄ omne, quod aliud intelligit, transmutatur substantialiter in aliud, & mouetur ab alio.

Quintum. Si sic, tunc sua intellectio, non esset nobilissima, & cum sua perfectio sit in intelligendo, ipse non esset nobilissimus, quod est contrà prædicta. Cōsequentia probatur, quia intellectio rei vilis non est nobilis, sed vilis, & ideò ēt apud nos melius est non meditari vilia, q̄ meditari, & nō videre vile melius est, q̄ illud videre: vnde Comm. concludit, cum impossibile sit ipsum intelligere vilius, aut nobilius, cum non sit nobilius eo, quod intelligit: ergo tantum se intelligit.

Sextum. Si Deus intelligeret alia à se, aut in vniuersali tantum, aut in particulari: non in vniuersali, quia talis intellectio esset imperfecta: nec in particulari, quia particularia sunt infinita, & infinita à nulla scientia determinantur: ergo non intelligit particularia distinctè.

His potest addi septimum argumentum omnium fortissimum. Docet Arist. duodecimo meth. text. quinquagesimo-primo, Deum seipsum tātum cognoscere, & non alia extra se.

Demonstrationes concludentes Deum cognoscere, non solum se ipsum, sed etiam alia à se ad mentem Aristo.

Cap. 59.

DEinde secundo loco demonstrādū est ad mentem Arist. tribus demōstrationibus, ex Aristotele desumptis. Deum nedum seipsum, verum etiā alia à se, cognoscere.

Prima itaquè ratio formata fuit à D. Thom. duodecimo metha. lect. octaua, particula septima, ad aures Aristotel. Talisquè est. Secundum Arist. esse Dei, est nobilissimum, & potentissimum: at secundum ipsummet Arist. intelligere Dei est esse Dei, vt nos probauimus supra cap. 55. ergo intelligere Dei, est nobilissimum, & potentissimum. Tunc vltrà: ergo se perfectissimè intelligit. Tūc vltrà: at quantò aliquod principium perfectius intelligitur tantò magis in eo, effectus eius cognoscuntur: ergo Deus cognoscendo se, omnes suos effectus in se cognoscit. Tunc vltrà, sed Deus est causa omnium entium vniuersalissima, vt declarabimus ī tractatu de creatione ad mentem ipsius Arist. ergo Deus cognoscit omnia entia.

Secunda demonstratio. Vnumquodquè est in altero secundum modum eius in quo est, cum vnumquodquè recipiatur secundum modum recipientis, secundum eius doctrinam: at esse Dei est intelligere Dei, vt ex cap. quinquagesimo quinto constat: ergo quidquid est in Deo in eius intelligere est, sed omnia alia à Deo sunt in Deo cum sit omnium causa: ergo omnia alia à Deo in Dei intelligere sunt: ergo omnia alia à Deo ab ipso intelliguntur.

Tertia demonstratio. Per Aristotelem primo posterio. cap. secundo, scire est rem per causam cognoscere, ex consequenti, qui causam cognoscit, etiam causatum cognoscit: at Deus cognoscit se omnium esse causam, cum perfectissimè se cognoscat, vt monstratum est cap. quinquagesimo quarto: ergo Deus omnia sua causata cognoscit, sed ipse est omnium causa: ergo &c.

At, quonam modo de mente Aristot. Deus alia à se cognoscat, aperiendum est. Et pro huius explicatione duo considerada sunt.

Primò considerandum est, aliquid bifariam cognosci. Vno modo, in seipso, veluti cum oculus hominem intuetur per hominis speciem. Alio modo, non in seipso, vt cum pars in toto inspicitur per totius speciem, vt cum homo conspicitur in speculo per speciem speculi. Asserimus itaquè, Deum seipsum videre in seipso; quoniam vt monstratum est cap. 52. ad mentem ipsius Aristotel. Deus seipsum cognoscit suam per essentiam, tanquam per propriam speciem, hoc autem est videri in seipso. Alia autem à se in alio, hoc est in seipso intuetur, non autem in seipsis: tum quia vt nũc demonstratum est, cognoscit alia à se cognoscendo propriam virtutem, propriamquè causalitatem: tum quia ostensum est capit. quinquagesimotertio, Deum omnia intelligere solum per suam essentiam.

Secundo considerandum est, alia à Deo bifariam posse contineri, & representari in diuina essentia, & per diuinam essentiam. Vno modo, sicut rerum imagines in speculo, hocquè modo res aliæ à Deo non continentur in diuina essentia, nequè ab ipsa representantur; quandoquidem ea, quæ in speculo continentur (vt sensu apparet) sunt multiplicia realiter, & inter se distinctionem realem habẽtia, quod impossibile est in Deo reperiri ad mentem Aristote. cum secundum ipsum, sit simplicissimus. Alio modo, sicut effectus in sua causa continentur per vnicam virtutem omnia producentem, non diuisim; verum vnitissimè, in vna virtute, omnia eminenter continente, adeò vt indiuisibiliter, & simplicissimè sint in ipsa. Et hoc modo asserimus omnia in Deo contineri, & per eius essentiam repræsentari, & ratio est; quoniam vt nunc demonstratum est, Deus omnia alia se, in se, sicut in causa cognoscit.

Responsiones ad argumenta superius adducta. Cap. 60.

EX dictis facilimè responsa damus ad argumenta superius adducta.

Ad primum inficias imus consequentiam, quæ suaderi non potest, nisi fortè hac ratione; quoniam ità est in nobis; verum talis probatio nulla est; quoniam intellectus noster aliquando est in potentia tantum ad aliud intelligendum, aliquando verò, in actu illud intelligit, quapropter de potentia in actum exijt per acquisitionem alicuius perfectionis in ipso, quæ eius intelllectio est, Deus autem semper actu intelligit: idcircò, nõ est simile de Deo, & de nobis. Deindè si ita nobis conueniret, arguere de intellectione Dei, sicut de nostra, cum noster intellectus, non intelligat, vel seipsum, vel alia, nisi per intellectionem reipsa distinctam à se ipso, argueremus Deum intelligere seipsum, vel alia per intellectionem, à sua substantia distinctam, quod est contrà Aristo. vt ostensum fuit supra. Qua de re asserimus Aristote. nunquam illam somniasse consequentiam.

Ad secundum negatur sequela; nec Aristotel. eam confecit, & ad probationem asseritur; Primò illud assumptum non esse verum, quando intallectio ab intelligente reipsa non semouetur. Secundò autumamus intellectũ esse intelligentis perfectionem, nõ quidem, secundũ substantiam, sed sm̃ speciẽ, per quã est in intellectu, vt forma eiusq; perfectio. lignũ .n. non est in aĩa, sed eius species, vt affirmat Aristot. 3 de Aĩa tex. 3. ea autẽ, quæ sunt alia à Deo, ab ipso intelliguntur, quatenus Dei essẽtia eorũ cõtinet species; quocirca nõ sequitur, aliqd aliud à Deo esse diuini itellectus pfectionẽ, q̃ ipsam Dei essentiã. Ad tertiũ negatur cõsequẽtia, nec Aris. eã vnq̃ confecit. Et ad eius probationem affirmamus, intellectionem ab intellecto pendere, quæ est ab ipso intellecto causata. Deindè autumamus, intellectio-

lectionem ab intellecto dependere, quando ab intelligente distinguitur, vt in omnibus contingit creaturis, non autem, quando intellectio est idem substantialiter cum intelligente, vt est in Deo.

Ad quartum negatur consequentia, nec illam Aristot. conficit Et ad probationem dicitur primo. Intelligens transmutari secundum substantiam in aliud in esse intelligibili, quando intellectio ab ipso intelligente remouetur. Secundo asseritur, esse verum, quando intelligens est aliquãdo in potẽtia, quod nullo modo Deo conuenit.

Ad quintum negatur cõsequẽtia, & ad primã propositionẽ, ꝑ eius probatione assumptam, scilicet: Intellectio rei vilis, non est nobilis, sed vilis, asseritur: illam esse intelligendam, quando illa res vilis, in seipsã per propriam speciem cognoscitur, non autem quando intelligitur in alio nobilissimo, vt omnia alia à Deo in essentia Dei nobilissima intelligũtur. Et ratio est, quia ipsum intelligere nõ specificatur, nec nobilitatem sumit per id quod in alio intelligitur, verum per principale intellectum, in quo alia intelliguntur. Et ratio est, quoniam ipsum intelligere intantum per obiectum specificatur, inquantum forma intelligibilis est intellectualis principium operationis, operatio enim per formam, quæ est operationis principium specificatur, sicut calefactio per calorem; quapropter intellectualis operatio, per illã formam intelligibilem specificatur, quæ intellctum in actu facit, & hæc est species principalis intellecti. Quæ species in Deo nil aliud est, quam sua essentia, in qua rerum omnium species comprehenduntur. Ad alteram propositionem assumptam, scilicet, melius est non meditari vilia, quam meditari: vera est, quando aliquis vilia meditando, à dignissima horum cõsideratione retrahitur; verum quãdo vilissima simul, cùm dignissimis intelliguntur, tunc nihil nobilitatis per vilissimorum intellectionem tollitur: at Deus simul omnia tam vilissima, quam dignissima simul intelligit.

Ad sextum asserimus, Deum intelligere omnia in particulari, & distinctè, vt in sequentibus capitibus explicabitur; & cum hoc improbatur, dicimus, infinita posse à sciẽtia infinita cognosci, cuiusmodi est Dei scientia, non autem à finita scientia.

Ad septimum astruimus, Deum intelligere aliquid extra se bifariam intelligi posse: vno modo quando intelligit id, quod est aliud ab ipso, & hoc pacto, Deus intelligit aliquid extrà se, immo omnia alia extra se intelligit, nec hoc reprobat Aristo. eo loci: Alio modo, quãdo cognoscit aliud à se primò, & per se, non autem in ipso Deo, & hoc modo Deus nihil extra se intelligit, immo omnia, quæ cognoscit, cognoscit suã essentiam intuendo, & hoc pacto intelligit Arist. Vel sub alijs verbis breuioribus, ista formatur distinctio, nec non responsio. Intelligere aliquid extra se, duobus contingit modis: vno modo, vt extra se præsefert medium cognoscendi, & hoc modo Deus nihil intelligit extra se, tanquam per cognitionis medium, cum intelligat quidquid intelligit per suam essentiam, ei summè intimam, & hoc modo intelligendus est Aristotel. affirmans Deum nihil intelligere extrà se. Alio modo, vt extra se, intellectionis obiectum secundarium dicit, & hoc modo Deus intelligit extra se omnia alia à se, distincta, vt sunt in seipsis tanquam obiecta, tamen secundaria, licet ista omnia suam per essentiam sibi intimam intelligat, vt nunc, nunc assertum est.

Rationes

Rationes Auerroi attributa suadentes Deum, non cognoscere alia à se propria cognitione.

Cap. 61.

CVm fuerit efficaciter demonstratum, Deum alia à se dignoscere; valde rationi consonum est, ostendere, ipsum Deum alia à se cognoscere propria cognitione. Et circa hanc speculationem, tria agenda sunt. Primò titulus difficultatis aperiendus est. Secundò adducenda est quædam opinio falsa Auerroi attributa. Tertiò respondendum est, ad mentem Aristotel. Prima duo in præsenti capite sunt pertractanda, in sequenti autem tertium determinabimus.

Quò ad primum. Notandum est, propriam cognitionem ex duplici capite accipi, & cōsiderari posse. Altero mō ex parte actus cognoscendi, vt illa dicatur propria cognitio hoc modo de aliqua re, quia cognoscendi actus solum ad illam terminatur, & in præsenti, nō est sermo de propria cognitione hoc modo; quoniam compertissimum est ex determinatis, Deum non habere propriam cognitionem de aliqua re, neque etiam de seipso; quoniam actus Dei cognoscendi non terminatur solum ad aliquam rem, neque etiam solum ad seipsum, verum ad seipsum, & ad omnia alia: quapropter, Deus de nulla re propriam habet cognitionem ex parte actus cognoscendi. Altero modo sumitur propria cognitio, vt distinguitur contra communem ex parte rei cognitæ, vt appelletur cognitio propria ex parte rei cognitæ, quæ est ex proprijs principijs, proprijsquè ipsius rei prædicatis, & hoc pacto sumitur propria cognitio, & hęc de primo.

Quò ad secundum. Auerrois opinio adducenda est, nam Auerr. 12 Metaphys. Commento 51. videtur sentire, vt verba sua sonant, Deum cognoscere alia à se non propria cognitione; verum quadam communi cognitione; nam verba sua sunt hæc. Et veritas est, qd primum scit omnia secūdum quod scit se tantum, scientiam in esse, quod est causa eorum esse; verbi gratia. Qui scit calorem ignis tantum non dicitur nescire naturam coloris existentis in reliquis calidis, sed iste est ille qui scit naturam caloris, secundum quod est calor. Et similiter primum scit naturam entis in quod est ens simpliciter, quod est ipsum. Hæc Commentator.

Ex quibus verbis colligitur talis ratio, ad mētē Comment., ac per hoc, Aristot. (aiunt Commentistę) sicut ignis, si cognosceret seipsum, ut est caloris principium, caloris cognosceret naturam, nec non, omnia alia, inquantum calida sunt, pari modo, Deus inquantum seipsum cognoscit, vt est primū entis principium, naturam entis cognoscit, nec non omnia entia inqnantū entia sunt, sed ignis si cognosceret seipsum, vt est primum caloris principium, omnia calida cognosceret solum in communi, quò ad communia prædicata, inquantum calida sunt; ergo Deus cognoscendo seipsum, vt est primum entium prīcipium, omnia cognoscit entia in communi, quatenus entia sunt, quò ad communia prædicata, nō autem, quò ad prędicata propria. Quod autem ad aures Aristot. Deus cognoscat alia à se, inquantum seipsum cognoscit, & inquantum est omnium entium principium manifestum apparet ex capite 53. vbi probatum est, Deum omnia cognoscere solummodo per suam essentiam, & capite 59. vbi probatum est, Deum cognoscere alia à se, quatenus est omniū vniuersalissima causa primūque principium. Ex quibus colligitur, ad mentem Aristo. nedum ad mentem sui Commentatoris, Deum cognognoscere alia à se, non propria cognitione, sed communi.

Secundo ità argumentum Assertum est ad aures Aristote. ità Deum alia à se cognoscere quatenus alia in ipso sunt, sed alia à Deo, sunt in ipso, sicut in prima

ma causa communi, & vniuersali; ergo & alia à se cognoscit Deus, sicut in causa prima, & vniuersali, hoc autem est cognoscere in vniuersali, non autem secundum propriam cognitionem.

Demonstratur secundum Aristotel. doctrinam, Deum cognoscere alia à se propria cognitione, & argumenta contrariæ opinionis diluuntur. Cap. 62.

QVò ad tertium. Destruenda est Auerr. opinio, ostendendumq; est ad aures Aristot. Deum alia à se cognoscere propria cognitione, & hoc tribus rationibus.

Prima ratio destruens positionem Cõmentatoris, nostramque demonstrans, talis est. Si Deus alia à se cognosceret solummodo vt entia sunt; ergo cognosceret tm̃ in cõi. & in vniuersali; ergo intelligere Dei esset valdè imperfectum, hoc autem est contrà Aristo. vt demonstratum est, c. 55. vbi ostensum est, intelligere Dei esse ipsius substantiam, quæ est nobilissimum ens, vt ipse docet 12. Met. tex. 51. ergo secundum Arist. Deus cognoscit omnia distinctè. Prima consequentia nota est. Secunda autẽ probatur ex primo Phys. tex. 2. 3. & 4. vbi docet Aristotel. cognitionem in communi, & in vniuersali esse cognitionem confusam, ĩ potentia, & imperfectam: at per te, Deus alia à se cognoscit, vt entia sunt, ergo in communi, & vniuersali; ergo ista cognitio est confusa, in potentia, & imperfecta; quod erat probandum.

Ad hanc rationem rñd. Auer. negãdo primam consequẽtiam, scilicet, Deus cognoscit alia à se vt entia sunt; ergo in communi, & in vniuersali. Ratio negationis est, quoniam obiectum scientiæ Dei nequaquam est ens, quod est vniuersale ad omnia entia in communi, comprehendens omnia in communi, in potentia, confusè, & imperfectè; verum scientiæ Dei obiectum sua est essentia, quę non est vniuersalis, nec particularis, nec communis, nec propria; idcircò scientia Dei non est vniuersalis, nec particularis, nec communis, nec propria, verum æquiuocè est à nostra eleuata, quapropter ista consequentia prima minime valet: Deus cognoscit alia à se, vt entia sunt; ergo ea cognoscit in communi, & vniuersali, cum cognitio Dei, vt assertum est, non sit vniuersalis, nec particularis, nec propria, nec communis, Verum hæc responsio nulla est, quandoquidem aliud est primum diuini intellectus obiectum, quod est diuina essentia, & aliud sunt prædicata cognita de rebus in diuina essentia relucentia. Verum est enim diuinam essentiam, quod est obiectum diuini intellectus primũ, non esse vniuersalem, vel particularem, nec communem, nec propriam, ex consequenti scientiam Dei, non esse vniuersalem, nec particularẽ, nec communem, nec propriam respectu diuinæ essentiæ, quod est primum diuini intellectus obiectum: Prædicata tamen de rebus cognitis, in diuina essentia sunt vniuersalia, & particularia, communia, & propria; quocircà ens prædicatum de rebus in diuina essentia cognitis est vniuersale prædicatum, & rationale proprium, & ita de alijs prædicatis cognitis de rebus in diuina essentia; & ideò illa consequẽtia prima optima est, scilicet, Deus alia à se, vt entia sunt, cognoscit; ergo Deus cognoscit alia à se, quò ad prædicata communia, & vniuersalia, cum ens sit entium vniuersalissimum prædicatum; ergo ista cognitio est confusa, in potentia, & imperfecta.

Secũda ratio fabricatur super duob. fundamẽtis, ad mentem Arist. Primum fundm̃. In Deo omnes rerum omnium perfectiones inueniuntur. Hoc fundamentum iam superius demonstratum est. Secundum fundamentum. Essentia, & perfectio cuiuscunquè rei consistit in aliqua diuinę naturæ participatione. Hoc fundamentum conspicuũ

est

est ex 2. Metaph. text. 4. vbi explanatur. Primum in vnoquoque genere esse omnium aliorum causam, quatenus ipsum participant; sicut ignis est omnium calidorum causa, inquantum omnia calida ignis naturam participant: modo aūt patens est. Deum esse primū ens, ac per hoc, alia oīa entia sūt entia, & perfecta, quatenus de natura, diuinaq; perfectione participant. Istis suppositis itā fabricatur ratio secunda. Dei essentia habet quidquid perfectionis est inquocunquè, & amplius; at perfectio cuiuscunquè rei cōsistit in diuinę essentiæ participatione; ergo participabilitas diuinæ naturę à quocūq; ē a Dei essentia. Vtraq; propositio aperta est ex fundamentis: Tūc vltrà, sed Deus perfectè seipsum cognoscit; ergo cognoscit seipsum, quatenus est à quocunque participabilis, sed propria natura, propriaquè perfectio cuiuscunquè consistit in esse participabile diuinæ naturę; ergo Deus cognoscit propriam essentiam, propriāquè perfectionem cuiuscunquè rei; hoc autem est cognoscere omnia propria cognitione.

Tertia ratio. Deus perfectè seipsum cognoscit; ergo Deus naturam essendi perfectè cognoscit; ergo omnes essendi modos cognoscit perfectè, sed qualibet res, etiam materia prima secundum propriam naturam aliquem essendi modū habet: ergo Deus propriam omnium naturam cognoscit. Antecedens est Arist. vt sępe fuit probatum. Prima consequentia manifesta est, quia Deus in se, totam essendi naturam continet. Secunda consequentia suadetur: quoniam natura essendi, omnes essendi modos amplectitur. Propositio autem sublumpta, scilicet, qualibet res habet &c. notissima est.

Ex his responsa patent ad rationes pro Auerr. adductas.

Ad primam itaquè rationem, ista consequentia negatur: Deus cognoscit omnia vt est causa omnium; ergo tantum vt entia sunt; quoniam, vt affirmatū est, in secunda ratione, Deus est omnium causa, non tantum secundum communem entis rationem, verum etiam secundum proprias, & intimas omnium naturas; cum sit causa omnis entis, & omnium cuiuscunquè entis modorum.

Ad secundam bifariam respond. Primò illa propositio, scilicet: Sic cognoscere aliquid, sicut est in cognoscēte, duobus modis intelligi potest. Altero modo, quatenus hoc aduerbium, sic, importat modū cognitionis ex parte rei cognitæ, & tūc propositio falsa est; quandoquidem, nō semper cognoscens cognitum cognoscit secundum illud esse, quod in cognoscente habet; nam oculus nequaquam lapidem cognoscit, secundum esse, quod in oculo habet, verum per lapidis speciem, quam in se habet, lapidem cognoscit secūdum esse, quod habet extra oculum: vt intellectus lapidem cognoscit secundum esse intelligibile, quod in intellectu habet; verum nihilominus cognoscit lapidem esse in propria natura. Altero modo potest intelligi illa ꝓpositio, quatenus hoc aduerbium, sic, modum ex parte cognoscentis importat, & hoc modo verissima ē propositio; qm̄ cognoscens sic solū cognoscit cognitum, sicut est in cognoscente, quia quantò perfectius cognitum est in cognoscente, tantò modus cognitionis est perfectior: quare asserendum est, Deum non solum cognoscere res, vt habent esse in se ipso, verum etiam cognoscit res, vt sunt in seipsis in propria natura, per id per quod res continet (& hoc est diuina essentia) & tantò perfectius quantò perfectius vnumquodquè in ipso est, & ideo negatur hæc propositio: Cognoscere res in Deo, tanquam in causa vniuersalissima est cognoscere in communi, & imperfectè: est enim iste modus cognoscendi perfectissimus, cum in ipso existant modo perfectissimo.

Secundo respondetur. Cum asserimus lapidem in Deo videri; ista propositio (in) potest duo adnotare. Primò obiecti modum, idest, medium, quo la-

lapis intellectui obiicitur. Secundò potest denotare modum rei cognitæ, vt cognita est, hoc est, modum cognitum, quoniá lapis non solum in ipso Deo obiicitur, verum etiam modus ille essendi in Deo cognoscitur. Et maximum discrimen reperitur inter illos duos modos, quia adnotando obiecti modum; veritatem sapit, cum exclusiua dictione, adeò vt ista propositio sit vera, lapis videtur à Deo solum in ipsomet Deo, eo quoniam, non aliter Deo obijcitur, quam in ipso Deo contentus: sed modum cognitum adnotando, nequaquam veritatem sapit cum exclusiua dictione; quoniam lapis, licet videatur à Deo, secundum quod habet esse in Deo, non tamen tantum; quoniam etiam lapis videtur secundum esse, quod in hoc, vel illo lapide habet, nec non secundum esse, quod in suis causis materiali, & efficiente habet, & tandem secundum omnes essendi modos, non solum sibi conuenientes, verum etiam possibiles respectu omnipotentiæ diuinæ. Nam Deus in seipso lapidem intuendo perspicit diligentissimè, & distinctissimè lapidem, secundum omnes essendi modos, quos habet, & habere potest etiam per diuinam omnipotentiam. Quapropter ad argumentum formaliter respondendo dicimus, si prima propositio intelligatur de cognitione ex parte modi obiecti, vera est, in istoquè sensu intelligenda est, dum fuit à nobis in superioribus asserta. Verum tunc negatur, cognoscere sic in causa vniuersali esse cognoscere cognitione communi, non autem propria; si autem prima propositio intelligatur ex parte modi rei cognitæ, tunc negatur; quoniam Deus cognoscit alia à se, non solum vt sunt in seipso, verum etiam vt in proprijs sunt naturis.

Deus simul omnia intelligit, secundum Aristot. sententiam.

Cap. 63.

DEum omnia simul intelligere, hoc loci, demonstrãdum est quinquè rationibus, ad mentem Aristotel.

Prima ratio est formata ab ipso Aristo. 12. Met. tex. 51. Si Deus non omnia simul intelligeret, sed vnum post aliud; ergo de vno in aliud mutaretur; at in Deo nullus est motus; ergo Deus omnia simul intelligit.

Secunda ratio. Ostensum est supra cap. 53. intelligere Dei esse Dei substantiam; at in substantia Dei non est prius, & posterius, sed est tota simul, vt ostensum est cap. 29. vbi probatum est, Deum esse omninò immutabilem, ac per hoc, nullam pati secum prioritatem, & posterioritatem; ergo in Dei intellectione, non est prius, & posterius ex consequenti, eius intellectio est tota simul.

Tertia ratio. Omnis intellectus vnum post aliud intelligens, aliquando est intelligens in potentia, aliquando in actu, cum enim intelligit primum, intelligit secundum in potentia; at in Deo nulla est potentia ad intelligendum, vt explicatur 12. Metaphysic. text. 39. & 51.

Quarta. Secundum Aristo. in 2. de Anima text. 33. operationes per obiecta distinguuntur, ac per hoc, vbi sunt plura obiecta, ibi sunt plures operationes; si ergo Deus non omnia simul intelligit, verum primo vnum obiectum, postmodum aliud, tunc in Deo erunt duæ vel plures operationes, hoc autem est impossibile secundum doctrinam Aristotel. cum supra capit. 55. ostensum fuerit ad eius mentem, Dei intelligere esse eius substantiam, & ideò, sicut est tñ vna Dei substantia, ità est etiam tantum vnum eius intelligere.

Quinta ratio. Docet Aristo. primo Topicorum: Intelligere esse vnum solum

ſum, ſcire verò multa: ex quo colligitur, omnia illa poſſe ſimul, & vna intellectione intelligi, quę poſſunt per vnam ſpeciem intelligibilem repreſentari, & cognoſci, vt etiam explicatur 3. de Anima tex. 24. at omnia quæ De⁹ cognoſcit per vnam tantum ſpeciem, ſcilicet, per ſuam eſſentiam cognoſcit, vt demonſtratum eſt ſuprà Cap. 53. ad mentem ipſius; ergo Deus omnia quæ cognoſcit ſimul, & vnica intellectione cognoſcit.

Cognitio Dei minimè eſt habitualis, ſecundum Ariſtotelis doctrinam. *Cap. 64.*

EX his etiam compertiſſimum eſt, in Deo nullam eſſe habitualem cognitionem, quæ tamen veritas adhuc quinque rationibus oſtenditur deſumptis ex Ariſtotel. auctoritatibus.

Prima ratio. Vbicunquè eſt cognitio habitualis, ibi in habitu aliqua cognoſcuntur, non autem in actu, vt aſſeritur 3. de Anima tex. 8. & 12. Metaphyſic. text. 51. at Deus omnia ſimul intelligit, vt nunc demonſtratum eſt; ergo &c.

Secunda. Habens habitum, & non conſiderans eſt quodammodo in potentia ſecundum Ariſto. locis nunc citatis: at diuinus intellectus nullo modo in potentia eſt, vt pluries fuit oſtenſum, & præcipuè ex 12. Metaphy. tex. 39. & 51. ergo &c.

Tertia. Habitus eſt quędam qualitas, vt affirmatur in prædicamento qualitatis, ac per hoc omnis habitus eſt quoddam accidens; at in Deo nullum eſt accidens, vt oſtenſum eſt capit. 14. ergo &cęt.

Quarta ratio explicatur in 3. de Anima text. 8. In habitu cognoſcens non ſemper in actu eſt, ac per hoc ſibi deeſt propria operatio, & cum non ſibi de eſſe contingat ſua eſſentia, intellectus talis habet operationem à ſua eſſentia diſtinctam; ſed in Deo operatio eſt eius eſſētia, vt pluries aſſertū fuit ad aures Ariſtote. ergo in Deo non eſt cognitio habitualis.

Quinta ratio eſt Ariſtot. formaliter, ità argumentantis 12. Metaph. text. 51. Si Deus eſt in habitu intelligens: ergo non erit aliquid nobile, hoc autem falſum eſt; ergo &c. Probat ipſe conſequentiam hoc pacto. Intellectus intelligens tantum in potentia, vel in habitu, ſe habet ſicut dormiens, dormiens enim habet quidem potentias operum vitæ, verum vitæ opera minimè operatur, ſed ſomnus appellatur vitę dimidium, & non differt felix ab infelici, & virtute præditus à vitioſo; ergo intellectus in habitu non eſt in vltima felicitate, & perfectione, hoc autem eſt maximum inconueniens, vt explicatur ab ipſo duodecimo Metaph. tex. citato, cum Deus ſit optimus, & maximus.

Deus non intelligit componendo, & diuidendo, ſecundum Ariſtot.

Cap. 65.

DEum non intelligere componendo, & diuidendo luce meridiana clarius docet Ariſt. 12. Meta. text. 50. 51. circà finem tribus rationibus, quibus nos addemus alias quatuor ex eius doctrina ſumptas.

Prima Ariſtotelis ratio hæc eſt. Omnis intellectus, qui componit, & diuidit, de vno in aliud intellectum tranſmutari poteſt, cum partes propoſitionis ſeparatim antequam per notam verbalem componantur, intelligi poſſint; at omnis tranſmutatio primo mouēti (qui eſt Deus) ex diametro repugnat; ergo &cæt.

Secunda eius ratio. Omnis intellectus componens à rebus compoſitis, & materialibus ſcientiam accipit; at diuinus intellectus ab huiuſmodi rebus nequaquam ſcientiam accipit, immo nec

alia

alia substãtia separata, cum suum naturale obiectum, sit quidditas abstracta, sicut nostri obiectum intellectus est materialis quidditas; ergo Dei intellectus, est omninò simplex, & indiuisibilis, tam in essendo, quam in intelligendo.

Tertia Arist. ratio hæc esse. Intellectus, qui est compositorum, & per compositionẽ intelligens nequaquam, suam semper habet perfectionem, verum per tempus eam acquirit, & ratio est, quoniam sua perfectio non consistit in intellectione huius, vel illius partis, putà hominis vel animalis, verum huius totius, homo est animal, at prius partes intelligit, subinde totum; ergo sua perfectio in tempore acquiritur, & non sibi semper inest, at Diuinus intellectus est optimus diuinissimus, & perfectissimus, alioquin de imperfecto ad perfectum tenderet, quod simplicissimo actui, qualis est Deus, omnino repugnat.

Istis tribus Arist. rationibus addendæ sunt aliæ quatuor ex eius doctrina exceptæ.

Quarta ratio. Vt probatum est cap. 53. Deus omnia cognoscit, suam essentiam cognoscendo, at suam essentiam non cognoscit componendo, & diuidendo, cũ in Deo nulla sit compositio, vt superius ostensum fuit, se ipsumquè intelligat, sicuti est, cum seipsum comprehendat vt capit. 54. demonstratum fuit; ergo nil intelligit componendo, & diuidendo.

Quinta ratio. Vt ostensum fuit in prima ratione: Quæ componuntur, & diuiduntur nata sunt seorsum abinuicem separari, seorsumquè cognosci, & ratio suffragatur, quia si cognito quid est res, statim cognosceretur quid ei inest, vel non inest, compositione, & diuisione minimè opus esset; ergo si Deus componeret, & diuideret, non vnico intuitu omnia consideratet, hoc autem est contra prædicta.

Sexta ratio. Vt dicitur 3. de Anima tex. 26. Compositio, & diuisio est in intellectu componente, & diuidente, quoniam verum, & falsum consistunt in compositione, & diuisione, verum autẽ & falsum sunt in mente, vt dicitur 6. Metaph. circà finem, sed in Deo nulla est compositio; ergo nec in intellectione Dei est compositio.

Septima ratio. Intellectus diuinus intelligit eo modo quo intellectus humanus intelligit quod quid est, qui modus est simpliciter aprehendendo, & hanc veritatem explicat Arist. 3. de Anima tex. 26. sed compositio, & diuisio minimè est in simplici intellectus apprehẽsione, vt dicitur 3. de Anima tex. 26. & 6. Metaph. tex. 9. & 9. Metaph. tex. 22. ergo in diuino intellectu non est compositio, & diuisio.

Quapropter concludit Arist. in fine tex. 51. 12. Metaph. diuinum intellectum esse simplicissimum, quo se intelligit primò & alia in seipso, non variabiliter nec temporaliter, sed in tota æternitate.

Cognitionem Dei minimè esse discursiuam demonstratur ad mentem Aristotelis.

Cap. 66.

EX nunc assertis exploratum est, Dei scientiam nequaquam esse quocunquè modo discursiuam: verum antequam veritatem hanc demonstremus, primo considerandum est in nobis duplicem esse discursum, alter est secundum successionem tantum; quemadmodum cum aliquid intellexerimus in actu, postmodum conuertimur nos ad aliud intelligendum; Et de isto discursu sermonem habet Arist. tertio de Anima te. 8. vbi autumat cum noster intellectus factus est sciens, potest operari, & quodamodo est in potentia, minimè tamen in pura potẽtia, vt erant ante addiscere, vel ante inuenire, ac per hoc cum vnum intelligit, potest ad aliud intelligendum, se conuertere. Alter discursus est secundum causalitatẽ, sicut cum per principia in conclusionem cognitionem

tionem adipiſcimur diſcurrentes, & de iſto diſcurſu loquitur Ariſ. 1. poſte. cap. primo.

His ſuppoſitis primò demonſtratur Dei ſcientiam non eſſe primò modo diſcurſiuam. Diſcurſus iſte conſiſtit, in intelligendo vnum poſt aliud; at oſtenſum eſt c. 63. Deū oīa ſimul intelligere ad mentem Ariſ. ergo Deus, non intelligit diſcurrendo ſecundum primum diſcurſum.

Deinde oſtenditur Dei ſcientiam nequaquam eſſe diſcurſiuam ſecundo diſcurſu. Et hoc quinque rationibus.

Prima ratio. Ex dictis, diſcurſus ſecundi modi primum ſupponit diſcurſum, nec non compoſitionem, & diuiſionē; at in Deo, non eſt primus diſcurſus, nec compoſitio, & diuiſio; ergo &c.

Prima propoſitio nota eſt ex 1. poſt. c. 1. ex quo apparet hunc ſecundum diſcurſum fieri ex principiorum cognitione complexorum, ad concluſiones; ergo & principia complexa, & priorem ipſorum principiorū cognitionem præſupponit, & includit; quocircà in iſto 2. diſcurſu intelligitur vnum poſt aliud. Primò enim intelliguntur principia, deinde poſt concluſiones, ſed in Deo non eſt primus diſcurſus; ergo nec ſecundus.

Secunda ratio. Talis diſcurſus eſt de noto ad ignotum, vt aſſeritur 1. poſt. eò loci; procedit enim ex principiis notis, ad concluſionem ſimpliciter ignotam, licet ſit nota quodammodo, vt dicitur tex. 4. quocircà concluſio non cognoſcitur ſimpliciter in principijs, vt ibi explicatur, verum ex principijs, vnde affirmatur, in diffinitione ipſius demonſtratiui diſcurſus, ipſum diſcurſum conſtare ex veris, primis &c. & ideò diſcurſus iſte non eſt in primis principijs, ſed ex primis principijs; at Deus cognoſcit omnia non ex primo, ſed in primo, hoc eſt in ſeipſo, propriam intuendo eſſentiam, vt fuit oſtenſum cap. 59. ergo Deus non diſcurrit ſecundo diſcurſu.

Tertia ratio. In iſto diſcurſu duæ con concurrunt intellectiones, altera qua cognoſcuntur principia prius tempore, vt affirmatur 1. poſt text. 3. altera quæ concluſio cognoſcitur; at in Deo vna tantū eſt intellectio, vt pluries oſtenſum fuit; ergo &c.

Quarta ratio. Concluſiones in principijs continentur in potentia, ſeu virtute, vt explicatur 1. poſt. tex. 4. quocirca omnis cognitio diſcurſiua aliquid potētialitatis habet, & aliquid actualitatis, ſed in diuino intellectu nulla eſt potentia; ergo &c.

Quinta in omni ſcientia diſcurſiua eſt aliquid cauſatum, vt notum eſt ex demōſtrationis diffinitione; nam demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, ſed in Deo nihil eſt cauſatum; ergo &c.

Ex his colligitur ſcientiam Dei eſſe ſicut noſtram ſciētiam in termino diſcurſus, ſcientia enim noſtra in diſcurſus termino eſt, quando iam reſolutis effectibus in cauſas effectus, in cauſa à nobis videntur, ità Deus videt omnia in ſeipſo, ſicut in omnium cauſa.

Contra hanc veritatem eſt tale argumentum. Cognoſcere effectum per cauſam eſt ſcire diſcurrentis, ſed Deus cognoſcit aīa omnia per ſeipſum ſicut per cauſam; ergo &c.

Reſpondetur bifariā. Primò propoſitio prima vera eſt, quādo cauſa prius cognita eſt, quam effectus: at tunc negatur minor ſubſumenda. Secundò rndetur. Primam propoſitionem eſſe intelligendam, quando effectus cognoſcitur per cauſam, ſicut ex cauſa; non autem quando effectus cognoſcitur per cauſam, tanquam in cauſa; Deus cognoſcit omnia per eſſentiam ſuam, non tanquam ex cauſa, verum tanquam in cauſa.

Scientia Dei eſt rerum omnium cauſa adiuncta tamen voluntate, de mente Ariſtotelis.

Cap. 67.

Hic opere preciū eſt oſtendere Dei ſcientiā rerum oīum cām eſſe hac tamen

tamen conditione, quatenus adiunctam habet voluntatem: Et primo demonstrandum est, scientiã Dei esse rerũ causam, tali ratione. Dei scientia se habet ad res omnes, vt scientia artificis ad artificiata; sed artificis scientia est artificiatorum causa: ergo scientia Dei est rerũ causa. Prima propositio colligitur ex trib. locis Arist. Primus locus est text. 85. 2. Phy. vbi Arist. comparat naturam arti medicinæ alicuius, seipsum medentis; quę circa D. Thom. eò loci ait ad aures Arist. naturam nil aliud esse, quam diuinæ artis rationem: quapropter ad mentem Arist. natura est quoddam artificiatum respectu diuinę artis, ars autem nil aliud est, quam artificis sciẽtia, vt docet Arist. 12 Met. tex. 51. ergo Dei sciẽtia ad res naturales se habet, vt sciẽtia artificis ad artificiata. Secundus locus est tex. 38. 12. Met. nam Arist. eo loci docet, primi motus necessitatẽ non esse absolutã necessitatẽ, verũ necessitatẽ finis, assumptam ab eo, à quo dependet Cęlum, & natura. Et in tex. 52. explanat, hunc finem esse Deũ intelligẽtẽ, vt supra per multa capita ostensum est; qua de re omnia ad Deum sciẽtẽ comparantur (ait D. Thom. ad aures Arist.) sicut artificiata ad artificẽ. Tertius locus est tex. 52. & 53. 12. Met. vbi Arist. comparat totum vniuersum ad Deũ, sicut totus exercitus ad ducem: sed militaris sciẽtia Ducis est sciẽtia quædam artificis, & exercitus est quoddam artificiatũ respectu ducis; ergo Dei sciẽtia ad res omnes creatas, sicut artificis scientia ad artificiata, se habet, quod erat probandum. Minor autem propositio comperta est ex 2. Phys. tex. 86. & 9. Met. tex. 10. & 12. Met. text. 51.

Deinde demonstratur, Dei scientiã nõ agere, nisi adiuncta voluntate; quod facilimè probatur ex 9. Met. tex. 10. vbi docet Arist. scientiam ex se ad opposita se habere, minimèquè ad effectum determinari, nisi per appetitum, & voluntatem; ergo scientia nequaquam rem causat, nisi adiuncta voluntate, ipsam scientiam determinante.

Subindè tota conclusio ità demonstratur: Esse Dei est essentia Dei, Deiquè intelligere, vt superius ostensum est; at Deus causat per suam essentiam; ergo per suum intelligere, per suumquè intellectum causat; sed intellectus nõ causat nisi adiuncta voluntate, vt nunc demonstratum est: ergo &c.

Cõtra hanc veritatem vnum adest argumentum, quod est tale: Docet Arist. 10 Met. tex. 5. & 21. scibile esse mensuram, & principium scientiæ, ex quo colligitur, scientiã esse ipso scibili posteriorem, mensuratamquè esse ab ipso scibili: sed id quod est posterius, & mensuratum non potest esse causa prioris, & mensuræ: ergo scientia non potest esse causa rei scibilis.

Respon. propositionẽ Arist. esse intelligendam de nostra scientia à rebus causata, nõ autẽ de scientia Dei, neq; de artificis sciẽtia, per quã artificiata operatur. Hoc loci aduertẽdum est, res naturales medias esse inter Dei scientiam, & nostram: Etenim nos à rebus naturalibus scientiam accipimus, quas Deus per suam sciẽtiam causat: qua de re, sicut naturalia scibilia priora sunt, quã nostra scientia, nostraquè sciẽtiæ mẽsura sunt: pari modo sciẽtia Dei, rebus naturalibus prior est, earumq; mensura: sicut aliqua domus media est inter artificis sciẽtiã, qui eam fabricauit, & illius scientiam, qui cognitionem eius ex ipsa iam facta, accepit.

Deus cognoscit ea, quæ non sunt secundum Aristotel.

Cap. 68.

CVm in præcedenti capite assertum sit, Dei scientiam esse sicut artificis scientiam, apertè colligitur, Deum cognoscere ea, quæ non sunt: hocq; demonstrandum est tribus rationib.

Prima ratio. Artifex, ea quæ nondum sunt artificiata, cognoscit: quoniam formæ artis ex artificis scientia in exteriorem effluunt materiam, vt explicatur 9.

Met.

Met.tex.16.at, vt demonstratum est capite præcedēti, sciētia Dei est sicut artificis scientia: ergo Deus per suam scientiā cognoscit ea, quæ nondum sunt.

Secunda ratio. Demonstratum est suprà cap.54. Deum omnifariam seipsum cognoscere, seipsumque, & totam suam virtutem comprehendere: ergo Deus cognoscit omnia, quæ repræsentantur per suam essentiam: at Dei essentia est repræsentatiua, non tantum eorum, quæ sunt, verum etiam eorum, quæ non sunt: ergo Deus cognoscit tàm ea, quæ non sunt, quam ea, quæ sunt. Prima propositio cum prima consequentia notę sunt ex dictis. Secūda aūt propositio ità ostenditur. Diuina essentia est omniū, quę ab ipsa procedunt, possuntquè procedere, similitudo; quorum quędam procedent, quædam autem non: & ideò infinitorū similitudo est eorū, quæ nunq̄ procedēt: & ratio istorum est, quia Deus secundum Aris. est infinitę virtutis, infinitęquè perfectionis, vt docebimus in tractatu de infinitate Dei ad aures Aristot. & hoc ostensum est sup.cap.25. alia verò omnia finita sunt; ergo Dei essentia supradicta omnia repræsentat.

Tertia ratio. Aliquis effectus potest, antequā fiat, in sua causa cognosci; sicut Eclipsis futura ab Astrologo cognoscitur ex motuum cęlestium consideratione; at Deus habet de rebus cognitionem per causam; cum omnia alia à se, vt suos effectus cognoscat, suam intuendo essentiam; ergo Deus suos effectus, etiā antequam fiant, cognoscit.

Contra hanc veritatem insurgit tale argumentum. Scientia similitudinē inter scientem & scitum exigit; at nulla est inter Deum, & ea, quæ non sunt similitudo, cum Deus sit ipsum esse, quæ autem non sunt, nullum habent esse.

Respon. licet ea, quæ non sunt, affirmētur simpliciter nō esse, sunt tñ in potentia, vel Dei, vel creaturæ, & ità sunt aliquo modo, ac p hoc, licet inter Deū, & ea quæ non sunt, non sit similitudo vniuoca, est tamen aliqua similitudo analoga. Secundò responderi potest, primam propositionem veram esse, quādo scita sunt per se scita; non autem quādo scita sunt per aliud scita.

Deus cognoscit mala, cognoscendo bona per Aristotelem.

Cap. 69.

Deum cognoscere mala per bona demonstrandum est. Et primò probandum est, Deum mala cognoscere: deindè ostendendum est, Deum cognoscere mala per bona. Primum ità suadetur. Priuatio est negatio quædam, vt dr in post prædicamentis, & 5 Met.tex.27. Sed Deus cognoscit negationem; ergo etiam priuationem cognoscit; ergo malum cognoscit. Vltima cōsequētia patet, quia malum est quędam boni priuatio. Minor suadetur hoc pacto: Deus cognoscit totius vniuersi distinctionem, & ordinem, vt constat 12.Met.tex.52. at in distinctione includitur negatio vnius ab alio, vt patet eodem tex. ergo Deus cognoscit negationem, quod erat probandum.

Deindè ostenditur, Deum cognoscere mala per bona. Ex Aristo.3.de Anima tex.25. secūdum D.Tho. interpretationem super illum tex. & 1.p.q.14. art.10. ad primum, & primo con.gen ca.71. in quo tex. Arist. docet, Deum cognoscere mala per bona. Pro cuius intelligentia aduertēdum est, maximum esse discrimen (secundum Arist. iuxta D.Th. interpretationē) inter intellectum diuinum, & nostrum intellectū circà mali, priuationisquè cognitionē. Nam intellectus noster duobus modis malum, & priuationem, seu potentiam cognoscit; vno modo per potentiam; alio modo per actum, per potentiam quidem, hoc modo & ordine. Primò enim intellectus est in potentia ad intelligēdum aliquid puta lapidem. Secundò fit in actu per lapidis speciem, & tunc lapidem intelligit. Tertiò reflectit se suprà seipsum; & cognoscit se habere lapidis speciem, essequè lapidem in esse intelligibili. Quartò per hanc reflexionem cogno-

 scit

scit se quandoquè non habuisse lapidis speciem, nec fuisse lapidē, dum cognoscit se priuatum fuisse specie, & forma lapidis; ex consequenti: Quintò cognoscit se fuisse in potentia ad cognoscendum lapidem, & ità per priuationem speciei intelligibilis lapidis intelligit priuationem, & potentiam in esse naturę, at per hoc, noster intellectus priuationem per priuationem, & potentiam per potentiam cognoscit. Secundò cognoscit noster intellectus priuationē, & potētiā per actum, inquantum ex actus cognitione potentiam, & priuationem cognoscit, sicut per lucem cognoscit tenebras, & omnis priuatio per suum habitū cognoscitur; & ratio est; quoniā vnumquodquè cognoscibile est secundum qđ est, esse autem mali, & vniuscuiusq; priuationis est boni priuatio; ex consequenti, malum per bonum cognoscitur; Intellectus autem diuinus, qui nullo modo est in potētia, nequaquam prædictis modis cognoscit mala, & priuationes, nequè intelligit per speciem superadditam, vt superius demonstratum fuit, verum solùmodo per seipsum intelligit se, omnia mala, omnesquè priuationes, & omnes potentias; & iste est sensus verborum Arist. quæ sunt ista. *Aut quomodo malum cognoscit aut nigrum, contraria enim quodammodo cognoscit, oportet autem potentiam esse cognoscens, & esse in ipso: si verò alicui non inest contrarium, s. in potentia seipsum cognoscit, & actu est, & separabile.* Vndè ait D. Th. con. gen. loco citato. Non oportere sequi Auerr. asserentem ex his verbis, sequi intellectū, qui est tm̄ in actu (qualis est diuinus intellectus) nullo mō cognoscere priuationē, sed sensus est verborū, intellectū tm̄ in actu existentē non cognoscere priuationem per hoc quod est in potentia, ad aliquid aliud, sed per hoc quod cognoscit seipsum, sed est semper in actu, hęc D. Th.

Cōtra hanc veritatē tria sunt argumēta. Primū. Quod cognoscitur nō per seipsum, sed per aliud imperfectè cognoscitur, sed malū nō cognoscitur à Deo per seipsum, quia sic oporteret malum esse in Deo, quoniā cognitū est in cognoscēte. Si ergo per aliud cognoscit' à Deo imperfectè ab ipso cognoscitur, hoc aūt est impossibile, cū nulla Dei cognitio sit imperfecta.

R̄ndetur. Primā propositionē verā esse si illud est cognoscibile per se, qđ .n. per se est cognoscibile si per aliud cognoscatur est imperfectè cognitū; verū malū nō ē per se cognoscibile, cū de rōne mali sit, vt boni priuatio sit, & ideò nō potest diffiniri, nec cognosci nisi p bonū.

Secundū argm̄. Oīs sciētia, vel est causa sciti, vel à scito cātur, vt manifestū ē ex supioribus at Dei sciā nō ē cā mali, nec à malo cātur; ergo sciā Dei nō ē malorū.

R̄ndetur. Scientiam Dei nō esse cām mali, esse tamen cām boni per quod malū cognoscitur, & ideo prima propositio vā interpretāda est. Oīs sciētia vel est cā sciti, vel cātur ab eo, vel est cā rei per q̄ scita cognoscit. Sciētia aūt Dei respectu malorum in tertiò mēbro collocatur.

Tertium argm̄. Si Deus cognoscit mala p bona: ergo eius cognitio ē discursiua.

R̄ndet' negādo cōsequutionē. qm̄ mala p bona cognoscūtur, nō sicut cōclusiones p principia, verū sicut res per suas diffinitiones, cū bonum sit de rōne mali malum enim est boni priuatio.

Deus singularia materialia cognoscit, secundum Arist. doctrinam.

Cap. 70.

AD aures Arist. Deū oīa singularia materialia cognoscere apertissimè ostenditur quinquè rationibus.

Prima ratio. Fundat' super trib. fundamētis ex doctrina Arist. excerptis.

Primū fundm̄. Cognitis principijs ex qb. res cōstituit', cognoscit' et ipsa res: hoc fundm̄ collegitur ex 1. Phy. tex 1.

Secūdū fundm̄. Essentia rei singularis cōstituitur ex hac materia signata, & forma indiuiduata. Hoc fundm̄ colligitur primo ex primo de Cęlo text. 92. & 93. vbi docet vnitatē, ex pluralitatē indiuiduorū in eadē specie in materialib. ex materia desumi. Secūdò ex 12. Met. tex.

tex. 49. Vbi explicat distinctionem numeralem per materiam fieri, conficiens hanc consequentiam. Primum principium est vnũ specie, & plura numero; ergo habet materiam. Ex quibus habetur, materiam esse principiũ distinctiuum, ac per hoc, constitutiuum rerum materialium secundum numerum. Quod autem forma concurrat ad rei materialis constitutionem, colligitur ex multis locis doctrinæ Arist. & præcipuè ex 1. Physi. & 2. de Anima, tex. 7. & 8. & ex 12. Metaph.

Tertium fundamentum. Deus cognoscit materiã, accidẽtia indiuiduantia, & formas in materia indiuiduata existẽtes. Hoc fundamentum ostenditur ex ca. 55. vbi demonstratum est, intelligere Dei esse eius essentiam. Ex quo ità arguitur. Intelligere Dei est eius essentia; ergo intelligit omnia quæ quocunq; modo in eius sunt essentia; at materia, indiuiduãtia accidentia, formæ in materia indiuiduata existẽtes, virtualiter in diuina sũt essẽtia; ergo Deus omnia ista dignoscit. Minor conspicua est, tum ex superioribus, vbi demonstratum est omnes perfectiones esse in Deo, tum etiam quia est primum, & vniuersale essendi principium, vt supra ostensum est, omnis autẽ effectus vniuersaliter in sua causa est.

Ex his fundamentis. Prima ratio ità colligitur. Cognitis principijs ex quibus rei essentia constituitur, necesse est illã rem dignosci ex primo fundamẽto; at essentia rei singularis materialis, ex hac materia determinata, indiuiduataquè forma cõstituitur, ex secundo fundamẽto; ergo cognita forma singulari, indiuiduataquè materia, cognoscitur res materialis singularis; sed ex tertio fundamento, omnes formas singulares, omnẽquè materiam determinatam cognoscit Deus; ergo Deus cognoscit omnia singularia materialia.

Secũda ratio. Arist. primo de Anima tex. 80. arguens Empedoclem existimauit esse maximum absurdum, nos cognoscere litem, & discordiam, & ipsam Deum ignorare; sed nos cognoscimus litem, & discordiam; ergo litem, & discordiam, quæ sunt res singulares materiales cognoscit Deus.

Tertia ratio. Arist. 3. Met. te. 15. adhuc Empedoclẽ arguens, existimat esse maximũ inconueniens, Deũ ignorare, quę nos cognoscimus; sed nos cognoscimus singularia materialia, vt patet per Arist. in secundo, & 3. de Anima &c.

Quarta. Demonstratũ est superius ca. 59. Deũ cognoscere omnia inquantum est eorũ causa; at singularium materialiũ Deus causa est; ergo &c. Minor probabitur in tractatu de Creatione.

Quinta ratio. Primum mobile mouetur à mouente per intellectũ, & voluntatẽ, vt probat Arist. 12. Met. tex. 36. at non posset mouere, nisi cognosceret mobile inquantũ est hic, & nunc, ex consequẽti cognoscit singulare. Primũ itaq; mobile, vt quoddã singulare à mouẽte ipsũ cognoscitur. Tunc vltra. Illud mouens, aut est Deus, & ità intentum habetur, aut est aliquid aliud mouens infrà Deũ, cuius intellectus singulare cognoscit; ergo multò magis Deus. Consecutio ista conspicua est ex allegatis auctoritatibus ex primò de Anima te. 80. & ex 3. Metaph. tex. 15.

Cõtra hanc veritatem ex verbis Arist. duo formantur argumenta. Primũ argumentum: Cõtestatur primo de Anima, & primo poste. rationẽ esse vniuersaliũ, sensum autem particularium, & ratio est, quoniã ratio est immaterialis, sensus autem materialis, & ideò intellectus noster nõ cognoscit directè singularia materialia propter suã immaterialitatẽ; at diuinus intellectus est magis immaterialis, quã noster intellectus, vt patet ex superiorib. ergo multò magis diuinus intellectus materialia singularia nequaquam cognoscit.

Respõdemus, & inficiamur, præcisã causã ꝓpter quã intellectus noster minimè materialia singularia cognoscit, esse immaterialitatẽ, verũ pręcisa causa est, quia noster intellectus a principijs indiuiduãtibus intelligibilem speciẽ abstrahit, quapropter intelligibilis species

minimè principiorum indiuiduantium similitudo esse potest,& ea propter noster intellectus nequaquam singularia materialia cognoscit; at diuini intellectus intelligibilis species, cum sit Dei essentia nequaquam est immaterialis per abstractionem, sed per seipsam existens principiorum omnium, quæ rei intrant compositionem, siuè sint specici, siuè indiuidui principia, perfecta similitudo. Quocirca Deus per eam non solum vniuersalia, verum etiam singularia, quæcunquè dignoscit.

Secundum argumentum Arist. 3. de Anima text. 37. 38. & 39. sequens communem omnium sententiam, omnis cognitio est per aliquam similitudinem, at nulla est similitudo inter Deum, & materiam primam cum ille sit actus purissimus, vt patet 12. Meta. materia autem prima sit pura potentia; vt patet 1. Phys. ergo Deus materiam primam minimè cognoscit; ergo nec etiam singularia cognoscit. Ista consequentia suadetur ex eo, quia materia est indiuiduationis, & singularitatis principium, vt adductum est in secundo fundamento.

Respond. negando nullam esse similitudinem inter Deum, & materiam primam. Est enim analoga similitudo, licet non vniuoca, sicut enim Deus se habet ad suum esse, ità materia ad suum esse se habet.

Deus cognoscit infinita, ad aures Aristot. Cap. 71.

Ex assertis etiam facile ostenditur, ad aures Aristot. Deum infinita cognoscere, & hoc quadrifariam.

Primò hoc modo: Ostensum est supra capit. 68. Dei cognitionem ad omnia, & quæ sunt, & quæ non sunt, sed sunt in sua potentia, & omnium creaturarum, se extendere; at vt probatur in 3. Phys. in naturalibus, est infinitum in potentia; ergo Deus &c.

Secundò: Ostensum est ad aures Arist. cap. 55. Deum cognoscere perfectissimè suam virtutem; at Dei virtus non perfectè dignoscitur, nisi omnia in quæ illa potest se extendere, cognoscantur; at virtus Dei ad infinita se extendit, cum sit infinita, vt demonstratum est cap. 25. ergo Deus infinità cognoscit.

Tertiò: Ostensum est ca. 53. Deum cognoscere omnia per essentiam; at eius essentia, cum sit infinita, infinita repræsentat; ergo &c.

Quartò: Per Aristo. 3. de Anima tex. 7. Intellectus maximum intelligibile cognoscens, minus intelligibile magis cognoscit; quoniam intellectus non corrumpitur per excellens intelligibile, verum magis perficitur; at omnia infinita etiam si essent infinities infinita omnia simul sumpta minoris sunt perfectionis ad aures Arist. quam Deus, quia omnia haberent simpliciter esse finitum, & dependerent à Deo, vt explicabitur in materia de creatione; esse autem Dei est infinitum simpliciter, vt ostensum est sup. c. 25. ergo si Deus perfectè seipsum cognoscit, multo magis infinita, quæcunquè scintilla, dignoscere potest; at de facto Deus seipsum perfectè comprehendit; ergo multo magis infinita dignoscit.

Contra hanc veritatem est tale argumẽtum, ex Aristot. doctrina acceptum, 3 Phys. text. 62. & 63. Infinitum est, cuius quantitatem accipientibus semper est aliquid accipere; ergo infinitum est ignotum; ergo &c.

Respon. Infinitum duobus modis considerari posse. Vno modo per infiniti modum, & infinitum per modum infiniti cognoscitur, quãdo per partem post partem cognoscitur, & ratio est, quia infinitum quantitati congruit; vt explicatur 3. Phys. de ratione autem quantitatis est partium ordo, & hoc modo infinitum nullo modo cognosci potest; quoniam quantacunquè pars accipiatur semper aliquid remanet accipiendum. Alio modo potest considerari infinitum per finiti modum, quod est non numerando par-

partem post partem, verum totum simul accipere, & hoc modo est à Deo cognoscibile, quoniam Deus omnia simul intelligit, vt supra ostensum est.

Verum contra hanc responsionem ità instatur. Ratio infiniti est, vt sit impertransibile, vt colligitur ex 3. Physic. tex. 54 & ex 6 Phy. infinitũ aũt non potest pertransiri à finito, nec ab infinito; ergo infinitum non potest esse finitum apud aliquem finitum, vel infinitum intellectum.

Respondemus transitionem quãdam importare in partibus successionem, hinc prouenit, infinitum minimè siuè à finito, siuè ab infinito pertransiri posse; Verumtamen ad comprehensionis rationem adæquatio sufficiens est; quoniam id propriè comprehenditur, cuius nihil est extrà comprehendentem; quare re nequaquam est contra infiniti rationem, vt ab infinito comprehendatur; quocirca, quidem in se infinitum, potest Dei scientię finitum esse, tanquam ab ipso comprehensum, non tamen tanquam pertransibile; & ideò vltima consequentia est falsissima.

Deus omnia vilia dignoscit, ad mentem Aristote.

Cap. 72.

FAcilimè etiam demonstratur ad aures Arist. Deum omnia vilia cognoscere, licet etiam hoc superius fuerit aliquo modo ostensum ex 12. Metaph. tex. 52. hocque tali ratione ostenditur. Deus vniuersi ordinem cognoscit, cum sit ipsum vniuersi ordinẽ ordinans, & statuens; at de vniuersi ratione, non solum sunt nobilia, verum etiam vilia, vt ibi docet Aris. ergo Deus vilia sicut nobilia cognoscit.

Verum contra hoc est Aristo. 12. metaphys. tex. 51. qui videtur velle, vt melius sit vilia ignorare, quam scire. Respondetur Arist. mentem esse, vt etiam supra ostẽsum fuit, melius esse vilia ignorare, quam cognoscere, quando vilium consideratio nobilium considerationẽ impedit. Secundò dicimus melius esse non cognoscere vilia, quam cognoscere, quando alia cognitione vilia cognoscuntur, & alia cognitione nobilia; non autem quando nobilia, & vilia eadem cognitione simul cognscuntur.

Argumenta opinantium non dari futura contingentia ad mentem Aristot. in rebus naturalibus, nec in voluntarÿs.

Cap. 73.

MAteriam agredimur, pulcherrimam quidem, verùm valdè difficilem, & fortè ab humano ingenio nequaquam intelligibilem; quæ est de futuris contingentibus, an dentur, ad mentem Aristo. tam in naturalibus, quam in voluntarijs; & an ad eius aures à Deo cognoscantur, & quonam modò percipiantur. Circa quam materiam sex agenda sunt. Primò adducenda sunt argumenta quibus aliqui opinantur ad aures Aristo. futura contingentiã minimè dari; nec non argumenta opinantium, supposito ipsa dari, non tamẽ à Deo cognosci, ad mẽtẽ Aris. Secundò ostẽdẽdum est, dari futura contingentiã in rebus naturalibus. Tertio ostendendum est, pari modo in rebus voluntarijs, dari futura contingentia. Quartò argumentis suadentibus non dari cõtingentia, satisfaciendum est. Quintò ostendendum est ad mentem Aristo. Deum cognoscere futura cõtingẽtia; Sexto rñdendũ est argumẽtis suadentibus ad mentem Aristotel. Deum minimè cognoscere futura contingentia.

Quò ad primum: Adducemus argumenta opinantium non dari futura contingentia in rebus naturalibus ad mentem Aristotel. nec in rebus voluntarijs & hoc in præsenti capite. Deindè

in sequenti capite argumenta opinantium adducemus, licet futura dentur contingentia, non tamen cognoscuntur ad mentem Aristotelis.

Octo autem sunt argumenta suadentia effectus cõtingentes non reperiri in rebus naturalibus.

Primum argumentum. Aristo. sexto Metaphy. text. 7. adducit tale argumentũ, suadens, non dari futura contingentia in rebus naturalibus. Posita causa necessario ponitur effectus; at omne quod in vniuerso est, causam habet: ergo omne quod est in vniuerso, necessarium est; ergo nullum contingens.

Primum Auicenna in sua Metaphy. hanc corroborat opinionem tali ratione. Nullus effectus est possibilis in comparatione ad suam causam sufficiẽtem (loquendo de causis, & effectibus naturalibus) verum solum necessarius est; ergo &c. Suadet antecedens hoc modo: Si causa posita possibile est effectum non poni, & poni: ergo aliquid aliud à causa faciet ibi sequi effectum; ergo illa causa non erat sufficiens, quod est contrà suppositum: supponimus enim causam, esse sufficientem. Prima consequentia suadetur hac ratione. Id quod est in potentia inquantum huiusmodi, in actum non reducitur, nisi per aliquod ens in actu; at si causa posita sufficienti remanet in potentia, & non sequatur effectus; ergo requiritur aliud agens, & ita non erat sufficiens; asserendum itaquè est, omnem effectum esse necessarium respectu suæ causæ naturalis sufficientis.

Tertium argumentum. Si aliquis responsum daret ad ista duo argumenta, affirmans, illam propositionem in vtroquè argumento assumptam, scilicet: Posita causa sufficienti, necessariò sequitur effectus, non esse vniuersaliter veram; quoniam non tenet in causis deficere potentib. quales sunt causæ naturales. Et probaretur, hanc propositionẽ minimè vim habere ĩ istis causis naturalibus; quoniam naturales causæ, vt explicatur 2. Physico. non semper suos sequuntur effectus, sed tantum vt in pluribus, vndè in paucioribus deficiunt. Contrà hanc respõsionem ità arguitur. Causa naturalis deficiens vt sic in paucioribus est ex aliqua alia causa, ipsam à proprio effectu impediente; ergo necessariò deficit; ergo vt est vterq; effectus, scilicet, intentus, & vt in pluribus eueniens, & effectus præter intentionem proueniens, vt in paucioribus, pari modo est necessarius. Consequentia suadetur, quia etiam ipsum impedimentum ex necessitate euenit.

Quartum argumentum. Posita causa sufficienti, & necessaria, necesse est poni effectum; at cœlestia corpora sunt causę sufficientes suorum effectuũ, causæquè necessariæ; cum corpora cœlestia sint causæ necessariæ sui motus, nec non suarum dispositionum; ergo necessariò omnes sui effectus ponuntur.

Quintum argumentum. Effectus agentis ex necessitate in materia sequitur, quando agentis virtus tanta est, vt sibi totam materiam subijcere possit; at tota inferiorum corporum materia, cœlestium corporum virtuti subijcitur tanquam excellentiori; ergo ex necessitate effectus cœlestium corporum in materia corporali recipiuntur.

Sextum. Si ex necessitate effectus cœlestis corporis non prouenit, hoc est propter aliquam causam impedientem; at omnia corpora, quę cœlestis corporis effectum impedire possunt, necesse est, vt in aliquod cœleste reducantur principium; cum corpora cœlestia sint causę eorum, quæ in his inferioribus naturalibus fiunt; ergo cum & illud cœleste principium impediens sit necessarium, necesse est illũ effectum necessariò impediri; & ità omnia in rebus naturalibus necessaria sunt, ac per hoc, nullus effectus contingens est in his rebus naturalibus.

Septimũ. Sicut effectus quasi simplex puta calidum habet in corpore cęlesti aliquam per se causam, in quam reducitur eius proxima causa, ità concursus proximarum

marum causarum à concursu, A, illarum causarum cęlestium causatur, sicut combustibile esse in supficie Terræ, tandem est à cœlesti causa, A, & similiter, combustiuum superius genitum, & deorsum cadens est à B. cœlesti causa: ergo concursus combustibilis cum combusto est ex concursu. A. & B. Tunc vltrà, sed concursus A. & B. est per se, & non per accidens, quia in cęlo nullus est concursus per accidens, cum omnia ibi sint per se; ergo horum concursus inferiorum habet per se causam secundum esse, quamuis quoad nos sit per accidēs, quia nos illius perseitas connexionis latet.

Octauum argumentum. Omne per accidens reducitur ad per se: ergo effectus per accidens, ad causam per se reducitur, ex consequenti, omnis effectus est per se; ergo nullus contingens.

Deindè suadendum est ex principijs philosophiæ naturalis, effectum contingentem in voluntarijs minimè reperiri, & hoc quinque argumentis.

Primum argumētum. Ait Arist. tertio Ethicor. Qualis vnusquisquè est, talis finis ei videtur, sed non est nostra in potestate aliquales esse, verum, hoc est in nobis à natura; ergo nobis naturale est, vt aliquem consequamur finem: ergo non ex libertate

Secundum Asseritur primo methap. liberum esse, quod sui causa est; ergo qđ ab alio mouetur nequaquam liberum est; at Deus omnia agentia, etiam intellectualia, & rationalia mouet, vt explicatur duodecimo meth. text. quinquagesimo secūdo: ergo intellectualia, & rationalia effectus liberos, & contingentes minimè habent, verum omnes necessarios.

Tertium Obiectum volūtatis, ad ipsam comparatur, sicut mouens ad mobile; sed motus mobilis necessariò ex mouente sequitur: ergo voluntatis obiectum voluntatem necessariò mouet.

Quartum. Sicut apprehensum secundum sensum est sensitiui appetitus obiectum, ita apprehensum secundum intellectum est appetitus obiectum intellectiui, qui est voluntas; at apprehēsum secundum sensum ex necessitate appetitum mouet sensitiuum, vt patens est in animalibus, quæ à visis obiectis necessario mouentur: ergo apprehensum secundum intellectum ex necessitate volūtatem mouet.

Quintum. Bonum est volūtatis obiectum, sicut verum est intellectus obiectum; at intellectus viso vero necessariò ipsi vero assentit: ergo & volūtas necessariò bono adhæret cognito; ergo nullus est effectus liber, et cōtingens in voluntate.

Deindè duobus argumentis suadetur non esse in toto vniuerso vniuersaliter contingentiam.

Primum. Demonstrat Aristot. sexto methaphic. text. septimo, hanc ꝓpositionem, scilicet omnis effectus, qui aliquam habet per se causam, quæ causa est, vel fuit, ad quam de necessitate sequitur effectus, talis effectus necessariò prouenit: at primum principium est omnibus præexistens effectibus, quæ quotidiè eueniunt, cum sit æternum, & ad ipsum sequitur de necessitate effectus, cum sit potentissimus, vt explicatur duodecimo methaphisicæ textu quinquagesimoprimo: ergo omnes effectus in vniuerso necessario proueniunt.

Secundum. Vnusquisquè prouisor suum habebit opus, quantum potest, ne deficiat: at Deus est summè potens ad aures Aristotelis, vt nunc dictum est; ergo Deus omnibus rebus necessitatem imponit.

Argumenta opinantium Deum minimè futura contingentia cognoscere ad mentem Arist.

Cap. 74.

IN isto capite ponenda sunt argumēta opinantium ad mentem Arist. futura contingentia Deum minimè cognoscere, quæ sunt septem.

Primum argumentum. Afferitur primo post. cap. secūdo, nihil posse sciri, nisi sit verum; at demonstratur primo Periher. cap. vltimo, in futuris cōtingentibus determinatam non esse veritatem: ergo futura contingentia nequaquàm sciri possunt; ergo nec Deus ea cognoscit.

Secundum. Docet Arist. primo priorū: Ex maiori de necessario, & minori de inesse non sequi conclusionem necessariò: sed hæc propositio est vera, omne scitum à Deo, necesse est esse: at nullum contingens necesse est esse, vt colligitur primo Periher. loco citato: ergo nullum contingens à Deo scitur.

Tertium. Illud, ad quod sequitur impossibile, est ēt impossibile, sed impossibile ad hoc sequitur, vt Deus sciat singulare cōtingēs, & futurū: ergo impossibile est, Deum futurū singulare cōtingēs dignoscere. Maior nota: minor ità suadetur. Ponatur, Deum aliquod singulare contingens futurum cognoscere, puta, socratem sedere, aut ergo possibile est, socratem non sedere, aut non est possibile: si non est possibile: ergo est impossibile socratem non sedere: ergo socratem sedere, est necessarium: positum autem erat, quod esset contingens. Si autem sit possibile, non sedere, hoc posito, nō deberet sequi aliquod incōueniens, sequitur autem scientiam Dei falli: ergo non erit impossibile, Dei scientiam falli.

Quartum. Probatum est supra scientiam Dei esse nostra scientia nobiliorē: at nostra scientia non est nisi necessariorum, vt docetur primo posterio. ergo multò magis scitum à Deo est necessarium; at nullum futurum contingens est necessarium, vt explicatur primo Periher. ergo futurum contingens à Deo minimè potest scitum esse.

Quintum. A causa necessaria non sequitur nisi effectus necessarius: at Dei scientia est causa scitorum, vt supra ostensum fuit, & est necessaria causa: ergo sua scita sunt necessaria: ergo non sunt contingentia.

Sextum. Omnis vera conditionalis, cuius antecedēs est absolutè necessariū, & consequens absolutè, necessariū est. Sed hæc est quædā vera conditionalis: si Deus sciuit hoc esse futurum, hoc erit, cum scientia Dei non sit nisi verorum, & suū antecedens est necessarium absolutè tum quia est æternum; tùm quia significatur vt præteritum; ergo et suum consequens absolutè necessarium est: ergo omne à Deo scitum est necessarium; quocircà scientia Dei non est contingētium. Prima propositio ità suadetur, sicut se habent principia ad conclusionē, ità se habet antecedens ad consequens, cum antecedens sit consequentis principium: at vt asseritur primo posterio. ex principijs necessarijs non sequitur nisi necessaria conclusio: ergo in omni vera conditionali vbi antecedēs absolutè necessarium est, & suum cōsequens est absolutè necessarium.

Septimum. Explicatur quarto methaphisicæ, qui vnum determinatum non intelligit, nihil intelligit; sed futurum contingens nullam habet determinationem, vt affirmatur primo Periher. loco citato: ergo &c.

Demonstratur ad aures Aristot. effectus contingentes in rebus naturalibus inueniri.

Cap. 75.

QVò ad secundum principale. Hoc loci ostendendum est, in rebus naturalibus futura contingentia dari. & duo agenda sunt. Primò ostendendum est, hanc esse apertam Arist. mentem. Secundò assignāda est causa, propter quā in rebus naturalibus hæc contingentia dentur.

Quò ad primum. Triplici ratione ex Arist. desumpta suadendum est, in rebus naturalibus, futura contingentia dari.

Prima ratio. Arist. primo Periher. cap. vltimo per totum expresiè hanc fatetur veritatem, & secundo phys. à tex. 48. vsq; ad tex. 68. Iterum sexto meth. tex 7. ostēdit in rebus naturalibus esse futura contingentia tali ratione. Si non essent in naturalibus aliqua futura cōtingentia; ergo omnes naturales effectus essent necessarij, & necessariò euenirent; hoc autem est contrà experientiam; nam videmus, quædam semper euenire; vt Solem oriri; quædam autem vt in pluribus, vt hominem nasci cum duobus oculis; quędam autem vt in paucioribus, vt hominem nasci cum sex digitis.

Secunda. Ex secundo phys. & primo Periher. locis citatis. Si non essent cōtingentia in rebus naturalibus, sed omnia necessariò euenirent: ergo non esset in rebus fortuna, nec casus, qđ est cōtra sensum. Consequentia probatur, quia casus & fortuna sunt eorum, quæ eueniunt cōtingenter, præter intentionem, vt ibi docetur.

Tertia auctoritas desumitur ex libello de diuinatione per somnum, lectio. 1. D. Th. quasi in fine, quæ hæc est. *Quoniā non eueniunt multa somniorum, nihil est inconueniens. Neque enim eorum, quæ in corporibus sunt signorum, & cœlestium, velut quæ aquarum, & ventorum; si enim alius vehementior isto accidet motus à quo futuro signum factum est, non fit.* Quæ verba ita interpretatur S. Thomas eo loci, dicens, non esse inconueniens multa euenire, quorum signa somnia sunt; ita enim est in natura, quòd multa signa apparēt in corporibus inferiorib. quorum consignata non sequuntur: sicut infirmo apparet aliquando signum mortis, vel sanitatis: & tamen non sequitur signatum. Et sic in cęlestibus aliquādo apparet signum pluuiæ, vel venti, & tamen non sequuntur signata. Et causa huius est, quia signa futurorum fiunt à causis præsentibus eorundem, cum autem causa superior, & fortior superuenerit, tunc nō sequitur signatum ipsum signum.

Possibilitatem materiæ esse radicem contingentiæ ostenditur ad mentem Arist.

Cap. 76.

SEcundo loco ostendendum est, quid sit radix, & causa contingentiæ apud Arist. Sciendum itaquè est duplicem esse contingentiæ causam; alteram remotā, & principalem; alteram proximam, & propriam. Et iterum hæc propria est duplex; altera radicalis; alteraquè completiua. Et tunc affirmamus, Deum esse causam contingentię remotam, & principalē, possibilitatem autem, seu posse deficere, vel materiam seu materiæ cōditionē (hæc enim idem significant, secundum nostrum præsens institutum) esse causā proximam, & propriam, nec non radicalem: duarum autem, vel plurium causarum concursum, esse causam completiuam. Et hæc omnia ad mentem Arist. demostrantur, & primo agēdum est de radice contingentiæ; deinde de causa completiua. Tertiò de principali causa.

Quò ad primum. Talis ponitur conclusio. Possibilitas materiæ, seu potentia materiæ passiua est propria contingentiæ

tiæ radix, ad aures Arist. nō autem sunt causæ cœlestes.

Pro huius conclusionis manifestatione, & declaratione tria fundaméta præmittenda sunt. Primum fundamentum: Actio agentis, & si, vt egreditur ab ipso sufficiens sit, & optime circumstantionata, nec impedita, quatenus tamen in patiente recipitur, necesse est, vt sit iuxta naturam, modum, & cōditionem mobilis modificata. Quod ita demōstratur ad aures Arist. Docet Arist. secundo de anima omnem actum fieri in patiente disposito, ex quò sequitur secundum omnium interpretationem, omnem actum esse in eo, cuius est actus, secundum ipsius recipientis dispositionem, et modum.

Secundum fundamentum. Omnia hæc corpora inferiora se habent sicut patiens, & materia respectu corporum cœlestium. Hoc fundamentum ostenditur ab Arist. secundo de cœlo tex. 17. & sequentibus, vbi demonstrat, Terram, cœteraquè elementa esse de vniuersi integritate, & naturaliter omnem motum cœlestem præcedere; Terramquè vna cum alijs elementis, suppositum esse ipsi motui, & actioni cœlestium corporum. Hoc idem affirmat clarissimè primo metheo lect. 4. D. Th. circa medium; vbi astruit, totā materiā corporalé, quæ est sub corpore circulariter moto, esse quandam materiam, in potentia existentem ad caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem; nec non ad alias passiones, & formas, quæ ad hæc consequuntur.

Tertium fundamentum Effectus cōtingens duarum causarum subordinatarum quarum prima est necessaria, proxima autem est cōtingens, reducitur in causam necessariam modificatam tamen in proxima causa contingenti; & ideo licet causa prima in se sit necessaria; attamen modificata est contingens. Hoc fundamentum conspicuum est ex primo Priorum: vbi explicatur, conclusionem contingentem ex vna præmissa necessaria, & ex alia contingenti prouenire. Et quia vt asseritur secundo phys. causæ, & effectus sunt proportionatæ; idcircò necesse est, cum effectus sit contingens, q est conclusio contingens: vt præmissæ, quæ sunt causæ sint contingentes, non quidem absolutè, verum secunda absolutè est contingens, prima autem vt modificata contingens est.

Ex his fundamentis conclusio proposita ità demonstratur. Cōditio effectus ex materię conditione prouenien nō reducitur in motorem illius, seu in actiuum in illā, sed in primam materiæ conditionem, ipsum motorem, vel actiuum modificantem, ex primo fundamento: at omnia corpora inferiora sunt vt materia respectu totius cœli. ex secudo fundamento: ergo omnes conditiones omnium effectuum horum inferiorum, ex corporum inferiorum conditionib. prouenientes, reducendæ sunt in ipsorum corporum inferiorum conditiones, non autem in conditiones cœlestium corporum, licet omnes horum inferiorum effectus reducantur in corpora cœlestia, tamquàm in causam primam, sine qua nihil fit in ipsis corporibus īferioribus; Tunc vltrà: at conditiones inferiorum corporū sunt posse deficere ab esse substantiali, & accidentali, posse agere, & pati, semperquè habere esse mutabile, vt docet Arist. locis citatis: ergo conditiones effectuum horum inferiorum, ex huiusmodi conditionibus euenientes reducuntur non in causas cęlestes, sed in posse deficere, & posse pati, seu in potētiam materiæ passiuam, tamquàm in proximam causam radicalem, seu in propriā omnium contingentium radicem. Tūc vltrà, sed per Aristo. primo phys. & periher. adductis locis, posse in minori parte deficere, est conditio, & radix propria, seù propria causa, seù causa proxima casus, & fortunæ, & omnis in rebus naturalibus contingentiæ: ergo radix casus fortunæ, omnisquè rerum naturalium contingentiæ consequitur posse deficere, seu materiæ passiuam potentiam: ergo materiæ possibilitas, seu posse deficere, vel potentia materiæ passiua est propria

pria causa, seu radix proxima contingẽtiæ, in rebus naturalibus. Et ista est aperta Arist. mens, primo periher. secundo phys. & 6. met. locis adductis, vbi rerum naturalium contingentiũ in corporũ inferiorum conditionem semper resoluit, scilicet quoniam deficere possunt.

Causa effectus contingentis proxima contingentiam perficiens, & complẽs, ex duarum, vel plurium causarum mutuò se impedientium concursu, prouenit ad mentem Aristot.

Cap. 77.

Deindè ostendendum est, cõcursum duarum, vel plurium causarũ mutuò se impediẽtium esse causam contingentiæ perfectiuam, & completiuam ad mentem Arist. Pro cuius notitia notanda est hęc Arist. doctrina pulcherrima, mirabili ordine in doctrina sua, explicata, quæ hæc est. Licet potẽtia materię passiua, seu posse deficere sit radix contingentię in rebus materialibus, vt nunc manifestatum est; attamen hoc minimè sufficit ad ipsius complementum, vt cõtingentia in actum reducatur. Verum necessariò concursus causarum mutuò se impedientium requiritur, & in ipsum actuale impedimentum effectus cõtingens reducitur; & hęc esse ad aures Arist. ità manifestatur. Nam primò ostẽdit in primo Perihe r. posse deficere, seu passiuam materię potentiã effectus contingentes causam esse.

Deinde in secundo physicorum textu sexagesimoquinto, reducit effectus contingentes in causam agentem, casum, & fortunam, quæ causæ per accidens, respectu contingentium appellantur. Hæc autem causa, quæ est casus, & fortuna est, vel natura, vel intelligentia, vt eo loci Aristoteles contestatur. Ex quo colligitur, non tãtum materiæ possibilitatem ad contingentiam concurrere; verum etiam, & actiuum principium. Quod autem cõcursus causarum mutuò se impedientium necessarius sit, declaratur ab Aristotele secundo physicorum textibus sexagesimo, sexagesimo primo, sexagesimo secundo, & sexagesimotertio: Nã equus veniens casu ad aliquem locum, salutem adeptus est, non tamen ibi venit causa salutis. Ecce aduentum equi præstitisse impedimẽtum illo humori malo, infirmitatis causatiuo, ne infirmitatem cãret, ad quam natura per se intendebat; similiter animal potest corrumpi, tamen non corrumpitur nunc, verum potius pro illo tunc ad vitã tendit, nisi cadat à casu lapis, qui ipsum percutiat, & interimat. Ecce lapidem concurrisse, ne in illo animali vita sequatur.

Deinde tertio, sexto methaph. text. septimo docet, posse alicuius generationem poni, & alterius corruptionem, & tamen minimè sequitur illius generatio, vel corruptio, vt cõurgit in his, quæ non agunt semper, sed tantum, vt in pluribus, & ideò, vt in paucioribus impediuntur.

Deindè quartò, secundo physicorum à textu quadragesimooctauo, vsque ad textum quinquagesimumseptimum docet, casum, & fortunam esse causam per accidens in his, quæ vt in paucioribus eueniunt: ergo hoc impedimentum est causa per accidens, quæ est casus, & fortuna: ergo effectus fortuiti, & casuales sunt propter aliquam causam cõcurrentẽ, & impedientem: at effectus casuales, & fortuiti sunt effectus contingẽtes: ergo &c.

Deinde quintò, sexto methaph. textu septimo docet, effectus contingentes ad aliquod principiũ per se reduci; hoc autem principiũ per se amplius ad aliud per se principium non reducitur, verum ad principium per accidens, seu casuale; & dat exemplum D. Tho. hunc textum inter-

terpretans quod iste à latronibus occidatur, causam per se habet, quia vulneratur, & hoc etiam habet causam per se; quoniam à latronibus inuenitur, verum hoc minimè per se causam habet, sed tantum per accidens. Quod enim iste, qui negociatur per viam vadens inter latrones incidat est per accidens. Ecce concursum causarum mutuò se impedientium esse, causam huius effectus contingentis completiuam, latrones enim, negociatori occurrentes ipsum impediũt, ne possit lucrari, & in ipsũ causant mortem.

Causa contingentiæ primaria est Deus, secundum Aristotel. doctrinam.

Cap. 78.

VLtrà supradictas causas contingẽtium est etiam necessaria causa omnium primaria, vt colligitur ex duodecimo meth. tex. 52. vbi docet Aristo. Deũ velle vniuersi perfectionem; nec non docet vniuersi perfectionem, in hoc consistere, vt sint quædam, quæ suum finem semper sequantur, & huiusmodi, sunt substantiæ separatæ, cęlestiaquè corpora, in quibus secundum seipsa nihil casuale, & præter naturam euenit, vt in filijsfamilias accidit, & quædam sint, quibus defectus, & contingentia accidunt, cuiusmodi sunt inferiora corpora. Ex quibus colligitur, Deum velle effectus necessarios, & contingentes. Et vt in natura rerum euenirẽt effectus tàm contingentes, quàm necessarij, & vt euenirent effectus necessarij, causas produxit necessarias, & vt euenirent effectus contingentes, produxit causas deficientes.

Possumusquè ità rationem formare ad mentem Arist. Deus vult vniuersi pfectionẽ, sed vniuersi perfectio, in hoc consistit, vt quædam sint causæ, necessarios causantes effectus, & quędam, sint causæ effectus producentes contingentes: quocirca Deus, causas produxit necessarias propter necessarios effectus; contingentesquè causas produxit propter effectus contingentes, et consequenti, Deus est causa totius contingentiæ primaria licet posse deficere sit proxima radix, & propria, concursusquè causarum sit causa proxima completiua. Vtraquè huius rationis propositio, vt affirmatum est, est Arist. eo loci. Et primò, Deum velle vniuersi perfectionem, ad aures Arist. clarum est, qa ibi ait, *sicut Dux vult perfectionem, & intrinsecam exercitus bonum, qui est exercitus ordo, ità Deus vult perfectionem, et bonum vniuersi*. Quod autem vniuersi perfectio cõsistat, vt sint quędã entia necessaria necessariò causantia, & q̃ dã cõtingentia, cõtingenter causantia conspicuum est, ex familiæ exemplo, sicut in familia sunt filij, & serui, & filij non ordinantur, vt aliquid præter patris ordinem, & casualiter causent, verum, vt omnia causent secundum patris intentionem, & serui ordinantur, vt aliquid pręter patris intẽtionem causent, & in hoc familiæ perfectio consistit; ità Deus, (ait Arist.) in vniuerso sunt quædam, q̃ à suis actionibus nunquam deficiunt, quædam verò, quę in suis deficiunt actionibus, & hæc de secundo principali.

Contingentiam in rebus voluntarijs inueniri ostenditur ad mentem Aristo.

Cap. 79.

QVò ad tertium principale. Contingentiam in rebus voluntarijs reperiri apud Arist. quinquè rationibus ex eius doctrina excerptis demonstratur.

Prima ratio. Si omnia in rebus voluntarijs necessariò euenirent, ergo non esset necessarium consilium de aliquo capere; hoc autem est falsum, & contrà Arist.

nif. tertio ethi lect. septima D. Tho. consequutio probatur; quoniam explicatur eo loci, consilium non esse de his, quæ ex necessitate, eueniunt: falsitas autem consequentis, ad mentem Aristot. ità demonstratur. Ex primo periher. Homo est suorum actuum futurorum principium, dominus ipsorum actuum existẽs habens sua in potestate agere, & non agere: at aliquid est suorum actuum dominus per hoc, quod consiliatur; ergo falsum est, hominem non consiliari. Prima huius prosyllogismi propositio, ità probatur. Si enim hoc principium, scilicet, homo est suorum actuum dominus, remoueatur, totus humanæ conuersationis ordo, tollitur, tolluntur omnia moralis philosophiæ principia, tollitur omnis vtilitas persuasionis, comminationis, permutationis, remunerationis, quibus homines ad bona alliciuntur, & à malis retrahuntur, & tàdem, tollitur tota scientia ciuilis, quæ omnia sunt maximè absurda. Minor autem illius prosyllogismi ità ostenditur. Ea enim, quæ nõ cõsiliantur, quodam naturali instinctu ad agendum mouentur, vt in brutis manifestum est: Ex opposito, itàque ea, quę suorum actuum dominium habent, propriè consiliantur. Hæc ratio tota desumitur ex primo periher.

Secunda ratio. Si omnia necessario accidunt, minimè autem contingenter: ergo omnes actiones humanæ, quę propter aliquem particularem finem sunt, (puta negociatio, quæ est propter diuitias acquirendas) essent superfluę, hoc autem est maximum inconueniens. Cõsequutio ꝓbatur; quoniam si omnia ex necessitate eueniunt, siuè operemur, siuè non operemur, necessario id quod intendimus, eueniet, falsitas consequentis comperta est ex hoc, quia illud est contra hominum intentionem, quando ea intentione negociantur, vt si hæc faciãt talis finis eueniat, si autẽ aliquid aliud agant, alius erit finis. Hęc etiam ratio ex primo periher. desumitur.

Tertia ratio. Docet Arist. secundo phisic. tex. 58. fortunam propriè in his, quibus contingit benè agere, reperiri. Benè autem agere possunt, quæ sui actus dominium habent: at per ipsum eodem lib. tex. 51. & 52. fortuna est causa per accidens effectuum contingentium, & fortuitorum: ergo effectus contingentes, in agentibus, quæ habent suorum actuum dominium, reperiuntur, hęc autem sunt agentia voluntaria, & libera.

Quarta ratio. Demonstratur 9. meth. tex. 10 Rationales potentias ad vtrumq; oppositorũ se habere, quocirca, possunt agere, & nõ agere præsente passibili, & necessariò minimè agũt, ad differentiã irrationaliũ potẽtiarum, quæ præsentę passibili necessariò agunt: ac per hoc rationales potentiæ contingenter agunt: at per ipsummet, eo loci, potentię rationales sunt appetitus ĩtellectiuus, qui appellatur ab Arist. 3. de anima, text. 50. voluntarios: ergo in rebus voluntarijs est contingentia.

Quinta ratio. In sexto Eth. lect. 1. D. Th. Docet Arist. partem ratiocinatiuam à scientifico, in hoc distingui; quoniam ratiocinatiuum est circà cõtingentia particularia, quæ sunt variabilia; scientificũ autem circà necessaria. Deinde, in lect. 3. Arist. docet artem, & prudentiam circa ista cõtingentia versari, at pars ratiocinatiua, quæ est intellectus practicus, & ars, necnon prudentia in homine sunt: ergo in hominibus cõtingentia reperiuntur ad mentem Arist.

Hoc in loco animaduertendum est, sicut suprà cap. 76. animaduersum fuit; Duplicem esse in hominibus contingẽtię causam, alteram proximam, seu propriam, & hanc asserimus esse hominis libertatem, alteram primariam, & principalem, & hanc astruimus esse diuinæ efficaciam voluntatis, ratione dicta, in cap. septuagesimo octauo, & hęc sint satis de tertio, &c.

Se-

Solutiones argumentorum capitis septuagesimi tertij.

Cap. 80.

QVò ad quartum principale. Hoc loco soluenda sunt argumenta cõtra hãc veritatem, & primò ea, quæ fuerunt adducta in cap.73.

Ad primum itaquè respondet Aristo. 6. meth.tex.7. vtramquè negando propositionem. Et primò falsa est propositio prima; quoniam posita causa etiam necessaria non semper sequitur effectus, qm̃ illa causa etiam necessaria, & sufficiens impediri potest, propter materiæ indispositionem, vel propter alterius agentis impedientis concursum; & ratio est, qa actio illius causæ necessariæ recipitur in materia secundum eius dispositioné cum vnumquodquè recipiatur per modum recipientis, vt constat ex primo fundamento posito in cap.76. Qua de rè Scotus secundo sent.d. prima q. 3. Aristotelem redarguit affirmans, ipsum duo contradictoria concessisse, cum ex vna parte fatetur, primam causam esse necessariam, & ex alia parte sustinet, multa dari contingentia: hæc enim simul stare minimè possunt, cum sibi repugnent; quoniam si prima causa est necessariò agens: ergo nihil euenit contingenter. Hæc enim Scoti consequentia nulla est, quoniam causa necessaria impediri potest propter materiæ dispositionem, & actio licet in se necessaria; attamen in patiente modificatur, & vt est in patiente modificata contingens est, non autem necessaria, vt supra fuit demonstratum, licet etiam sit falsum ad aures Aristot. Deum esse agens de necessitate naturæ, vt infrà docebimus, ostendentes ad mentem ipsius, Deum esse liberum agés. Falsa est etiam secunda propositio, scilicet, omne quod est in vniuerso habere causam. Ea enim quæ sunt per accidés nullam habent causam proximam; quoniã ens per accidens non est verè ens, cum non sit verè vnum, album quidem, & musicum causam habent; veruntamen, album musicum nequaquã causam habet, cum nõ sit verè ens, nec verè vnum & hoc patet in effectu, ex concursu duarum causarum mutuò se impedientium, causato: ille, inquam, effectus nullam habet causam: verbi gratia, Aliquãdo cõtingit, aliquod corpus terrestre ignitum in superiori aeris parte generari, deorsumquè cadere, & hoc habet aliquam virtutem cœlestem, tamquam per se causam. Et similiter etiam in terra reperitur aliqua materia combustibilis, quæ etiam habet tamquam causam per se, aliquod principium cœleste, attamẽ hoc totum.s. illud corpus terrestre ignitum cadens, occurrat huic materiæ, eamquè comburat, hoc, inquã, minimè causam habet cœlestem, vel aliquam aliam naturalem, verum est per accidens.

Ad secundum, inficiamur antecedẽs & ad probationem, primã consequentiã negamus; quoniam ille effectus non sequitur propter impedimentum, & dum arguitur ergo si impeditur, non erat sufficiens, quod est contra suppositum: supponimus enim (ait arguens) ipsum esse sufficiens: Consequentia negatur; committitur enim sophisma consequentis, arguendo ab vniuersaliori ad suum inferius affirmatiuè, quod enim aliqua causa suum non producat effectum, non tãtum ex insufficientia prouenit, verum etiam ex indispositione materiæ, vel ex alterius esse impedientis cõcursu; & ideò combustiuum non comburere, non solum euenit ex insufficientia ipsius combustiui, verum etiam ex concursu alterius causæ combustioné impediétis, puta, si aliquis combustibile remoueat, vnde non sequitur combustio, & hoc non est propter causæ insufficientiam, verũ propter alterius causæ impedientis concursum. Verumtamen contra hanc responsionem ità instatur: ergo talis concursus impediens in causę insufficientiã redundat. Consequentia probatur; quoniam causa impedita nequaquam sufficiens est. Respondetur negando consequentiam, & ad probationem negatur assumptum, scilicet causa impedita non est sufficiens secundum se absolutè, hoc in-

inquam, falsum est, vt iam est ostensum: est enim verum impedimentum redũdare in actualis causalitatis insufficientiam; non autẽ redundare in cãæ insufficientiam. Et Auicenna in hoc est deceptus, minime discernens inter causæ sufficientiã, & sufficiẽtiã circũstantiarũ actualis causalitatis inspectu huius hic, & nunc, & tamẽ valdè discrepant; quoniam causæ sufficientia penes formam, quę est agendi principiũ attenditur, sufficientia autem circumstantiarum actualis causalitatis attenditur penes occurrentia.

Ad tertium, quod est contrà allatas responsiones, negatur antecedens; quoniã non semper tale impedimentum necessarium est, cum multotiens concursus impediens sit per accidens, vt iam declaratum est, contingenterquè impedit, nõ autem necessariò. Et de his vide Caiet. parte prima, quæstione 115. articulo sexto.

Ad quartum. Iam prima propositio negata est; quoniam illa causa necessaria, & ex se sufficiens potest impediri ex recipientis indispositione, & hoc modo corporum cœlestium actiones à medijs causis impediri possunt, cum cœlestia corpora sint horum inferiorum causæ, medijs causis particularibus inferioribus, quæ in minori parte deficere possunt.

Ad quintum, secunda propositio negatur; quoniam virtus corporis cœlestis minimè infinita est, idcircò determinatam in materia requirit dispositionem, & hac de causa, non tota dispositio inferiorum corporum, nec tota materiæ dispositio subiecta est corporibus cœlestibus, nec contrà talem materiæ, & corporum inferiorum dispositionem agere possũt, immo inferiora corpora, & materiæ dispositio, cœlestium corporum actiones modificant, vt iam declaratum est.

Ad sextum, secunda propositio negatur, & ad probationem asseritur, verum quidem esse causam corporalem impedientem in corpus cœleste reduci quo ad per se actiones; attamen causarũ concursus non semper in corpus cœleste reducitur; quoniam concursus iste est cã per accidens, & ad probationem, quę dicit omnia, quæ hic aguntur à cœlestibus corporibus causãntur. Illud assumptum negatur; quoniam tantum verum est in his, quæ per se fiunt, & in naturalibus.

Ad septimam bifariam respondetur. Primo negatur vniuersaliter id, quod est assumptum in antecedente, scilicet cõcursus causarum proximarum, à corpore cœlesti causatur, iam enim sæpè assertum est, proximarum causarum concursum non ex corporibus cœlestibus, verum ex materię indispositione, prouenire. Secundò respondetur. Admisso, omnem concursum talem in corpora cœlestia reduci, negatur talem concursum esse per se, & ad probationem; quoniam in cœlo nihil est per accidens, sed omnia per se. Respondetur actiones cœlestium corporum posse duobus modis considerari. Vno modo per se, & ẽm se, & ita verum est, omnes cęlestium corporum actiones esse per se, & necessarias; alio modo considerari possunt, vt adhęc inferiora, quæ in minori parte possunt deficere, applicatæ sunt, & hoc modo nõ semper sunt per se, & necessarię: verum aliquando sunt per accidens, & contingẽtes, & hoc pacto in exemplo adducto de combustiuo, & combustibili accidere potest; licet vtrumq; in corpus cęleste reducat, q2 tñ ambo reducũtur ĩ cęleste corpus medijs causis secũdis deficere potẽtib. & corporũ cęlestiũ actiones modificantib. ideo potest esse, vt cõcursus cęlestium corporum modificatus sit per accidens, licet in se necessarius esset.

Ad octauũ. Inficiamur cõsequentiã, et ad probationẽ dicimus, ipsam ꝓcedere ex falso antecedentis intellectu. Nam illud antecedẽs bifariã intelligi põt, vno modo, vt omne per accidens, seu omnis effectus per accidẽs ad cãm per se, vel ꝓximã, vel remotã creati ordinis reducat. & hoc modo falsum est ipsum antecedens, imò oppositũ docet Arist. 2. phy.

& quinto meth. vbi affirmat causas, & effectus esse sibi proportionata, nam causa per se, habet per se effectum, & ecôuerso, & causa per accidens effectũ per accidens habet, & è côuerso. Altero modo, sic, omne per accidens reducitur ad per se, inquantum accidit illi quod est per se, & ita verum est, quia omnis causa per accidens alicui causæ per se coniuncta est, omnisquè effectus per accidens effectui per se coniunctus est.

Solutiones aliorum argumentorum septuagesimitertij capitis.
Cap. 81.

SOlutis argumentis ad contingentiæ materiam in rebus naturalib. spectantibus, nunc soluenda sunt argumẽta cõtrà contingentiam in voluntarijs inuẽtam.

Ad primum respõdetur ex doctrina D.Th. 1.p.q.83. art. primo ad quintum, & asserimus duplicem esse hominis qualitatem, alteram naturalem, alteram verò superuenientem, qualitas quidẽ naturalis, sumi potest, vel circa partem intellectiuam, vel circa corpus, & virtutes corpori annexas. Ista distinctione facta, affirmamus primo si accipiamus hominem ex eo, quod est qualis, naturali qualitate, quæ secundum partem intellectiuam attenditur, tunc homo naturaliter vltimum appetit finem, scilicet beatitudinem in communi, qui quidem est naturalis, nulloquè modo hominis libero subiacet arbitrio. Astruimus secundò, si hominem sumamus ex parte corporis, virtutumquè corpori annexarum; tunc hõ potest esse qualis, naturali qualitate, quatenus est talis complexionis, vel talis dispositionis ex quacumquè causarũ impressione corporearũ; quæ nõ possũt in intellectum imprimere, vt docet Aristo. 2. de aia textib. 150. 151. & 152. quoniã non est virtus, seu actus alicuius organi corporalis. Tunc asserimus, qualis vnusquisquè est, secundum corporeas qualitates, talis finis, ei videtur, nõ quia necessitatem habeat, ad illud appetendũ verum quia homo ex huiuscemodi dispositione inclinatur ad aliquid eligendum, vel ad repudiandum. Verum istæ inclinationes, rationis iudicio subiacẽt, cui imperio appetitus obedientiam præstat, quòcirca per huiusmodi dispositiones, & inclinationes, nullum libertati humanæ fit præiudicium. Tertiò autu mamus qualitates superuenientes esse habitus, & passiones, secundum quas aliquis magis ad aliquid quã ad aliud inclinatur, quæ tamẽ inclinationes, iudicio subiacent rationis, & etiam istæ qualitates superuenientes, rationis iudicio subiacent, inquantum in nobis est tales acquirere qualitates, vel dispositiuè, vel causaliter vel etiam in nobis est, illas à nobis expellere, quocirca, nihil nostrę repugnare libertati inuenitur, qua de re, negatur primò secunda propositio, scilicet non est in nostra potestate esse aliquales, est enim nostra in potestate aliquales, esse secundum superuenientes qualitates Secundo negatur consequentia prima absolutè, & vniuersaliter cum non sit verum vniuersaliter non esse in nobis naturalem finem consequi, est tamen verũ de fine naturali, & vltimo.

Ad secundum. Prima consequentia absolutè negatur; quoniam non est de libertatis necessitate, vt ipsa sit prima causa, sicut ad hoc, vt aliquid sit alterius causa, nõ requiritur, vt sit prima eius causa. Solus enĩ Deus est prima causa mouẽs, tam voluntarias, quàm naturales, causas & quemadmodum naturales mouendo causas ab eis suam naturalitatem minimè aufert, ità voluntarias mouendo causas suam libertatem minimè ab eis aufert, verũ potius in causis naturalib. naturalitatem facit, & in voluntarijs eis libertatem præstat, cum in vnoquoquè secundum eius proprietatem operetur.

Ad tertium negatur absolutè, & vniuersaliter secunda propositio, nam falsũ est, motum semper à mouẽte necessariò fieri, & prętertim in animę motibus. Et pro huius dilucidatione animaduertendum est, bonum ità se habere ad appetitum, sicut se habet uerum ad intellectũ.

Vero-

Verorum autem quoddam est per se no tum, sicut sunt prima demõstrationum principia, & istis intellectus necessariò assentit. Quoddam autem uerum est nõ per se notum, sed per aliud, & istius duplex est conditio: nam quoddam ex principijs necessario consequitur, vnde non potest esse falsum, quando principia existunt uera, & huiusmodi est omnis demonstrationum conclusio, & istiusmodi uero etiam necessario intellectus assentit, postquam ipsemet intellectus eius ordinem, ad principia perspexerit; Antequam autem istum ordinem cognoscat, non necessario consentit; Quoddã autem uerum est, quod ex principijs necessariò minimè consequitur, & ideò falsum esse potest, principijs ueris existẽtibus, ut est opinabile, cui intellectus nõ necessariò assentit, quamuis ex alio mõtiuo magis in unam, quàm in aliam partem, inclinetur. Ecce ergo motus intellectus (qui est intelligere) non semper à mouente, quod est obiectum uerum, necessariò prouenire. Pari modo, datur qđdam bonum, quod propter se est appetibile, sicut est felicitas, quæ habet rationem finis ultimi, & hoc bonum necessario mouet uolũtatem: nam quadam naturali necessitate omnes esse felices appetunt; Quædam autem sunt bona, quę propter finem sunt appetibilia, quæ bona comparãtur ad finem, sicut conclusiones ad principia iuxta doctrinam ab Arist. traditã loco citato, quare de re si essent bona aliqua quibus non existentib. aliquis non posset esse felix, ipsa essent quandoquè necessario appetibilia, & præcipuè apud eum, qui talem ordinẽ cognoscit, & talia videntur esse intelligere, viuere &c. bona autem particularia, in quibus actus consistunt humani, nec talia sunt, nec sub tali comprehenduntur ratione, vt sine ipsis felicitas esse non possit, puta hoc, vel illud vinũ habere, aut ab eo abstinere in se tamen habent, vndè appetitum moueant secũdum aliquam bonitatem, in eis consideratam; voluntas, nequaquam ad hæc eligenda, ex necessitate inducitur, & propter hoc, Arist. primo periher. & 3. eth. locis citatis, assignat, vt radicem cõtingentiæ in his, quæ sunt apud nos, ex parte consilij, & ideò docuit rationem esse causam contingentiæ, quia consiliamur de his, quæ sunt ad finem, & non sunt determinata.

Ad quartum. Consequentia negatur, quoniam maximum discrimẽ est, inter sensum, & intellectum secundum præsens institutum. Nam vis sensitiua minimè est vis diuersorum collatiua, sicut ratio: at simpliciter vnum apprehẽdit; idcircò sensitiua vis secundum illud apprehensum appetitum sensitiuum determinatum mouet, ratio autem est pluriũ collatiua, quocirca ex pluribus intellectiuus appetitus moueri potest, & non ex necessitate ab vno.

Ad quintum negatur secũda propositio, & ratio negationis fuit assignata in responsione ad tertium.

Ad primum argumentum, quod omnia necessariò euenire in toto vniuerso suadet, vltima negatur consequentia, & ratio negationis est; quoniã effectus Dei potentissimi, non solum est, vt res eueniant quocumquè modo verum etiã vt eueniant, illo modo, quo ipse euenire ordinauit: & iste effectus infallibiliter necessariò euenit, verum ipse ordinauit, vt necessario eueniret, ille autẽ effectus infallibiliter contingenter euenit, quia vt eueniret contingenter, ordinauit: quare de re omnia infallibiliter, & necessariò eueniunt, eo modo quo ipse ordinauit.

Ad secundum similiter negatur consequentia; nam omnia, eo modo infallibiliter eueniunt, quo ipse Deus, statuit, & ordinauit; ordinauit autem, & statuit, vt quædam infallibiliter euenirent necessariò, quædam autem vt infallibiliter euenirent contingenter, non autem ordinauit, ut omnia necessario euenirent.

Deum cognoscere futura contingentia demonstratur ad mentem Arisiot. Cap. 82.

QVò ad quintum. Resoluto, firmissimèq; stabilito præsentis difficultatis fundamento, scilicet contingentiam dari multorum effectuum futurorũ ad aures Aristo. nunc demonstrandum est ad ipsius mentem, illa cõtingentia futura Deum cognoscere. Hocquè ostendendum est duabus rationibus primarijs, verum antequam hanc explicemus veritatem, duo fundaméta ex Arist doctrina supponenda sunt.

Primum fundamentum. Ex primo periher. cap. vltimo, & lect. vlt. D. Tho. colligitur, contingens futurum duobus modis considerari posse; vno modo, vt est in seipso iam in actu existens; alio modo vt in causa sua est, & triplex discrimen principale inuenitur inter contingens sumptum, vt est in seipso, iamquè in actu existens, & vt est sua in causa, quod habetur ab Arist. eo loci. Primum discrimen. Contingens, vt iam in actu cõsideratur, appellatur, & de facto est præsens. Vt autem est in causa sua, consideratur, & verè futurum est. Secũdum discrimen. Contingens, vt præsens est, necessarium est, vt autem in sua est causa, est ad esse, & non esse continges. Hocquè discrimen ab Arist. ità demonstratur, & primo contingens, vt præsens esse necessarium, & ita demonstratur, impossibile est aliquid simul esse, & non esse: ergo si aliquod contingés est actu præsens, impossibile est illud simul non esse: ergo necesse est tunc illud esse. Ostenditur hæc consequentia; quoniã idẽ sunt impossibile nõn esse, & necesse esse, qua de re, omne quod est dum est, necessariò est. Quod autem contingens, vt sua est in causa, sit contingens ad esse, & ad non esse ità demonstratur, eo loci. Si contingens futurum, vt sua in cã est, non posset esse, & non esse, verum esset necessario; ergo omnia necessariò euenirent, & ità contingentium genus, excluderetur; hoc autẽ falsum est, vt in præcedentibus, ostensum fuit. Tertium discrimen. Futurum contingens in sua causa consideratum, vt futurum, nequaquam alicui subditur cognitioni per certitudinem: futurum autem contingens consideratum, vt est in seipso, quatenus præsens est, certæ cognitioni subdi põt, & hoc demonstratur ab Arist. supposito vno in primo post. demonstrato; qđ est. Scientia est tantum necessariorum: tunc vtraquè discriminis pars, ità demõstratur. Scientia est necessariorum: at futurum contingens, vt futurum est in sua causa existens, non est necessarium, & futurum contingens, vt est in seipso extra suam causam præsens, est necessarium: ergo &c. Secunda propositio est secundum discrimen explicatum.

Ex quibus colligitur, rem contingentem, (vt est in se vna existens, naturæquè contingentis) duplicem habere statum, alterum necessitatis, & hũc habet, quando præsens est, alterum contingentiæ, huncquè habet quãdo in sua causa est: & si aliquis instaret, rei statũ nequaquã rei naturæ debere repugnare: at natura rei contingentis est, vt possit esse, et non esse, non autem, vt sit necessario; ergo natura rei contingentis, necessitatis statum nequaquã habere potest. Respondetur naturam rei contingentis habere in se intrinsecè, vt vtrumquè supradictum statum habere posit, qua de re necessitatis habere statum minimè naturę contingentis repugnat; quocirca ad argumentum secunda negatur propositio quo ad secundam partem; quoniam rei contingentis natura, hoc intrinsecè habet, vt necessitatis statum habere possit, quando præsens est.

Secundum fundamentum est id, quod supra cap. trigesimotertio, demonstratum fuit ex Arist. duodecimo meth. tex. 39. & est hoc, Deus est sua æternitas ex quo duo (secundum præsens institutũ) colligũtur. Alterum Æternum nõ est mẽsura successiua, verum tota est simul quod ità colligitur. Esse Dei non est suc-

successiuum, verum totum simul est, vt clarum est ex præcedentibus, vbi demõstratum est, esse Dei eẽ simplicissimũ, purissimum actum &c. at per fundamentum, Dei æternitas est esse Dei: ergo Dei æternitas simul tota est, nulloq; modo successiua. Alterum, quod deducitur est Cognitio Dei æternitate mensuratur, hocquè ita deducitur.

Esse Dei æternitate mensuratur ex fundamento, sed Dei cognitio est suum esse, vt patet ex ca. 55. ergo Dei cognitio æternitate mensuratur.

Ex his fundamentis hęc conclusio ponitur. Deus certissimè omnia futura cõtingentia secundum statum, quo in actu sunt, ab æterno cognoscit, quæ conclusio quatuor rationibus ostenditur.

Prima ratio. Aeternitas, quæ est tota simul existens, totum ambit tempus, & Dei cognitio æternitate mensuratur, ex secundo fundamento: ergo omnia, quę successiuè in tempore fiunt, siue sint necessaria, siuè sint cõtingentia, sunt Deo præsentia, eiusquè cõspectui subduntur quatenus sunt actu in seipsis. Hęc consequentia tàmquam notissima relinquitur: Tũc vltrà: ergo omnia contingẽtia futura à Deo certissimè dignoscuntur. Hæc consequentia suadetur ex dictis in primo fundamento, vbi assertum est omnia contingentia, vt sunt actu in seipsis esse necessaria, & cognoscibilia.

Secunda ratio. Vt docet Arist. primo perther. cap. vltimo res contingens distinguitur à necessaria quatenus vnaquęquè est in sua causa, quia res contingẽs, vt sua est in causa potest esse, & non esse res autem necessaria, in sua causa necessariò producitur, necessarioquè est, quatenus verè res contingens, & necessaria, vt sunt in seipsis, extrà causas suas, & præsentes, dum sunt præsentes, ambę sunt necessariæ, necessitate suppositionis, & ambæ propositiones veritatem fundant, vt ibi docet Arist. tunc subsumitur minor propositio, sed res necessariæ dum sunt, possunt certitudinaliter cognosci: ergo res contingentes, dum sunt presentes, certitudinaliter cognosci possunt: at Deus, (vt ostensum est superius) cognoscit omnia, quæ cognosci possũt: ergo Deus futura contingentia, quatenus sunt præsentia certissimè cognoscit.

Duabus alijs rationibus demonstratur, Deum futura dignoscere contingentia secundum Aristot. nec non duobus exemplis declaratur.

Cap. 83.

Tertia ratio. Ostendens ad aures Arist. futura contingentia Deum certissimè cognoscere, colligitur ex assertis supra in cap. 68. vbi ostensum est, Deum cognoscere omnia, etiam quæ non sunt ad mentem Aristo. at inter ea, quæ nondum sunt, sunt futura contingentia: ergo &c.

Quarta ratio colligitur ex assertis supra capitibus 59. & 62. vbi ostensum est Deum totũ cognoscere ens, cuius est prĩcipium, sed Deus est principium omniũ effectuum, nõ solum in se, verum etiam in ordine ad quaslibet suas causas proximas, vt in materia de creatione tractabitur: ergo Deus cognoscit omnem effectum non solum in se, sed etiam in ordine ad suas quaslibet causas proximas. Tunc vltrà, sed inter causas proximas, q̃dam suos effectus cõtingenter causant, & quædam necessariò, ut ostensum est supra capitibus 77. 78. & 79. ergo Deus omnes effectus contingentes, & necessarios cognoscit. Veruntamen quonã pacto ea, quę nondum sunt, verum ẽt q̃ futura, sunt possint esse Deo pręsentia explicatur à D. Thom. duobus exemplis pulcherrimis ad aures etiam Aristot.

Primum exemplum explicat D. Tho. primo perihor. lect. 14. & 17. & tex. 99.

talibus verbis. Cõsiderandum est, quod ad cognoscẽdum ea, quæ secundum ordinem temporis eueniunt, aliter se habet vis cognoscitiua, quæ sub ordine tẽporis aliqualiter continetur, & aliter illa, quæ est totaliter extra ordinem temporis, cuius exemplum conueniens accipi potest ex ordine loci Nam secundum philosophum in 4. phys. secũdum prius, & posterius in magnitudine, est prius, & posterius in motu, & per consequens, in tempore: si ergo sint multi homines per viam aliquam transeuntes, quilibet eorum, qui sub ordine transeuntium continetur, habet cognitionẽ de præcedentibus, & succedentibus, inquantum sunt pręcedentes, & subsequẽtes, quod pertinet ad ordinem loci; & ideo, quilibet eorum, qui videt eos, qui iuxta se sunt, & aliquos eorum, qui eos præcedunt, eos autem, qui post se, sunt, videre non potest. Si autem esset extrà totum ordinem transeuntium, vt potè in aliqua excelsa turri cõstitutus, vnde posset totam videre viam, videret quidem simul omnes in via existentes non sub ratione præcedentis, & subsequẽtis in comparatione, scilicet ad eius intuitum, sed simul omnes videret, & quomodo vnus eorum alium præcedit. Quia ergo cognitio nostra cadit sub ordine temporis, vel per se, vel per accidens, vnde, & anima in componendo, & diuidendo necesse habet adiungere tempus, vt dicitur in tertio de anima, cõsequens est, quod sub eius cognitione cadunt res, sub ratione præsentis, præteriti, & futuri, & ideo præsentia cognoscit tamquam actu existentia, & sensu aliqualiter perceptibilia; præterita autem cognoscit, vt rememorata, futura verò non cognoscit in seipsis, quia nondum sunt, sed cognoscere ea potest in causis suis, per certitudinem quidem si in causis suis sint determinata, vt ex quibus de necessitate eueniant; per coniecturam autem, si non sunt sic determinata, quin impediri non possint, sicut quæ sunt, vt in pluribus nullo autẽ modo si in suis causis sunt, omnino in potẽtia & non: at magis determinata ad vnum, quam ad aliud; sicut quæ sunt ad vtrumlibet: non enim aliquid: est cognoscibile secundum quod est in potentia, sed solum secundum quod est in actu, vt patet per philosophum in nono methaphisicæ, sed Deus est omnino extra ordinem tẽporis, quasi in arce Æternitatis constitutus, quæ est tota simul, cui subiacet totus temporis decursus secundum vnum, & simplicem eius intuitum. Et ideo vno intuitu videt omnia, quæ aguntur secundum temporis cursum, & vnumquodquè secundum quod est in seipso existens, non quasi sibi futurum, quantum ad eius intuitum pro vt est in suo ordine suarum causarũ quamuis, & ipsum ordinem causarum videat, sed omninò æternaliter sic videt vnumquodquè eorum, quæ sunt in quocumquè tẽpore, sicut oculus humanus videt sortem sedere in seipso, non in sua causa, ex hoc autem quod homo videt sortem sedere, non tollitur eius contingentia, quæ respicit ordinem causæ esse ad effectum, tamen verissimè, & infallibiter videt oculus hominis sortem sedere, dum sedet, quia vnumquodq; prout est in seipso, iam determinatum est: sic ergo relinquitur, quod Deus certissimè, & infallibiliter cognoscit omnia, quæ sunt in tempore, & tamen ea, quæ in tempore eueniunt, non sunt, vel fiunt ex necessitate, sed contingenter. Hæc D. Thom. Hoc exemplum etiam adducit prima parte quæstione decimaquarta, articulo decimotertio, & de verita. quæstione secunda, articulo duodecimo.

Secundum exemplum desumitur ex primo contra gentes cap. sexagesimo sexto Ratione sexta, vbi ita scribit. Æternitas cum sit quoddam indiuisibile, cõparatur ad totum temporis cursum, sicut indiuisibile, ad continuum, nõ equidem, sicut indiuisibile, quod est terminus continui; cum æternitas sit omninò extrà tempus, sed illud indiuisibile, quod est extra continuum, & extra tempus, vt punctus in centro circuli; sed illud

lud indiuisibile, quod est extra continuum, coexistit cuilibet parti continui & cuilibet puncto, in continuo, vt patet de puncto circuli, ad circumferentiā; ergo quicquid est in quacūquè parte temporis, coexistit æterno, quasi ei præsens, & cum æternum non habeat successionem, sequitur, quod omnia toti æternitati sint præsentia; quapropter diuinus intellectus in tota sua æternitate intuetur, quasi præsens quidquid per totum temporis decursum agitur. Hæc D. Thom.

Solutio Argumentorum capitis sexagesimiquarti, persuadentium Deum non cognoscere futura contingentia.

Cap. 84.

QVò ad sextum principale. In ista vltima parte speculationis de futuris contingentibus diluenda sunt argumenta, Deum, nequaquam futura contingentia, cognoscere persuadētia.

Ad primum itaquè argumentum asserimus, futurum contingens bifariam considerari posse; altero modo, vt futurum est, & ità non est necessarium, nec determinatum, nequè vt sic à Deo cognoscitur; altero modo, vt est præsens in seipso, & ità est necessarium, determinatumquè, vt compertum est, ex dictis ex primo periher. desumptis; quoniam vnumquodquè dum est, necessariò est, & ideo negatur futurum contingens, vt est scitum non esse determinatum, & ad Aristot. dicimus ipsum loqui de futuris contingentibus, vt futura sunt, quatenus in suis causis contingentibus præexistunt.

Ad secundum bifariam respondetur Primò eodem modo, quo responsum fuit ad primum negando minorem, & ad Aristote. dicimus, ipsum sermonem habere de contingenti futuro, & vt existente sua in causa. Secundò respondemus, illam propositionem assumptā, scilicet omne scitum à Deo est necessarium, bifariam intelligi posse, primo vt sit propositio de dicto, tunc est composita, & vera, & sensus est. Omne à Deo scitum est necessarium; quandoquidem nequaquam esse potest vt Deus sciat aliquid, & illud non sit. Secundò potest intelligi, vt sit de re, & tunc est diuisa, & falsa; quoniam sensus est id quod est à Deo scitum, est necessarium esse, res autem quæ sunt à Deo scitæ non propter hoc necessariò eueniunt.

Ad tertium negatur secunda propositio, scilicet ad hoc, quod Deus singulare contingens futurum cognoscit, hoc sequitur impossibile, videlicet, vel contingens non esse contingens, sed necessarium; vel scientiam Dei falli: & ad probationem bifariam respondetur; Primò dicitur, socratem sedere in futuro, esse possibile sedere, & non sedere, in sensu diuiso, seu in comparatione & ordine suam ad causam proximam; cum sit contingens, non autem in sensu composito, in comparatione, & ordine ad Deum; ex quibus sequitur, Dei scientiam minimè falli; quoniam illud futurum contingens respectu causæ proximæ est contingens, & potest esse, & non esse: at respectu Dei est necessarium, non necessitate absoluta, sed ex suppositione: quæ necessitas suppositionis, nequaquàm à rebus contingentiam tollit, vt sacri Theologi docent; & ideo est contingens et necessarium respectu diuersorum. Secundò respondetur, hoc futurum contingens, socratem sedere, cum à Deo cognoscatur, vt est suę æternitati præsens, & vnumquodquè dum est, necessario est, vt superius ad mentem Aristotelis, fuit explicatum, primo periherem; Quo circa illud contingens futurum secundum se est futurum contingens, vt autem est æternitati pręsens; à Deoquè cognitum, stat sub necessitatis statu: & formale dando responsum, asserimus

Socratem in futuro sedere, quatenus futurum est, posse sedere & non sedere, & ita futurum contingens nullo modo necessarium est, vt futurum contingens est: vt autem in æternitate actu sedet, necessariò sedet, necessitate suppositionis, vt pluries fuit decantatum, vnumquodquè dum est, necessario est, & hoc pacto sub Dei scientia cadit, & ità vnum & idem sub diuersis respectibus est contingens, et necessarium, vt nunc explanatum fuit. Secundum si quidem contingens est, verum respectu Dei est necessarium, & ita omne futurum contingens à Deo infallibili modo scitur.

Ad quartum respondetur, vt responsum est ad secundum vtraquè responsione, & consistit in declaratione illius propositionis, omne scitum à Deo necessarium est.

Ad quintum bifariam respondetur. Primò negando primam propositionem, videlicet à causa necessaria semper necessarius effectus procedit, potest enim prouenire effectus contingẽs, propter causam proximam contingentem, vt plantæ germinatio, est contingens propter causam proximam contingentem, & tamen motus Solis, qui est causa prima, necessarius est. Pari modo scita à Deo sunt contingentia propter causas proximas: Dei autem scientia, quæ est causa prima necessaria est. Secundò respondetur conformiter ad supradicta. Scita à Deo possunt comparari ad Dei scientiam bifariam, vno modo, vt effectus ad causam; alio modo, vt scitum ad scientiam. Si à Deo scita, ad Dei scientiam vt effectus ad causam comparentur, tunc aliqua scita sunt necessaria, aliqua autem contingentia, eo modo quo superius expositum fuit: si autem scita ad Dei scientiam vt scita, ad Dei scientiam comparentur, tunc omnia sũt necessaria, vel simpliciter, vt necessaria absolutè, vel ex suppositione, vt sunt contingentia; cum omne scitum sit necessarium.

Ad sextum. Totum primum conceditur argumentum, verùm negatur consequentia vltimo loco illata, videlicet omne scitum à Deo est necessarium: ergo Deus futura contingentia minimè cognoscit; & ad probationem, quæ fieri posset; quoniam contingens non est necessarium, respondetur, contingens posse bifariam considerari; vno modo, vt futurum, & ità non est necessarium, nec hoc modo à Deo cognoscitur; alio modo, vt præsens, & ità est necessarium dum est; quoniam sępesæpius inculcatum fuit ex primo perihermenias vnumquodquè dum est, necessariò est, & hoc modo est à Deo cognitum, & hoc pacto futurum contingens in præsenti sumitur argumento, & ratio est; quoniam quando in antecedente aliquid ad animam animæ pertinens ponitur consequens est etiam accipiendum, non secundum esse quod in se habet verum secundum esse, quod in anima habet, vt si dicamus: si anima aliquid intelligit: ergo illud est immateriale, hoc consequens est intelligendum, nõ secundum esse quod habet in se res intellecta, sed secundum esse, quod habet in anima, & ideò licet lapis intellectus in se sit materialis; attamen vt est in anima secundum esse intelligibile, est immaterialis. Pari passu si asseueramus Deus sciuit aliquid: ergo illud erit, hoc consequens est intelligendum, prout diuinæ subest scientiæ, scilicet pro ut est in sua præsentialitate, & ideo est necessarium, sicut & suum antecedens.

Ad septimum. Negatur futurum contingens, vt est in seipso, quo modo à Deo cognoscitur esse determinatum; ad Aristotel. autem asserimus, ipsum loqui de futuro contingenti, vt in sua causa est, & hoc modo non est determinatum, nec cognoscibile est.

Deus

Deus cognoscit cordium cogitationes, seu ipsos motus intellectus, & voluntatis secundum Aristo.

Cap. 85.

FAcilimè etiam possumus demonstrare, Deum motus intellectus, & voluntatis, seu cordium cogitationes dignoscere tribus rationibus, ad mentem Arist.

Prima ratio fundatur super duobus fundamentis.

Primum fundamentum. Deus est causa voluntatis, & intellectus: hoc bifariam ostenditur primò. Voluntas ad bonum vniuersale ordinem habet, vt explicatur ab ipso Aristot. tertio de Anima text. quadragesimo secundo; vbi docet voluntatem esse in intellectu; quocirca intellectum sequitur, sed ens vniuersale est obiectum intellectus, vt ostenditur quarto Metaphysic. in principio, nec non quinto, & sexto Metaphys. in principio, & in tertio de Anima text. decimoseptimo, & decimooctauo; ergo bonum vniuersale est voluntatis obiectum; ergo voluntas ad bonum vniuersale ordinem habet; ergo bonum vniuersale voluntatem causare potest; at per Aristotel. duodecimo Metaphysic. text. 52. & 53. Deus est bonum vniuersale; ergo Deus voluntatem causare potest. Quod autem actu causauerit, & causet patet, quia omne quod est (Deo excepto) est causatum, vt in materia de creatione demonstrabitur. Hæc eadem ratio demonstrat etiã intellectum à Deo causatum esse.

Secundum fundamentum. Voluntas potest naturaliter à causante ipsam moueri, quod ita probatur ad aures Arist. nam 8. Phys. demonstratur, grauia, & leuia non moueri nisi à generante; ergo illud agens, quod voluntatem causat ipsam naturaliter mouere potest, & hanc deductioné facit Di. Thom. [illegible] cunda quæstio, nona arti. 6. vbi [illegible] dicta Aristotel. propositione deducit hominem voluntatem habentem, nequaquam ab aliquo extrinseco secundum motum voluntarium moueri posse, nisi à causante ipsam voluntatem.

Ex his fundamentis ità prima ratio formatur. Voluntas secundum motum voluntarium moueri potest à causante ipsam ex secundo fundaméto, sed Deus ex primo fundamento voluntatis causa est: ergo Deus voluntatem secundum voluntarium motum, naturaliter mouere potest: ergo volũtas Deo subiacet. Tunc vltrà; ergo Deus potest omnes voluntatis motus, qui sunt cogitationes cordium dignoscere, hæc vltima consequentia probatur ex terminis; quoniam alicui intelligenti subiacere, est ab illo intelligi. Hę consequentiæ etiam de intellectus operationibus valent.

Secunda ratio. ostensum est ad aures Arist. c. 59. 62. Deum cognoscere omne ens, quod est quocunquè modo; at omnes voluntatis, & intellectus motus, seu cordium cogitationes sunt entia, quia sunt entia in anima, cum sint actiones in intellectu, & voluntate manentes per Aristote. 9. Metaphysi. tex. 16. ergo Deus cordium cogitationes dignoscit.

Tertia ratio. Sicut esse Dei est primum esse, ità intelligere Dei est primũ Intelligere, & velle Dei est primum velle. Hæc propositio cõstat ex 12. Metaph. text. 36. 37. 38. & 39. in quibus demonstratur, Deum esse primum principium, primum intelligibile, primum appetibile, esse vitam, omnemquè suam actionem; at primum in vnoquoquè genere est causa omnium, quæ in illo genere continentur, vt ostenditur secundo Metaphysic. text. quarto; ergo Deus est omnis intellectionis, & volitionis, seu omnium cordium cogitationis causa. Et cum omnis effectus suæ causæ subiaceat colligitur; omnem intellectionem, omnemquè volitionem, seu omnem cordium cogitationem, subia-

subiacere Deo, tanquam primo intelligenti, & volenti.

Scientia Dei nequaquam variabilis est.

Cap. 86.

EX dictis etiam clarissimè patet, Dei scientiam minimè esse variabilem; nam ostensum est suprà capite 55. ex Aristo. duodecimo Metaphysico. text. trigesimonono, & quinquagesimoprimo, & multis alijs in locis, intelligere Dei, esse eius substãtiam; at Dei substantia omninò inuariabilis est; vt supra ostensum est capit. quinto, ex duodecimo Metaphysi. text. 36. & sequentibus; ergo intelligere Dei est inuariabile; ergo eius scientia inuariabilis est.

Contrà hanc veritatem est hoc argumentum: Deus est agens per intellectum, vt supra explicatũ est; ergo quidquid potest Deus facere, etiam scire potest; at Deus potest plura facere quã faciat, cum sit infinitæ virtutis; ergo etiam potest plura scire, quam sciat, & ità eius scientia variabilis est.

Consequutio negatur; quoniam Deus scit non solum ea, quę facit, verum etiam ea, quæ potest facere, siuè faciat, siuè non faciat, & formaliter respondendo ad argumentum. Non esse affirmandum quidquid potest Deus facere, potest scire, sed asserendum est, quidquid potest Deus facere, Deus scit.

Scientia Dei est practica, & speculatiua, in Aristotelis doctrina.

Cap. 87.

VLtimo loco ex assertis indicandum est, Dei scientiam esse practicam, & speculatiuam, verum primò tria fundamenta supponenda sunt.

Primum fundamentum. Scientia Dei est rerum causa, hoc patet ex capit. sexagesimoseptimo, ad aures Aristotel.

Secundum fundamentum. Deus non est operabilis: hoc constat ex capit quin... ex sexto; vbi ostensum est Deum esse primum omnium causam.

Tertium fundamentum. Scientia speculatiua est, quæ ad speculari tantum ordinatur, scientia autem practica est, quæ ad opus ordinatur; hoc fundamentum habetur ab Arist. 3. de Anima tex 46. & 47.

Ex his fundamentis duæ conclusiones deducuntur, scientiam Dei, esse practicam, & speculatiuã determinantes.

Prima conclusio. Deus de rebus à se productis, habet scientiam practicam, quę ita colligitur. Illa scientia est practica, quæ ordinatur ad opus, ex tertio fundamento, sed res aliæ à Deo sunt ab ipso factæ ex ipso fundamento; ergo Dei scientia respectu omnium aliorum à se, est practica.

Secunda conclusio. Deus habet sciẽtiã de seipso tantum speculatiuam, quæ ità colligitur. Scientia speculatiua est illa, quæ in speculatione consistit, nulloquè modo ad opus ordinatur ex tertio fundamento. Sed ex primo fundamento, Deus nullo modo operabilis est; ergo Deus de seipso, non habet scientiam nisi speculatiuam.

DE IDEIS CONsideratio secundum Aristotelem.

Non dari Ideas suadetur ex dictis Philosophiæ naturalis, & ex primo Metaph. Cap. 88.

CVm Deus medijs Ideis res omnes creatas intelligat, tanquam id, quod intelligitur, valdè consonum rationi est post Dei cognitionem, de Ideis pertractare ad aures Aristo. ex consequenti ostendemus Arist. secūdum rei veritatem minimè à Platone in positione Idearum dissentire. Circa quam materiam tria præcipuè sunt pertractanda. Primum an dentur Ideę ad aures Aristote. Secundū an sint plures. Tertium an omnium, quæ Deus cognoscit, sint Ideę.

Circa primum quinquè consideranda sunt. Primò adducendę sunt rationes ex doctrina Arist. quibus suadetur non dari Ideas. Secundò ostendendum est an est, & quid rei Ideę. Tertiò Platonis positio de Ideis adducēda est. Quartò adducenda est Aris. positio de Ideis. Quintò respondendum est rationibus, suadentibus ad mentem Aristo. Ideas nequaquam dari.

Quò ad primum. Per totam Arist. doctrinam discurrendum est, & assumendæ sunt omnes eius auctoritates, quibus Ideas destruere videtur.

Prima eius auctoritas desumitur ex 1. post. cap. 18. text. 35. vbi ponit discrimen inter prædicata substantialia, & accidentalia, ità affirmans. *Species enim gaudent: monstra enim sunt.*

Secunda. 2. Phys. text. 18. vbi ponit mathematicalia esse naturalibus abstractiora, quo posito, Platonem reprehendit dicens. *Latet autem hoc facientes, & Ideas dicentes, Physici enim abstrahunt, quominus sint abstracta Matematicis.*

Tertia. 2. de generatione tex. 14. in quo tex. peragit de causis formali, materiali, & efficiente, & redarguit Platonē asserentem, Ideam esse causam efficientem, & hunc in modum contrà ipsum arguit. Idea æterna est, & materia semper est æterna; ergo generatio semper erit, & nunquam corruptio, hoc autem falsum est; quoniam videmus aliquando corruptionem esse. Consequentia probatur; quia forma est semper, & semper est recipiens.

Quart. Aristo. 1 Met. tex. 24 redarguit Platonem affirmantem res sensibiles distingui per numeros distinctos, qui quidem numeri Idearum habent rationem.

Quinta. In eodem lib. tex. 27. asseritur ab Aris. argumentum Platonis quo dari Ideas suadere nititur, nihil concludere; argumentum autem erat tale: rerum corruptibilium non est scientia; ergo dantur Ideæ; nam si cōcluderet hoc argumentem sequeretur dari negationum Ideas, hoc autem est contra ipsum Platonem.

Sexta. Redarguit Aristo. Platonem eodem lib. tex. 28. tali argumento si darentur omnium scibilium Ideę; ergo darentur ideę relationum, hoc autem est contrà ipsumet Platonem.

Septima. Eodem tex. ità arguit contra Platonem adducendo ipsum ad inconueniens. Ideę secundum Platonem sunt sensibilibus, & Mate. rebus priores, sed ideę sunt numeri sm̄ Platonē magisquè numeri impares, quam pares quandoquidem numerum imparem formæ attribuebat, parem autem materiæ. Vnde Plato affirmabat dualitatem esse materiam; ergo alij numeri sunt dualitate priores, quam ponebat, sicut sensibilium materia ponens magnum, & paruum cuius contrarium Platonici ponebant, asserentes dualitatem esse primam in genere numeri.

Octaua. Eodem tex. ità contrà Platonem arguit. Secundum Platonem resolu-

lutionum ideę dantur; ex consequenti istę ideę sunt res relatiuę, sed idea est prior eo, cuius est idea, hoc est prioridea tis; at res sensibiles sunt ideatæ, & sunt absolutæ res; ergo relatiua sunt rebus absolutis priora.

Nona. Deindè eodem libro text. 29. ità Arist. contra Platonem arguit. Secundum Platonem necesse est dari ideas, quia quorum vna est notio, vnaquè sciētia, eorū necessario est ꝓponere ideas; at omnium substantiarum vna est notio, vnaquè scientia; ergo omnium substantiarum vna est idea; si hæc platonis ratio aliquid valet; ergo omnium accidentium vna est idea, quod est contrà platonem. Consequentia suadetur, quia omnium accidentium vna est notio, vnaquè scientia.

Decima. Eodem text. probat Aristo. accidentium ideas non dari. Accidentia habere ideas in Deo est participare aliquid de ipso Deo; at accidentia nihil de ipso Deo participare possunt, cum in Deo nullum sit accidens; ergo accidentium ideę minimè in Deo esse possunt.

Vndecima. Deinde eodem lib. tex. 36. ità arguit Arist. ad idearum destructionem. Quæritur ab Aristot. an idea, & ideatum in nomine, & diffinitione conueniant, aut tantum in nomine conueniant, in diffinitione autem discriminentur; si asseritur primum: ergo lapis sensibilis est intelligibilis. Consequētia probatur, quia idea lapidis est lapis intelligibilis, & ideatus est lapis sensibilis, si autem secundum affirmetur; ergo assignari causa minimè potest, propter quam per ideam lapidis magis lapis producatur quam planta, quod est inconueniens, & ita non dantur ideæ.

Duodecima. Eodem libro tex. 31 ita arguit. Si ideę sunt necessariæ, aut necessariæ sunt pp res sempiternas, aut pp res caducas; at neutro modo sunt necessariæ; ergo non dantur ideę. Maior propositio suadetur quò ad vtramquè partem, & primò non esse necessarias propter res æternas, quia si essēt necessariæ propter res æternas, maximè essent necessariæ propter eius motum, sed hoc est falsum; quoniam ideæ sunt rationes ęternę, & potius causæ sunt quietis, quam motus, nec etiam sunt necessariæ propter res corruptibiles; quoniam hac de causa essent necessariæ, vt res corruptibiles scirentur; at propter hanc cām, non sunt necessariæ, cum omnis scientia, ex eo, cuius est scientia, generetur.

Decimatertia. Deinde eodem tex. ità arguit. Si ponerentur ideę; ergo participarentur ab ideatis; at nullo modo ab ideatis participari possunt; quoniam aut participarentur veluti miscibilia à mixto, & hoc est impossibile, quia miscibilia corrumpuntur corrupto mixto, quod non est dicendum de ideis, cum sint æternę; nec etiam sicut vnum miscibilium ab alio participatur, sicut aqua à vino, & hoc etiam est impossibile, cum vnum in alio imbibatur, ideæ autem nō ità se habent, nec etiam sicut substantia ab accidentibus participatur; quoniam tunc ideę essent materiæ, non autem formæ ideatorum, cum itaquè nullo modo sint participabiles, non possunt dari:

Decimaquarta. Deinde in tex. 32. expresè affirmat idearum positionem esse vaniloquium, Metaphoricum, poeticū, & fabulosum sermonem.

Decimaquinta. Deinde eodem libr. text. 31. Ità arguit. In artificialibus videmus opus esse exemplari, siuè idea, ad hoc, vt artifex ad exemplar respiciens, similitudinem formæ in suo artificiato inducat, sed in naturalibus videmus, simile à simili generari, vt hominem ab homine; aut ergo ista similitudo in rebus generatis prouenit propter alicuius agentis respectum, ad exemplar, aut non, si non; ergo ideę non erūt alicuius vtilitatis; si autem ista similitudo est respectu ad separatum exemplar, tunc nō poterit dici, vnius similitudinis causam in genito esse agentis inferioris formam, verum huius similitudinis causa est separatum exemplar; ergo aliquis

Socratis

Socrati similis generatur, siuè Socrates ponatur, siuè non; hoc autem falsum est; quoniam nisi Socrates agat in generatione, nunquam aliquis Socrati similis generabitur: si ergo similitudo generatorum à proximis generantibus dependet, variæ sunt ideæ, quæ propter hanc similitudinem causandam ponebantur.

Decimasexta. Deindè text. trigesimosecundo ità arguit. Si ideę darentur, sequeretur, vnius ideati esse plures ideas, puta Platonis. Prima idea esset homo, quia de ipso Platone prædicatur, deinde animal, bipes, disciplinæ capax, & alia prædicata, hoc autem est falsum, quia vnius rei est vnica forma, ideæ autem sunt formæ.

Decimaseptima. Eodem lib. tex. 33. ità arguit. Si rerum sensibilium ideæ dantur; ergo ipsarum idearum etiam aliæ ideæ dantur, & ità erit processus in infinitum. Sequela probatur, quia homo sensibilis, & homo idealis eiusdem sunt rationis; ergo si ideæ vnius dantur, etiam alterius idea datur.

Decimaoctaua. In text. quadragesimoquarto ità arguitur, suadendo non dari omnium ideas. Sicut se habent res artificiales ad suas causas artificiales, ità res naturales ad suas causas naturales; at arte fiunt multa, quorum minimè dantur ideæ, vt domus, anulus, &cæt. ergo non omnium rerum naturalium dantur ideę.

Decimanona. Deindè à text. trigesimosexto, vsque ad text. quadragesimumtertiũ, inclusiuè arguitur multis rationibus, ideas non esse numeros, & primò hoc modo. Ideata similitudinem habent cum suis ideis; at ideata non sunt numeri secundum Platonem; ergo &cæt. Maior patet; quoniam ideata ad idearum similitudinem fiunt. Minor ita suadetur. Ideata sunt numerorum proportiones, sed proportio non est numerus, cum sit quædam consonantia ex numerorum concursu consurgens.

Vigesima. Subindè ex multis numeris fit vnus numerus, sed ex multis ideis non fit vna idea; ergo ideæ non sunt numeri.

Vigesimaprima. Præterea, si ideæ essent numeri; ergo tria essent numerorum genera, scilicet, idea Metaphysicalium, Mathematicaliam, & sensibilium, sed hoc falsum est; ergo falsum est asserere ideas esse numeros. Consequentia prima probatur. Si contingit principiata esse distincta, necesse est etiam principia esse distincta, sed Metaphysicalia, Mathematicalia, & naturalia sunt distincta: ergo & ideæ horum omnium sunt distinctę.

Vigesimasecunda. Deinde si in rebus sensibilibus, & Mathematicis sunt numeri, qui ex vnitatibus constent; ergo sicut numeri in Mathematicis existentes, à numeris idealibus causati sunt, ità & numerorum vnitates Mathematicalium à numeris illis idealibus sunt causati; ergo numerus erit ante vnitatem, quod falsum est.

Vigesimatertia. Deinde si idea est numerus, quæritur, quomodo sit vnus, aut est vnus per comprehensionem, aut clauo, aut glutinio, aut quia vna idea est in potentia, & altera est in actu; at nullo horum modorum; ergo &c. Minor probatur, quò ad omnes partes; non primo; quoniam ideæ non essent æternæ; non secundo, vel tertio, quia hoc rebus naturalibus conuenit; non quarto, quia ideæ in Deo eiusdem sunt rationis.

Vigesimaquarta. Præterea; si ideæ essent numeri; ergo vnitas non esset principium, & substantia rerum omnium, hoc autem est contrà Platonem hoc docentem. Consequentia probatur. Ab vno, quo ideæ constituuntur, & ab vno, quo constituuntur res Physicę, & ab vno, quo constitunutur res Mathe-

the. communis conceptus vnius non potest abstrahi, cui correspondeat natura communis, vt hæc communis natura sit principium, & substantia omnium.

Rationes Aristote. desumptæ ex septimo, & duodecimo Metaphysi. quibus ideæ destruuntur.

Cap. 89.

DEinde adducendæ sunt rationes ex septimo Metaphys. excerptæ, quibus videtur Aristo. ideas destruere, quarum prima talis est ex tex. vigesimo primo.

Prima. Si dantur ideæ, aut dantur propter esse rerum, aut propter scientiam; at neutro modo; ergo &c. Minor probatur quò ad vtramquè partē, & primo quò ad primam. Illud facit ad esse rei, quod in ea existit; at ideæ in rebus ideatis nequaquam existunt; ergo ad esse earum nihil faciunt. Quò ad secundam ità suadetur. Illud quòd scitur, per quidditatem in re scita existentem scitur, & non per quidditatem ab ipsa re separatam, sed ideę sunt ab ideatis separatæ: ergo res ideatæ per ideas minimè sciri possunt, ac per hoc, ideæ nihil ad rerum scientiam conferunt.

Secunda ratio. Deindè eodem tex. ità arguit. Si ideæ dantur; ergo tunc esse per se non distingueretur ab esse per accidens, hoc autem falsum est. Sequela probatur. Ens per accidens est (verbi gratia) homo albus in quo quidditas ab eo cuius est quidditas distinguitur, & si dantur ideæ, in ente per se, puta in homine, quidditas semouet ab eo cuius est quidditas, quia quidditas hominis est eius idea, quæ est ab homine separata; ergo ens per se, & ens per accidens non differunt.

Tertia ratio. Præterea in text. 28. ità arguit, omne quod fit, à suo simili fit; at naturalia fiunt; ergo à suo vniuoco fiūt, sed ideæ non vniuocantur cum ideatis, quia ideæ sunt incorruptibiles, ideata autem corruptibilia; ergo non fiunt ideata ab ideis; ergo non dantur. Hęc vltima consequentia suadetur; quoniam ideæ dari dicuntur propter rerum generationem.

Quarta. Subinde in text. trigesimo nono, ità arguit, sicut se habet sphera ad aes, ita omnes res naturales ad materiam, sed sphera sine ære, minimè esse potest; ergo nec res naturales sinè materia. Hoc peracto, reprehendit Platonem dicens. Quapropter parabola de animali, quam iunior Socrates dicere consueuit, non rectè se habet, profectò à veritate abducit, facitque existimare hominem sine partibus, sicut circulus est sine ære.

Quinta. Deinde text. quadragesimooctauo, ita arguitur. Si ideę darentur; ergo necesse esset, tertium dari hominem, hoc autem est valdè inconueniens. Sequela probatur, Nam datur homo sensibilis, & homo idealis. sed ab istis abstrahitur alius homo vtrique communis; ergo &c. Minor probatur, quia ab omnibus, quæ in nominè, & ratione communicant, quidam tertius abstrahitur conceptus, sed homo sensibilis, & homo idealis in nomine & ratione conueniunt; ergo &cęt.

Sexta ratio. Deindè arguendum est ex duodecimo Metaphysic. hunc in modum. Docet Aristotel. Deum eodem pacto intelligere alia à se, sicut etiam se, vt compertum est ex prædictis; at seipsum per ideas non cognoscit; ergo nec alia à se per ideas cognoscit.

Septima. Istis possumus apponere text. octauū primi de Anima, vbi Aristotel. asserit, non dari animal vniuersale contrà Platonem.

Rationes excerptæ ex primo Eth. capite sexto, quibus boni ideam destruere videtur.

Cap. 90.

VLtimo loco adducendæ sunt rationes Aristot. ex primo Eth. capite sexto, quibus contra Platonem boni ideam destruere videtur, & sunt tres.

Prima ratio. Vbi est prius, & posterius, ibi cõmunis idea minimè accipi potest: sed in rebus bonis est prius, & posterius: ergo in rebus bonis communis idea ipsius boni non potest accipi. Prima propositio est Platonis, & propter hanc causam asseruit, in numeris non esse ideam, cum in ipsis sit prius, & posterius. Secunda autem ita probatur. In omnibus prædicamentis datur prius, & posterius, cum vnum prædicamentum sit alio prius, & vna species vnius prædicamẽti alia specie eiusdem prædicamenti sit perfectior: sed res bonæ sunt in omnibus prædicamentis; ergo in rebus bonis est prius, & posterius.

Secunda ratio. Ea quæ in diuersis sunt prædicamẽtis, aliquod vnũ vniuersale commune minimè habent, ac per hoc, nec communem ideam; at bonum in diuersis reperitur prædicamentis: ergo ipsius boni non est aliqua idea communis. Minor est nota; quoniam bonum cum ente conuertitur. Maior autem ità ostenditur ab Aristot. 3. Meth. text. decimo: Si omnia prædicamenta aliquod vnius generis commune haberent illud, esset ens; at ens nequaquam genus esse potest, quod ità suadetur. Genus ad sua inferiora p differẽtias descendit, sed eos minimè differẽtias habet, vt ibi ad longum ostenditur; ergo &c.

Tertia ratio. Quorum non est vna scientia, nec etiam vna idea est; at omnium bonorum non est vna scientia, ergo omnium bonorum non est vna idea. Maior patet: quoniam idea propter scientiam datur. Minor autem ità ostenditur. Nam aliud bonum est, quod considerat ars militaris, aliud, quod considerat ars medicinę, aliud, quod considerat ars Phylosoph. naturalis, aliud, quod considerat ars Matematica, & aliud quod Metaphysica contemplatur. Hæc de primo principali.

Quid nominis ideæ, & an sit, explicatur.

Cap. 91.

QVò ad secundum principale. Cum omnis cognitio, testibus Aristot & Cicerone ex rei diffinitione dependeat, primò omnium sciscitandum est, quid sit idea. Verum quoniam an est, omnem aliam præcedit inquisitionem, prius agendum est, & inquirendum an sit idea: & quoniam omnis cognitio quid nominis præsupponit: idcircò primò omnium de quid nominis ipsius ideę differendum est. Et pro quid nominis ideę explicatione, & an sit idea, quinquè sunt consideranda.

Primò considerandum est. Hoc nomen idea (vt scribit D. Thom. prima parte quæstione decimaquinta articulo primo, & de veri. quæstione tertia articulo primo, secundum D. Augustinum in lib. octuagesimotertio, quæstionum, quæstione quadragesimasexta) est nomen græcum, & latinè significat idem quod species, vel forma.

Secundò considerandum est, pro huius formæ, (quæ dicitur idea) clariori notitia. Cum non omnis forma nuncupetur idea; forma alicuius rei trifariã nuncupatur forma. Primò aliquid appellatur alicuiuss rei forma, à quo res formatur, sicuti à forma agentis effectus formatio procedit, & forma ista à qua res formatur, nõ appellatur idea, & forma

forma rei formatę,& ratio est; quoniam non est de actionis necessitate, vt effectus ad completam formæ agentis rationem pertingant, cum sępenumero effectus à completa agentis ratione deficiant, vt perspicimus in agentibus ęquiuocis continuò euenire, de ratione autem formæ idealis requiritur, vt effectus ab ipsa causatus, ad rationem formæ idealis completè pertingat. Secundò aliquid dicitur alicuius forma, secundum quam aliquid formatur, sicut hominis anima hominis forma dicitur, & figura statuę est cupri forma, & quælibet forma, quæ est pars compositi est ipsius compositi forma; nec etiam hoc modo, forma appellatur idea; quoniam hoc nomen idea significare videtur formam ab eo, cuius dicitur idealis forma, separatam. Tertiò aliquid vocatur alicuius forma, ad quod aliquid formatur, & hæc est exemplaris forma, ad cuius similitudinem aliquid constituitur, & hoc modo forma est idea; idcircò idea, & forma, quam aliquid imitatur sunt eadem.

Tertiò. Notandum est adhuc pro euidentiori huius notitia, bifariam contingere aliquid aliquam formam imitari. Altero modo ex agentis intentione, quemadmodum pictura ad hunc finem, à Pictore fit, vt aliquem imitetur, cuius figura depingitur. Altero modo, contingit prædictam imitationem esse à casu præter agentis intentionem, vt ępę sępius pictores alicuius imaginem pinguũt, de quorum figura minimè intendunt, in præsenti dum assertum est, ideam esse formam, ad quam agens operatur, sermo est, de imitatione per se intẽta, non autem à casu, qñ qui[illegible] fieri aliquid ad alicuius imitationem formæ, pręsefert ordinem ad finem, hæc enim præpositio (ad) ordinem ad finem importat; ideo autem est forma, ad quam aliquid imitatur; idcircò idea vel forma exemplaris est illa, quam aliquid per se non autem per accidens imitatur, quade re idea est tantum in his, quæ per se agunt, & aguntur, non autem in his, quæ à casu, & per accidens eueniunt.

Quartò. Aduertendum est. Ideam non reperiri etiam in omnibus, quæ per se agunt, & aguntur, verum solum in aliquibus, & pro huius euidentia sciẽdum est, agens per se in duplici esse discrimine. Alterum est agens, quod sibi finem determinat, & huiusmodi sunt omnia per intellectum agentia. Alterum est agens, quod minimè sibi determinat finem, verum sibi à superiori agẽte determinatur, vt clarũ est i sagittę motu, quæ mouetur ad finem sibi à proijciẽte determinatum. Itidem omne agens naturale propter finem, sibi ab agente intellectuali determinatum, agit, & ideò in prouerbium est. Opus naturæ esse intelligentiæ opus, in pra[illegible] nti dum afferuimus, ideam esse formam, quam per se, & non à casu, nec per accidens agens imitatur, non est sermo de forma quam naturale agens imitatur, cui finis, ab alio determinatur; sed quam agẽs intellectuale imitatur, quod sibi finem determinat; quoniam forma, quam naturaliter agens imitatur, non appellatur idea, vel exemplaris forma, non enim hominis generantis forma dicitur idea hominis generati, licet homo generans sibi formam geniti assimilare intendat, homoquè genitus dicatur ad hominis similitudinem generantis. Sermo inquam est de agente intellectuali sibi finem determinante. Illa itaquè appellatur idea, seu exemplaris forma, quam intellectuale agens propter finem operans, sibiquè finem determinans, imitatur, siue illa forma in ipsius agentis mente sit, siuè extra; ideò asserimus, formam artis in artifice esse exemplar, & ideam artificiati. Itidem formam, quæ est extra artificem, ad cuius imitationem, artifex aliquid operatur; esse illius ideam asserimus. Verũ quia exemplar ad extra non est rei formatiuum, nisi prius in mente concipiatur, exemplar autem in mente existens est immediatum rei formatiuum; idcircò idea propriè in mente est, cum de ratione ideæ sit, vt immediatè sit forma, ad cuius similitudinem

fit

ftrideatum, seu exemplatum; hanc doctrinam egregiè explicat Diu. Thom. de veri. quæstione tertia articulo primo.

Quintò. Aduertendum est, de ratione exemplaris, est esse exemplariter formatiuum rei cuius est exemplar, & idea est hoc exemplar.

Colligendo itaquà omnia asserimus, ideam esse exemplar immediatum rei formatiuum mediante agente per intellectū. Quapropter modus essendi ideæ necessarius est esse in mente. Verum quia duobus modis aliquid in mente est: vno modo, vt cumprincipium intellectionis, sicut est species impressa: alio modo, vt terminus intellectionis intrinsecus, cuiusmodi est species expressa, seu conceptus, qui quidem terminus habet esse obiectiuum in intellectu. Cum asseritur ideam esse in mente intelligitur hoc assertum, de esse in mente, non vt intellectionis cumprincipium, per modum intelligibilis speciei impressę, verum de esse in mente, vt terminus intellectionis intrinsecus, seu vt conceptus, vel vt species expressa, vel vt exemplar; quoniā de ratione ideæ (vt iam assertū est) est vt sit forma, quā agens per intellectū concipit, & ad cuius similitudinem agens operatur, quę similitudo est propriè rei exemplar, hæc autem omnia propriè speciei expressæ, vel conceptui conueniunt. Hac de causa Diu. Thom. prima parte quæstione decimaquinta articulo primo, vocauit ideam exemplar.

Ex quibus omnibus colligitur ideam esse propter duo; alterum, vt sit exemplar formatiuum, seu productiuum rei cuius dicitur exemplar; alterum, vt sit formale cognitionis rei principium, secundum quod cognoscibilium formæ, in cognoscente esse dicuntur, vnde idea est principium cognitionis, quod (species enim impressa est cognitionis principium quo) & ratio est, quia idea est species expressa, seu conceptus, species autem expressa, seu conceptus se habet vt principium quod cognitionis.

Ex his etiam exploratum habemus: an est idearum: an dentur, & colligimus dari hac rōne ex assertis collecta, nam assertum est, ideam esse exemplar rei formatiuum existens in mente agentis per intellectum; esseque principium intellectionis; tunc subsumitur alia propositio; at dantur agentia per intellectum multas res producentia, multasquè res cognoscentia, vt ex omnibus assertis in hac tota Aristotel. Theologia conspicuum est; ergo etiam ideæ dantur.

Quid rei ideæ. Cap. 92.

EX istis colligitur quidditatiua ideæ diffinitio, seu quid rei ipsius ideæ. Idea est forma intellectui obiecta intrà ipsum intellectum existens, ad quam artifex aspiciens operatur. In ista diffinitione tres ponuntur particulæ.

Prima particula hæc est: Intellectui obiecta; & ista ad discrimen habitus, actus intellectus, nec non speciei intelligibilis impressæ ponitur, quæ licet in intellectu existant, sintquè formæ quædam, attamen nullo modo, obiecti habent rationem, sicut idea. Idea enim est quoddam exemplar, quod intellectus, vt suum obiectum intrinsecū contemplatur. Et si aliquis instet: videtur species intelligibilis impressa esse idea: tum quia sicut idea obiectum ad extra existens representat, ita pari modo, species intelligibilis impressa: tum quia sicut idea est cognoscēdi principium, ita species intelligibilis impressa est principium cognoscēdi, vt docetur tertio de Anima. Respondetur. Et primò ad instātiam primam; ad rationem ideæ requiritur, vt idea perfectè, & explicitè obiectum ad extra representet, modo autem intelligibilis

species impressa imperfectè, implicitèq; tantum representat. Ad secundam asseritur, ad ideæ rationem exigi, vt sit intelligendi principium, tanquam quod, & perfectum principium; species autem intelligibilis impressa est principium tanquam quo, & imperfectum.

Secunda pars. Existẽs intra intellectũ. Hæc ponitur ad discrimen externi exẽplaris, ad quod artifex aspiciens operatur. Idea autem est quidem exemplar, verum non qualecumque, sed formale, existensquè intrà intellectum, tanquam terminus intellectionis intrinsecus.

Tertia pars. Ad quam artifex aspiciens operatur. Ista ponitur ad discrimen naturalium formarum; quoniam & si naturale agẽs, effectum producat suæ formæ naturali similem, sicut ignis generat ignem. Veruntamen ipsa naturalis forma, minimè habet ideæ rationem, quandoquidem naturale agens ad illam respiciens nequaquam operatur.

Ex hac ideæ diffinitione quinquè deducuntur corrolaria. Primum. Ars in mente artificis existens non est idea, & ratio optima est; quoniam ars obiecti rationem minimè habet, sicut idea.

Secundum Corrolarium. Verbum, seu conceptus solum, ex omnibus in intellectu existentibus ideæ rationem habet. Et ratio est, quia ex omnibus in intellectu residentibus solum verbum, seu conceptus, vel species expressa obiecti habet rationem.

Tertium. In nullo agente naturali operanti ex inclinatione naturæ idea reperitur. Probatur. Nam idea est forma ad quam agens aspiciens operatur; agens autem naturale non operatur aspiciens ad formam.

Quartũ. Effectus pure naturales minimè habẽt ideã sui in proxima cã, sed solũ in causa principali, & ratio est, quia causa prima producit effectus naturales respiciendo ideas existentes in seipsa.

Quintum. Effectus purè casuales, put casuales sunt nullã habent ideã. Et rõ est, quia effectus purè casuales, vt casuales sunt, eueniunt præter intentionem agentis, ac per hoc, fiunt ab agente ad aliquod exemplar minimè respiciente; ergo ideam nequaquam habent.

Ideas dari in mente Diuina demonstratur, & quid sint istæ ideæ explanatur.

Cap. 93.

IN mente diuina ideas reperiri ex ideæ ratione facilimè demonstratur tali ratione. In oĩ per se agẽte per intellectũ idea sui per se effectus inuenitur; at Deus est agens per se, & per intellectum totius vniuersi; ergo in Deo idea totius vniuersi reperitur. Maior propositio nota est ex ideę diffinitione. Minor autem supponitur tanquam aperta, in consideratione què de creatione demonstranda.

Quid autem sit idea in diuina mente, hoc opus, hic labor est apud Theologos. Nam omnes Theologi ad hoc explicandum in hoc conueniunt, vt omnes affirment ideam esse quoddam cognitum ipsius Dei in mente diuina existens; quoniam hoc est de ideæ ratione, vt fuit ostensum. Verum, quid sit hoc esse cognitum, valdè discrepant in huiusmodi explicatione. Circa quam explanationem tria agenda sunt. Primò adducenda est Scoti opinio, & reprobanda. Secundò adducenda est D. Tho. sententia. Tertiò Scoti argumenta sunt diluenda.

Quò ad primum. Scotus primo sent. d. 36 existimat, hoc esse obiectiuum cognitum, non esse ens reale, absolutum, aut reale respectiuum, nec esse respectiuum, seu relatiuum secundum rationem, verum esse quoddam esse rei diminutum, siuè absolutum, siuè relatiuum, quod vocatur esse secundum quid; adeo,

eo, quod opinatur, rem tale esse habentem, relationem rationis ad intellectum fundare, & astruit lignum, cęteraquè entia esse ab æterno à Deo producta per diuinum intellectum, in tali esse, & affirmat huiusmodi entia secundum quid vocari, & esse Ideas. Essentiam autem diuinam minimè ideam esse. Et ratio sua est, quia eis conueniunt omnes ideæ conditiones; & ideò, ità arguit dist. 35. Tota ideæ ratio in lapide, esse obiectiuũ in diuino intellectu habente, saluatur; ergo idea in Deo, non est diuina essentia. Antecedens patet applicando totam ideę rationem ad lapidem, esse obiectiuum in mente diuina habentem. Consequentia ita probatur. Esse obiectiuum nõ est esse reale, verum est esse diminutum; at diuina essentia est esse realissimum, & sufficientissimum; ergo diuina essentia non est esse obiectiuum, ac per hoc, non est idea.

Verum contrà hanc positionem sex medijs arguitur ipsam destruentibus.

Primò arguitur auctoritate Aristo. 5. Met. tex. 14. & 7. Met. tex. 9. docentis omne ens aut esse ens extra animam, & hoc est ens reale, aut ens in anima, & hoc est ens rationis; non datur ergo aliquid ens medium inter ens reale, & ens rationis, quod non est ens reale, neque rationis.

Secundò. Omne ens, aut est à nostro fabricatum intellectu, seu intellectus operationem consequens, aut non; si primum est ens rationis, si secũdum est ens reale.

Tertio arguitur. Probando hanc Scoti opinionem parum esse fidei consentaneam hoc modo. Si Datur hoc esse obiectiuũ, quod est esse ideale, ab æterno per actum diuini intellectus productum; ergo dantur aliquæ creaturæ ab ęterno, hoc autem est contra fidem. Sequela probatur, omne ens productum extrà Deum est creatum, & creatura; at per Scotũ hoc esse obiectiuũ, quod dr, & est idea, est ens à Deo productum, à Deoquè distinctũ; ergo est creatura. Prima propositio nota est ex creati entis ratione, & si Scotus eam negat, inueniat Scotus aliam entis creati rationem.

Quartò ad idem. Hoc esse intelligibile obiectiuum ideale, quod est esse secundum quid creaturarum, à Deo distinctum, aut est creator, aut creatura, nõ enim datur medium; at per Scotum non est creator; quoniam à Deo seiungitur; ergo est creatura. & cum sit ab ęterno creatura, erit æterna.

Quinto. Si Scotus sustinet illud esse obiectiuum intelligibile nõ esse creatorẽ, nec creaturam, & ideo, prima propositio assumpta in præcedenti ratione est insufficiens; quoniam datur tertium membrum. Contrà arguitur. In Concilio Senonensi fuit damnatus error Petri Abaylardi, docentis rem aliquam extrà Deum esse, quæ nequè est creator nequè creatura.

Sexto. Redarguitur hæc Scoti opinio Quoniam videtur eadem esse, cum illa quam recitat Vualdensis de antiquitate fidei. capit. 8. quæ est Vuiclef. libro de ideis, vbi astruebat ideas nil aliud esse, quam creatura secundum esse reale, quod ab æterno habent, esset tamen nõ simpliciter, sed secundum quid, & hanc opinionem confutat Vualdensis loco citato.

Quò ad secundum. D. Thom. sententia in duobus consistit punctis. Primus punctus est. Esse obiectiuum ideale in communi loquendo (non autem sermonem habẽdo de esse Dei obiectiuo, sed tantum omnium creaturarum intellectualium) est esse relatiuum secũdum rationem. Quod ità suadetur. Omne ens, aut est reale, aut rationis, & si est ens rationis, aut est negatio, aut relatio. Et hæc est doctrina D. Tho. de verit. quæstione vigesimaprima, articulo primo, sed esse obiectiuum ideale non est ens reale, cum sit ens in anima, nec rationis negatiuum, cum nagatio consistat in compositione. vel diuisione, hoc autem ens obiectiuum nullã dicit compositionem, vel diuisionem; et

go a sufficienti diuisione est ens rationis relatiuum.

Aduertendum tamen est circà hoc assertum, omnium penè Thomistarum, scilicet: esse obiectiuum ideale esse ens rationis relatiuum, intelligendum esse de esse obiectiuo formaliter, vt dicit respectum rei intellectæ, & factæ in seipso existentis secundum esse representatiuum ad seipsum, vt representatiuum ipsius rei intellectæ, & factæ, & sic ista relatio representati, & representatiui est rationis relatio; quoniam eiusdem ad seipsum est rationis relatio: at ista relatio, est eiusdem ad seipsum, quia hoc esse obiectiuum habet rationem representatiui, & representati; representati quidem quia res intellecta continetur in hoc esse obiectiuo, secundum esse intelligibile, & representatum, representatiui autem, quia hoc esse obiectiuum est species expressa rem intellectam perfectè represeatans, qua de re sumendo esse obiectiuum formaliter, vt dicit respectum representatiui, & representati, est ens rationis relatiuum. Si autem esse obiectiuum fundamentaliter sumatur, quatenus est proximum supradictæ relationis fundamentum, tunc esse obiectiuum non est ens rationis, verum est ens reale spirituale; quoniam vt affirmatum est in præcedenti capite, hoc esse obiectiuum ideale est species expressa, seu conceptus, quæ sunt entia realia spiritualia.

Secundus punctus. Esse Dei obiectiuum, siuè fundamentale, siuè formale est esse realissimum cum sit esse Dei naturalissimum. Quod ità ostenditur. Diuinum esse naturale est tantæ excellentiæ, vt omnes essendi modos, siuè extra animam, siuè in anima, siuè absolutos, siuè respectiuos eminentissimè præhabeat; quocirca esse Dei naturale non solum est suum esse naturale, nec solum esse intelligibile, verum etiam est esse obiectiuum respectu intellectus, aliter omnes essendi modos eminentissimè nequaquam contineret.

Quod autem esse Dei obiectiuum sua sit essentia, ex consequenti sit esse realissimum ostenditur, tàm respectu sui, quàm aliorum à se: & primo respectu sui. Nam diuina essentia propter sui eminentiam est purissimus actus, tam in genere entium, quàm in genere intelligibilium; ergo esse Dei naturale, eiusquè esse obiectiuum, sunt vnum, & idem; ergo esse Dei obiectiuum, est esse naturale. Secundò ostenditur respectu aliorum à se. Demonstratum est superius Deum, omnia alia à se intelligere in se per suam essentiam; ergo omnia alia à se non possunt Deo objici, nisi in obiecta diuina essentia; ergo Deus lapidem in obiecta essentia, lapidem absolute, lapidem hunc, lapidem in ista anima, & id genus, tantum vno modo cognoscit, scilicet, in sua essentia, ex consequenti, esse obiectiuum in Deo respectu aliarum rerum diuina est essentia; at diuina essentia (vt pluries fuit inculcatum) non est ens rationis, verum est ens absolutum realissimum; ergo esse obiectiuum omnium rerum respectu diuini intellectus, non est ens rationis, verum est ens realissimum, & absolutum.

Ex quibus necessariò colligitur. Ideam in Deo esse ipsammet diuinam essentiam. Quod ità colligitur. Esse obiectiuum in Dei intellectu est diuina essentia, sed idea (vt nunc assertum est) est esse obiectiuum; ergo idea in Deo est diuina essentia, quocircà perperam asserit Scotus ideam esse ens diminutum.

Quò ad tertium. Ad argumentum Scoti imus inficias consequentiam, & ad probationem, negatur assumptum, scilicet: Esse obiectiuum apud diuinum intellectum non est esse reale, cum sit esse realissimum, & negatur, tale esse obiectiuum apud Dei intellectum esse ens diminutum, licet in communi loquendo de esse obiectiuo, apud creatum intellectum esse obiectiuum non sit reale,

reale, sed esse diminutum, hæc sint de secundo principali.

Platonis sententia de ideis. Cap. 94.

QVò ad tertium principale. Explanata ideæ ratione, ad mentẽ D. Tho. tanquam radice intelligendi naturam ideæ, ad mentem Platonis, & Aristo. nunc sententia platonis de ideis ponenda est, ostendendo ad eius mentem ideas dari, & præcipuè boni ideam, easquè in mente diuinæ existere. Quod itàquè ad mentem platonis dentur ideę, hęquè in mente diuina, aperiẽdum est pluribus in locis suæ doctrinæ, & præcipuè ex quinquè locis.

Primus locus est in Dialogo sexto de iusto post medium, vbi docet ideam esse maximę vtilitatis ad intelligendum per hæc verba. Nam sępe audisti boni ideã, esse maximam disciplinam. Qua quidem, & iusta, & alia si vtantur vtilia, & conducibilia sunt.

Secundus locus est in dicto sexto Dialogo de iusto vltrà medium, vbi docet primo, boni ideam dari non existentem extrà Deũ, vt sibi à multis peripateticis imponitur, verum in ipso Deo existentem, & existere ipsam eminentissimę diuinitatis fœcunditatem per omnia, se se propagantem, vt ibi adnotauit Marsilius Ficinus. Verba autem platonis ista sunt: at ipsum pulchrum, & ipsum bonũ inducimus, ac similiter in omnib. quæ vt plura ponebamus vnum rursus ponimus secundum ideam vnam, cuius què tãquam vna sit, & quod vnumqdq; est, appellamus. Vera hæc sunt, & hæc quidem uideri dicimus, ideas autem intelligi, non autem videri, hæc Plato.

Tertius locus est in Dialogo decimo vltra principium, vbi docet Deum intelligere omnia, & omnia velle, omniaque operari, & verba sunt ista. Hęc cum intelligeret Deus, velletquè verus esse Auctor, veri lecti. Ex quibus verbis clarissimè colligitur, vt adnatauit Marsili' Ficinus ibi ideas dari. Et ante pauca asseruit, hęc verba. Terram quoquè Cęlum, Deos, & quęcunquè sub Cęlo sunt & quæ sub terris apud inferos peragit, tunc subsumitur alia propositio talis; at vt probatum fuit cap. 92. in omni per se agente per intellectum reperitur idea effectus p se intẽti, & hãc propositionẽ etiam explicat plato, locis nũc citatis, & in Timęo per totum; ergo ideę reperiũtur in intellectu Dei.

Quartus locus est in Timęo ante mediũ vbi ità scribit. Hoc ergo quod deerat superni illius exẽplar Deus explebat, quot igitur, & quales mens ideas in eo, qđ est animal inspicit totidem, & tales, hoc mundo contineri oportere excogitauit.

Quintus locus est penè totus sextus Dialogus de iusto, qui sic exponitur à Marsilio ficino, in Comm. in Timęum ca. 10. Sicut (ait ipse) in Solis sex gradus, ordine quodam disponũtur, vt primus sit ipsa Solis substãtia. Secũdus lux intima, & substantialis. Tertius lumẽ inde emanans. Quartus splẽdor ex lumine resultãs. Quintus calor splendore succẽsus. Sextus gñatio caloris coalescẽs fragrantia; pari modo sex alij gradus digeruntur in summo bono oĩum cã: Primus gradus ẽ vnitas. Secũdus est bonitas; qui duo gradus nequaq̃ reipsa distinguũtur, sed tñ rõne, eadẽ. n. diuinitas dr̃ vnitas & bonitas, vnitas quidẽ quatenus oĩa supereminеat; bonitas aũt nũcupat̃, quatenus p oĩa exuberat, & hęc exuberãdi virtus nũcupat̃ à Platone in sexto Dialogo boni idea. Tertius gradus est quędã mẽs diuina, quasi lumẽ de luce emanãs multiformes ideas in se concipiẽs, dupli ci fomento supnę lucis, ideęq; vnius diuinæ, sicut in lumine multi radij ex vno lucis radio deriuant̃, nõ solũ verò ĩ hac mẽte rerũ cõprehendunt̃ ideę, quasi in fonte, sed ad hãc multi mẽtiũ exercitus reducũtur quasi ad Ducẽ prouenientes à superna diuina luce, sicut ẽt prouenit ab illa supremaluce diuina, hęc mẽs diuina q̃ est huius tertij grad'. Tũc habem' ad aures Platonis duplicẽ intelligẽtiã prosilientẽ à diuina bonitate, altera est prima, quæ appellatur à Platone filius Dei

in sexto Dialogo citato, & verbum Dei teste D. Augustino septimo Confess. vt recitat Di. Thom. prima parte quæstione 32 ar. 1 in primo argumento. Et est eiusdē substantiæ cum Deo Patre, licet ratione distinguantur, non tamen distinguuntur ad aures Platonis, & Platonicorum personaliter, vt nos Catholici credimus, & confitemur; cum mysterium Trinitatis ratione naturali minimè agnosci possit, vt demonstrat princeps. Theologorum loco citato, & istæ Dei filius, vt adducit Marsilius ficinus in argumēto Dialogi sexti de iusto ad aures Mercurij Trimegisti, & Iamblici est Deus verè bonus, finis idearum à quo vno, Deus per se sufficiens seipsum explicauit in lucem. Altera intelligentia est secunda intelligentia, quæ est multiplex, sicut exercitus. Et istæ sunt omnes intelligentiæ à Deo Patre creatæ mediante suo verbo, seu filio suo, quæ omnes ad Dei filium, sicut ad Ducem reducuntur; & ideo prima intelligentia non est, reipsa, à summo bono distincta, secundæ autem intelligentiæ reipsa à Deo seiunguntur. Et istæ intelligentiæ dicũtur mũdum constituere superiorem, qui quidem mundus superior nuncupatur mundus intelligibilis, & intellectualis. Intelligibilis equidem quantum ad Ducem, intellectualis autem quantum ad mentes sequentes. Verum ipse mentium Dux appellatur partim intellectus, & partim intelligibilis. Intellectus quidem quatenus rationibus verum discernendis incumbit. Intelligibilis vero quatenus, huiuscemodi rationes suis in ideis, continentur. Idea autem boni regnat super intellectum, & intelligibile. Post Archetypum hũc mundum, sequitur quartus gradus, qui est mundi anima corporei, qui mundus corporeus, nuncupatur mundus rationalis propter animam rationalem coniunctam, qui mundus rationalis ex mũdo intellectuali progenitus est, sicut ex lumine splendor. Et sicut splendor, iam motui admiscetur, sic anima attingit, ac quodam modo mobile percurrit rationes idearum immobilium. Quintus gradus quarto succedit gradui, qui est ista natura rerum, seu mundus seminarius ex anima rationali, & mundo corporeo constitutus, sicut calor resultat ex splendore. Sextus gradus est mundus corporeus, ex mundo seminario proximè ductus, sicut rerum generatio ex calore.

Ex quibus omnibus tria colliguntur. Primum ideas dari in mente diuina. Secundum præcipuè dari ideam boni, in diuina mente. Tertium plures esse ideas.

Ideas dari ad mentem Aristot. demonstratur. *Cap. 95.*

QVò ad quartum principale. Explicanda est nunc, Aristote. sententia de ideis, & duo agenda sunt. Primò ostendēdum est ideas dari. Secundò ostendendum est, ideas secundum esse formale in Deo reperiri ad aures Arist.

Quò ad primum. Ideas dari ad mētem Aristo. colligitur ex sex locis doctrinæ suæ.

Primus locus est text. 27. secundi Physic. & secundus tex. 5. Metaphy. quibus in locis sermonem habens de causa formali appellat causam formalem speciem & exemplar, & per exemplar, secundum omnium expositionem, intelligit causam formalem extrinsecã, idea autem vt clarum est ex ideæ ratione nil aliud est, nisi causa formalis extrinseca.

Secundus locus est tex. 70. 2. Phy. vbi docet Aristote. causam finalem, efficientem, & formalem in vnam coincidere causam; at Deus est causa finalis, & efficiens, oĩum rerũ, vt explicabitur in tractatu de creatione; ergo Deus est causa formalis omnium rerum; at non est causa formalis intrinseca rerum; ergo est extrinseca formalis causa; hæc autem est idea.

Tertius locus est vltimus tex. 8. Phy.

&

& 49.12. Meta. nam in primo tex. docet primum principium esse à magnitudine separatum, in secundo loco demonstrat, substantiam primi principij esse Endelechiam, sed Endelechia est actus, & forma; at Deus non est forma rerum intrinseca, vt iam dictum est; ergo est extrinseca forma, hæc autem est idea.

Quartus locus, est tex. 15. 8 Physi. & 24. 3. de Cœlo, & 50. 2. de generatione, in quibus text. docet Aristote naturam esse ordinationis causam, tunc sciscitatur, quid intelligat Arist. per naturam, aut intelligit materiam, aut formam, nõ materiam; quoniam materia est corruptionis causa, ac per hoc, causa deordinationis; ergo intelligit formam, non formam partis, & intrinsecam, quia est imperfecta cum sit pars, ergo intelligit formam exemplarem, quam ideam nuncupamus.

Quintus locus est proœmium Meta. in quo docet Aristote dari vniuersalia in essendo dicens, *sed ferè autem & difficilima sunt ea, hominibus ad cognoscendum quæ maxime sunt vniuersalia*, At vniuersalia ista in essendo, sunt principia omnium effectiua, & exemplaria; ergo &c.

Sextus locus est vltimus tex. 12. Met. vbi concludit Aristote. non esse bonum pluralitatem principatuum; idcircò vnũ esse principem; at primum in vnoquoq; genere est omnium aliorum causa ex secundo Metaphysic. tex. 4. ergo hoc primum, quod est Deus est omnium entium causa: hoc etiam docet primo de Cœlo text. 100 vbi ait, *finis Cœli immortalis, & diuinus, unde & aliis communicatum est, his quidem clarius, hisce autem obscurius esse, & viuere.* Ex his text. ita arguitur. Primum principium, suum esse omnibus creaturis communicat: ergo suum esse, est à creaturis participabile, & imitabile, & cum Deus, seipsum pfectissimè intelligat, ideò suam intelligit essentiam quatenus est à creaturis participabilis, & imitabilis, sed idea est diuina essentia à Deo cognita, vt imitabilis, & participabilis à creatura, quia tunc Deus suam cognoscit essentiam, vt propriam rationem; & ideam huius, vel illius creaturæ, vt docet Di. Thom. prima p. quæst. 15. ar. secundo: ergo datur ideæ in mente diuina.

Ideam boni dari demonstratur ad aures Aristoteles. *Cap. 96.*

Dari etiam boni ideam, luce meridiana clarius ostenditur ad aures Aristot. ex tex. 52. 12. Metap. Nam boni idea, secundum Platonem, vt deductum est supra cap. 94. est ipsemet Deus omnium creaturarum bonum existens, ab omnibus creaturis separatum, finis, & efficiens omnium, à quo omnia bona emanant: at Deus ad mentem Arist. loco citato est huiusmodi, quod ita demonstratur. Etenim ibi docet, sicut bonum exercitus in duplici est discrimine; alterum in ipso exercitu existens, sibi intrinsecum, & iste est exercitus ordo; alterum ipsi exercitui extrinsecum. Intrinsecum autem ipsi Duci, in ipso Duce permanens. Et hoc bonum intrinsecum ipsius exercitus est præstantius bono, ipsi exercitui intrinseco, eò quoniam ordo exercitus, quod est bonum intrinsecum, ordinatur ad bonum ducis, quod est extrinsecum bonum. Bonum autem Ducis est, vt Dux sit virtute præditus. Ita docet duplex esse vniuersi bonum; alterum intrinsecum ipsi vniuerso, & iste est vniuersi ordo: alterũ ipsi vniuerso extrinsecum, & iste est Deus, à quo bono Deo, omne ens, omnẽquè aliud bonum dependet: vt deductum fuit in præcedenti capite: ergo in Deo datur idea boni. Consequentia probatur ex ratione ideæ: quoniam idea est ratio exemplaris existens in mente agẽtis per intellectum, & rei productiua, sed Deus est bonum agens per intellectum, & producens omne aliud bonũ; ergo in Deo est boni idea.

Ex hac doctrina colligitur, Platonẽ,

& Arist. circà positionem ideæ boni minimè inter se dissentire, vt etiam adnotauit D. Thom. prima p. quęstio 6. art. 4. & Caietan. eò loci. Nam D. Thom. ibidem affirmat secundum Platonem, & Aristotelē Deū esse ideam entis, vnius, boni, & Aristo. impugnare Platonem, quantum ad hoc, quia Plato ponebat ideam boni, à diuino intellectu separatam, vt verba sua videbantur refferre, quæ tamen verba secundum rei veritatem, non explicant ideam boni extra Deum esse, vt ostensum fuit supra cap. 94. vnde & Caietan. eò loci, asserit, inter Arist. & Platonem non esse nisi verbalem differentiam circa boni ideam.

Ad aures Platonis ideas habere esse formale in Deo.

Cap. 97.

QVò ad secundum. Cum apud Platonicos, & Peripateticos non parua existat difficultas an ideæ in diuina essentia formaliter, vel tantum virtualiter existāt, operę pretium est hanc difficultatem explanare. Pro qua quinquè agenda sunt. Primò explicandus est punctus difficultatis. Secundò adducenda est quędam falsa opinio. Tertiò explicanda est Platonis opinio. Quartò opinio Arist. manifestanda est. Quintò diluenda sunt fundamenta aduersariorum.

Quò ad primum. pro intelligentia puncti difficultatis, duo notanda sunt, & consideranda. primò considerandū est, sicut caliditas triplex esse habere potest, scilicet virtuale, formale, & participatum, ità etiam ideæ triplex esse in aliquo intellectu habere possunt. Nam sicut caliditas primo habet esse virtuale in Cœlo. Secundò habet esse formale in igne. Tertiò habet esse participatum in aqua calefacta, ita etiam imaginari possumus ideas habere hoc triplex esse in aliquo intellectu. Aliqui .n. sustinēt ideas habere esse tantum virtuale, in diuina mente, aliqui autem formale, nedum virtuale, & ideò punctus difficultatis est, an ideæ habeant in diuina mente esse tantum virtuale, an verò formale.

Secundò animaduertendum est, radicem difficultatis, & controuersiæ in hoc consistere. An apud Platonem, verbum Dei (quod dicitur etiam ab ipso filius Dei, ītellectus paternus, diuina mēs, mundus intelligibilis, & intellectualis, & mundus idealis) sit eiusdem substantiæ, & essentiæ cum Deo, an sit distinctę diuersęquè substantiæ. Etenim omnes Platonici fatentur, in Dei verbo, & filio diuinaquè mente omnium ideas formaliter reperiri, vt est videre apud Marsilium in Timęum ca. 9. & decimo, & in Dialogo sexto de iusto, nec non in Dialogo decimo. Idcircò si hoc Dei verbum est idem secundum rem cum essentia substantiaquè Dei, nulloquè modo secundum rem distinctum, sed tantum secundum rationem, tunc necessariò fatēdum est, ideas esse formaliter in Deo: si autem hoc Dei verbum, & filius est diuersæ substantiæ à Dei substantia, sitq; Dei creatura, vt Arriani Hæretici posuerunt, tunc fatendum est, ideas tm̄ virtualiter in Deo reperiri, in Dei autem verbo formaliter. Qua de re controuersiæ, & difficultatis pūctus consistit in discernere, an Dei verbum sit diuersę substantiæ à Dei substantia.

Quò ad secundum. Macrobius super somnium Scipionis, vt adducit D. Th. 1. p. q. 32. art. 1. ad primum, & Iulianus Platonicus in libro de Sole, vt recitat Marsilius in argumento in Dialogū sextū, quos sequitur ipse Ficinus in Commentarium in Timęum, ca. 9 & 10. nec non in argumento in Dialogū decimū de iusto, sustinent verbū Dei, seu filiū Dei apud Platonem esse primā Dei creaturā, ex consequenti esse diuersę substantię à Dei substantia, & ratio istorū potissima est, q̄m si hoc Dei verbū, seu Dei filius esset eiusdē substātię cū Dei substātia, vt credit, confitet̄, & defendit fides Xpiana, tū̄ Plato Trinitatis misteriū cognouisset, qd ab oīb. penè Theologis im-

improbatur: ne itaquè cogantur fateri, Platonem extitisse Christianum, seu Dei fidelem, asserendum est, Dei filium ad Platonis aures diuersæ esse substantiæ à Dei substantia, & esse puram, & simplicem creaturam. Quocirca Platonici huius opinionis ad controuersiam propositam respondent tribus conclusionibus. Prima conclusio: Ideę sunt in Deo non secundum esse formale, verum solum secundum esse virtuale, sicut caliditas est in Sole, & in cęlo solũ virtualiter. Secũda cóclusio: Ideæ habent esse formale in Dei verbo, seu filio Dei, q̃ est prima ĩtelligẽtia. Tertia cóclusio: Ideę habẽt eẽ participatũ in alijs intelligentijs secundis, necnon in anima humana. Persuadent duas primas conclusiones vnico argumento quod est tale. Deus Deorum Pater secundum Platonem simplicissimæ est naturæ, nullam prorsus habens in se cópositionem, à quo verbum productũ est, in quo necesse est, aliquam esse compositionem, cum non sit eiusdem simplicitatis, cuius est primus artifex Deus: ergo ideæ in primo artifice Deo, sunt tantum virtualiter, in Dei autem verbo, quod prima est intelligentia, sunt formaliter. Consequentia suadetur, quoad vtramquè partem, vbi est aliquid formaliter, aliquam facit compositionem cum eo cuius est, vt patet de caliditate ĩ igne, quod autem est in aliquo solum virtualiter nullam facit compositionem cum eo, in quo est, vt patet de esse virtuali caliditatis, quæ nullam facit compositionem cum virtute Solis, vel cœli. Tertia conclusio ità persuadetur: Ab illis ideis, quæ sunt in verbo emanarunt aliç ideç in alijs intelligentijs, in humana anima, & in materia prima: ergo ideæ in istis habent producti rationem: ergo rationem exemplati: ergo habent esse in istis participatum.

Quò ad tertium ponenda est Platonis positio, verum antequam nostram determinemus sententiam, circa Platonis opinionem, quæ consistit in determinatione, an ad mentem Platonis, verbũ Dei, seu Dei filius eiusdem substantiæ sit cum diuina substantia, vt in principio adnotauimus, duo adnotanda sunt, & animaduertenda.

Primò animaduertendum est, vtramquè partem posse sustineri, vt sustinui: D. Thom. loco citato, nobis tamen videtur opinionem asserentem, verbum Dei, seu Dei filium esse eiusdem substantiæ cũ Dei essentia esse veriorẽ, ex qua colligitur ideas in Deo formaliter reperiri.

Secundò aduertendum est. Omnes platonicos in hoc conuenire, vt affirmẽt Deum esse formaliter boni ideam, ac per hoc in Deo ideam boni formaliter inueniri: dissentire autem an ideæ aliarum rerum sint in Deo formaliter, vel virtualiter tantum. Circa quam difficultatem ita procedendum est. Primò determinandum est, verbum, seu filium Dei eiusdem esse substantiæ cum substantia Dei, ex consequenti necessariò sequitur ideas esse formaliter in mente diuina secundum Platonem. Secundò demonstrandum est absolutè ideas esse formaliter in Deo, siuè verbum eiusdem sit substantiæ cum Dei substantia, siue non.

Quod itaquè Dei filius, & verbum eiusdem substantiæ, & essentiæ sit cum substantia Dei, siuè eius essentia, ità ostenditur ad mentem Platonis. Nam Plato explicans nobis hunc Dei filium Dialogo sexto de iusto vltrà medium, asserit esse consimilem Deo bono, vnde sic ait. Hunc me vocare boni filium dicito, quem ipsum bonum, in hac secum genuit comparatione consimilem, & ante vocauerat ipsum similimum ipsi bono: sed quæ sunt diuersę substãtię, & essẽtiæ, nó sunt similima, & pręcipuè nó sunt similia finitũ & infinitũ, cũ differãt in infinitũ. Talis aũt esset cóparatio, inter Deũ, & verbũ Dei, seu eius filiũ, si essent diuersę substantiæ, quia tunc filius Dei esset creatura, vt etiam ipsi confitentur: Deus autem creator est, & infinitum ens, creatura autẽ ens finitum, inter finitũ autem, & infinitum non potest esse nisi imperfectissima similitudo, qua

de re, si filius Dei esset creatura, vt opinantes existimant, non esset Deo simillimus, quod est contrà textum, & verba Platonis: ergo Dei filius non est creatura, diuersaquè substãtia à Dei substãtia, verum est eiusdem naturę, & substantię cum Dei substantia, ac per hoc, ideæ ad mentem Platonis sunt in Deo formaliter. Secundò secundum Marsilium Ficinum in Timæum cap. 9 & 10. iste Dei filius nuncupatur, & est Dei verbum, intellectus Paternus, mensquè diuina apud Platonē: at intellectus Paternus, mens diuina, & Dei verbum non sunt extrà Deum ab ipsamet Dei substantia distincta, verum in ipsomet Deo sunt cum de ratione intellectus, mentis, & verbi alicuius sit, vt in ipso sint, cuius sunt. Et cum in Deo nullum sit accidēs, cum sit purissimus actus apud Platonē, erunt necessariò, omnia ista eiusdem essentiæ, seu substantiæ cum ipso Deo: ergo Ideæ habent esse formale in Deo. Cōsequentia hæc cum præcedenti ità ostenditur. Ideæ sunt in Dei filio, seu in verbo Dei formaliter secundū omnes Platonicos, sed Dei verbum à Dei substantia, re ipsa non distinguitur, cum sint idem essentialiter, & substantialiter: ergo etiam Ideæ sunt formaliter in Deo.

Deinde secundo loco ostendendum est absolutè Ideas esse formaliter ĩ Deo, siue verbum Dei sit eiusdem substantiæ cum Dei substantia, siue non, & hac trifariam.

Primò. Demonstratum est supra cap. 92. quid rei formaliter Ideæ, & assertū est, Ideam esse formam intellectui obiectam, intraquè ipsum intellectum, existentem, ad quam artifex aspiciens operatur: at ad mentem Platonis diuina essentia est forma diuino intellectui obiecta, in ipso Dei intellectu existens, ad q̃ Deus aspiciens, omnia à se producta operatur: ergo Dei essentia non solum est Idea virtualiter, sed etiā formaliter. Minor propositio in qua tota consistit difficultas ità ostenditur. Plato in Timæo post principium hæc habet verba. Ergo cum liuor ab eo alienissimus esset, omnia sibi quantum fieri poterāt simillima fieri voluit. Hæc Plato. Ex quibus verbis apertissimè colligitur, Diuinam essentiam esse omnium creaturarum similitudinem, ad mentem Platonis, ad cuius similitudinem Deus omnia produxit. Sed Deus est agens per intellectum, vt iam fuit ostensum cap. 94. habens in suo intellectu suam essentiam obiectam, & intellectam: ergo diuina essentia est forma diuino intellectui obiecta, ad quam Deus aspiciens, sicut ad formam exemplarem, omnia operatur.

Secundò. Idea formaliter idem sonat quod exemplar, vt ostensum est cap. 91. sed ad mentes Platonis diuina essentia est omnium exemplar creaturarū, tùm q̃a diuina essentia est omnium similitudo, vt affirmatum est in præcedēti ratione, tùm quia Plato loco proximè citato exponens, & determinans, vnum tantum dari mundum, astruit vnum tantum esse mundum, quia vnum tantum est id, ad cuius similitudinem formatus est mundus: superius autem explicauit, hoc vnum esse Deum ad cuius similitudinem omnia sunt facta, vt manifestum est in auctoritate in præcedenti ratione adducta: ergo diuina essentia est exemplar. Sequela ista ostenditur, quia exemplar est perfecta rei similitudo.

Tertiò. In omni agente per intellectum formaliter reperitur idea sui effectus per se intenti: at Deus apud Platonem est agens per intellectum, vt deductum fuit supra cap. 94. ergo ideæ formaliter sunt in Deo respectu suorum effectuum.

Ideas secūdum esse formale in Deo reperiri ostenditur ex Aristotele, fundamentaquè aduersariorum diluuntur. Cap. 98.

QVartò loco demonstrandum est ideas secundum esse formale in Deo inueniri ad mentem Arist. & hoc bifariam. Primò, idea formaliter est

est exemplar, quod imitatur res producta, sed diuina essentia ad aures Aristot. est illud exemplar, quod omnes creaturæ imitantur, vt explicatum fuit supra cap. 95 ratione sexta: ergo diuina essentia formaliter ideas cōtinet. Secūdò (ex explanatis in præcedentibus) in omni agente per intellectū reperiuntur formaliter ideæ suorum effectuum per se intē torum, vt ostensum est supra cap. 92. at Deus per Arist. est agēs per intellectum: ergo in Deo omnium suorum effectuū ideę secundum esse formale reperiuntur.

Quintò, & vltimo loco soluenda sunt argumenta aduersariorum cap. 97. quæ duo sunt, vt ibi insinuatum fuit, hoc loci autem explananda sunt formaliter.

Primū. Si verbū Dei seu Dei filius eiusdem esset naturę cum Deo apud Platonem, tunc Plato cognouisset id, quod nos Christiani tantum per fidem habemus, scilicet verbum Dei, seu Dei filium esse eiusdem essentiæ, seu subsītātiæ, vel naturæ cum patre generante; contrà qd reclamant penè omnes Theologi, & præsertim nos Thomistæ. D. Thom. sectantes. Respondetur negando consequentiam, quoniam non est idem verbum à Platone cognitum, nec non ab alijs philosophis, & à Christianis per diuinam reuelationem; quoniam verbum Dei, quod Dei filius nuncupatur, à Platone, & ab alijs philosophis lumine naturali cognitum est verbum essentiale, nullo modo re ipsa à Deo Patre distinctum, de quo verbo essentiali loquitur D. Tho. primo contra gent. cap. 53. vt ęgregiè eo loci Ferrariēsis adnotauit; verbum autem à nobis per fidei reuelationem cognitum est verbum personale realiter, & personaliter distinctū à Deo Patre; licet sit eiusdem naturæ, & substātiæ cum Dei Patris substantia.

Secundum argumentum. Si ideæ essent in Deo formaliter: ergo in Deo esset compositio. Cōsequentia probatur, qm̄ vbicumquè aliquid est in aliquo formaliter, ibi est aliqua compositio, & vbicūquè sunt plura, ibi est compositio.

Pro huius solutione argumenti, & pro maiori huius materiæ dilucidatione duo sunt declaranda ex D. Tho. primo contrà gen. cap. 54.

Primum. Diuina essentia inquantum est absoluta. & perfecta potest accipi, vt propria singulorum ratio. Ad probandam hanc propositionem præmittit D. Thom. duo. Primum. In his, quæ multa continent, non eodem modo se habent intellectus, & natura: Nam ea, quæ ad esse alicuius rei coniuncta reperiuntur, natura illius rei non patitur illa esse diuisa, non enim animalis natura remanebit, si à corpore anima separetur, quoniam rerum species sunt sicut numeri, qui variantur, subtracta, vel addita aliqua vnitate. Intellectus autem ea, quę sunt in esse coniuncta, aliquando disiūctim accipere potest, quando vnum eorum in alterius ratione minimè cadit, & ideò intellectus potest considerare in ternario binarium tantum.

Ex hoc deducitur hoc corrolarium. Vbi multa in uno secūdum perfectionem continentur, intellectus potest illud apprehendere ut propriam multorum rationem, apprehendendo aliqua illorum absquè alijs; sicut potest denariū accipere vt propriam rationem nouēnarij vna vnitate subtracta, & similiter ut propriam rationem singulorum numerorum infra inclusorum, & similiter in homine, potest intellectus accipere proprium exemplar animalis irrationalis, inquantum huiusmodi, & singularum eius specierum, nisi adderent aliquas differentias positiuas. Vnde quidā philosophus, Clemens nomine, asseruit nobiliora in entib. esse exemplaria minus nobilium.

Secundum suppositum declarādum. Diuina essentia continet in se omnem entium nobilitatem, per modum perfectionis; non autem per modum compositionis, & per consequens continet in se vniuscuiusquè rei quidditates, inquā tum res quælibet aliquid possit; quoniā quælibet res perfectionem dicit, ex eo quod diuinæ assimilatur perfectioni, &

& dicit imperfectionem, inquantum ab esse diuino, deficit.

Istis suppositis demonstratur prima conclusio scilicet, Diuina essentia inquã tum est absolutè perfecta, vt propria singulorum ratio accipi potest, hunc in modum. Illud in quo multa secundum perfectionem cõtinentur, potest vt propriũ exemplar, propriaquè omnium eorum ratio, quæ in illo secundum perfectionem, continentur, accipi, hæc patet ex primo supposito: at in Deo omnia secundum perfectionem continentur, ex secũdò supposito: ergo Diuina essentia, vt proprium exemplar, propriaquè omniũ ratio accipi potest.

Ex hac conclusione colligitur in Deo esse plures rationes proprias omnium, et singulorum formaliter, quæ quidem rationes propriæ, nil aliud sunt, nisi rerũ ideæ: at quonã modo in Deo sint multæ rationes, explanatur à D. Tho. secunda conclusione quæ est talis.

Rationes rerum in diuino intellectu, non plures realiter, nec distinctæ realiter sunt, sed tantum sunt plures, & distinctæ secundum plures respectus imitabilitatis; secundum enim quod Deus intelligit proprium respectum assimilationis, quam habet quęlibet creatura ad Deum, sic sunt in Deo plures rationes; in quo sensu ait D. Th. cap. 54. intelligendi sunt D. Aug. 83. q. quæst. 6. & plato asserentes, plures ideas dari in mente diuina.

His suppositis, respondetur formaliter ad secundum argumentum negando sequelam, & ad probationem asseritur, illam propositionem assumptam, scilicet, in quocunque reperitur aliquid formaliter, ibi est compositio; solum veram esse quãdo illa duo reipsa distincta sũt, non autem quando illa solummodo secundum rationem sunt distincta, similiter illa propositio, vbicumquè sunt plura, ibi est compositio, vera est, quando illa plura, reipsa distincta sunt; non autẽ quando illa plura secundum rationem, sunt distincta, ità autem se habent isti respectus à Deo intellecti, quibus ideæ & propriç rerum rationes plurificantur isti enim respectus sunt rationis respectus, & ideò non diuinam plurificant essentiam, quasi per dictos respectus, ipsa sit multa realiter, verum dicũtur facere pluralitatem formaliter, & distinctionem formalem, & secũdum rationem distinctam idearum, & rationum propriarũ in esse cognito. Et huius veritatis ratio est; quoniam (vt iam dictum est) idea, & propria rei ratio est ipsa diuina essentia vt intellecta, tamquàm omnium perfectionum in creaturis inuentarum repraesentatiua. Hęc autem diuina essentia minimè intelligitur, vt ratio plurium distinctiua, nisi quia ab ipso Deo intelligitur cum diuersis ad creaturas respectibus, quapropter vna in se existens intelligitur, tamquam terminus multiplicis creaturarum respectus ad se. Et ex hoc habet multiplicitatem, & distinctionem in esse intellecto & cognito; idcircò nulla multiplicitas in re ponitur, sed tantum quod multipliciter intelligitur ex parte rei cognitę propter multiplicitatem respectuum.

Diluuntur argumenta octuagesimi-octaui capitis.

Cap. 99.

QVò ad quintum principale, scilicet solutionem argumentorum, opinantium non dari ideas ad mentem Arist. quæ fuerunt adducta supra cap 88. Verum antequam diluantur argumẽta, primò aduertendum est pro istorum solutione argumẽtorum, id quod animaduertit Simplicius secundo phys. tex 20. qui tex. incipit, *latent autem qui ideas faciunt &c.* quandam opinionem fuisse de ideis Platoni attributam, à quibusdã Platonicis ipsum Platonem magistrum suum perperam intelligentibus, quæ hæc est. Quod dabantur ideæ in concauo Lunæ ab istis singularibus separatæ vniuersales, q̃ erant cã generationis singulorum, & scientię rerum generabiliũ, & corruptibilium, ex consequenti istæ

ideę

Ideæ extra mentẽ diuinam erant, quã q̃dem opinionem nunquam somniauit Plato, vt clarum est omnibus omnes libros suos legentibus, & etiam intuentibus ea, quæ nos suprà collegimus ad aures Platonis, & hanc opinionem redarguit Arist. in tota sua doctrina, ipsamq; destruere conatur, non autem veram Platonis mentem de ideis, immo suo magistro Platoni adstipulatur, vt satis abundè in superioribus explanatum fuit

Hoc supposito, facilimè ad argumẽta proposita responsa damus.

Ad primum itaquè asserimus, Arist. confutare ideas illorum Platonicorum extra diuinam mentem existentes, non autem ideas in diuina mente formaliter repertas.

Ad secundum eodem modo responsũ damus, quod responsum possumus omnib. alijs argumentis dare.

Ad tertium respondemus. Arist. impugnare illos, qui minimè causas ponebãt particulares, cuius opinionis nunquam fuit Plato, nam in 6. Dialogo de iusto, nõ solum causas ponit vniuersales. verum ẽt particulares, vel sermonem habet de sponso, & sponsa.

Ad quartum respondemus. Illud argumentum esse contrà astruentes, entia nullo modo posse sciri, nisi per ideas. Nã res etiam propriè per principia intrinseca entium constitutiua dignoscuntur.

Ad quintum dicimus, illud Platonis argumentum concludere contra asserẽtes, negationes per se cognosci, & hoc nunquam asseruit Plato, immò docuit, entia positiua per proprias differentias cognosci, entia autem negatiua dignosci per accidens, hoc est per entiũ positiuorũ ideas, sicut Theologi docent, mala p bonorum ideas cognosci.

Ad sextũ. Negamus esse contra Platonẽ, asseuerare ideas esse numeros.

Ad septimũ respondetur. Sicut datur duplex causæ genus. s. materialis, & formalis, seu exẽplaris, ita duplex prioritas dat, altera ĩ gñre cãæ materialis, altera ĩ gñre cãæ formalis, in genere cãæ materialis dualitas est prima in gñre numerorum, & sic intelligẽdus est Plato, in gñre aũt cãæ exẽplaris idea dualitatis est omni numero prior, & hoc suadet argm̃.

Ad octauũ. Asserimus cãs, & effectus eẽ ꝓportionatos, quoad multa, & pˢertĩ quoad prioritatẽ, & posterioritatẽ, et hoc mõ cãæ priori r̃ndet effectus prior, & ẽ côuerso: similiter cãæ posteriori effectus posterior corrñdet; stãtib. his, dicimus relatiuorũ ideas eẽ ipsis relatiuis priores; sicut cãę sunt suis effectib. priores, nõ aũt sũt ideis rerũ absolutarũ priores, & ità semper res absoluta est relatiua prior, qdquid sit de reb. absolutis ideatis, nã non est inconueniẽs, ideã relatiuã rei relatiuæ esse priorẽ, rebus absolutis ideatis, licet sit incõueniens vniuersaliter relationem esse re absoluta priorem

Ad nonũ. Concedimus omniu accidẽtium vnam esse ideã quæ est diuina essentia, neque hoc est côtra Platonẽ; qm̃ Plato solũ negabat accidẽtia habere ideã existentiæ, quæ negatio vera est; qm̃ sicut accidẽtia existentiã minimè habent ita non habent ideam existentiæ, habent tñ, ideã essentiæ, neq; hoc vnquam Plato negauit.

Ad decimũ. Imus inficias minorẽ, & ad probationẽ dicimus, licet in Deo nõ sit accidens formaliter, est tñ in eo virtualiter, & eminenter; qm̃ Dei essentia eminẽter oĩa côtinet, & licet in Deo nõ sit accidẽs, vt accidẽs est, est tñ in Deo accidens, vt ens, & ab ipso Deo oĩa esse habẽt; sicut etiã Arist. docet primo de cęlo tex. 100. vbi affirmat, à primo ente deriuatum est esse, viuere &c.

Ad vndecimum dicimus: Ideam posse bifariam considerari. Vno modo secũdũ rationẽ essendi eandẽ, & sic idea, & ideatũ differunt diffinitione, imò plusq̃ genere, quia idea cũ sit diuina essentia est æterna, & diuina. Ideatũ aũt põt esse corruptibile. Alio modo potest considerari idea secundum rationem repraesentandi, & sic idea, & ideatum conueniunt in nomine, & in ratione, immo sunt idem numero propter hoc potest causa assignari, propter quam

Deus

Deus per ideam hominis magis producat hominem verum, quam hominem pictum, equum &c.

Ad duodecimũ. Negatur minor quoad vtramquè partem, & ad probationẽ primæ partis negatur, quod ideæ nõ possint esse causæ motus corporum cælestium, & si arguatur, immobile non potest esse causa motus, sed ideæ sunt immobiles, dicitur falsissimam esse primã propositionem; nam Deus est maximè immobilis, & tamen est totius motus causa, quo ad secundę partis probationẽ affirmamus, etiam necessariam esse ideã ad cognitionem, & si non in genere, saltem ad cognitionem simpliciter.

Ad decimumtertium. Respondemus, illud argumentum procedere contra asserentes, non esse formas exemplares rebus ideatis inhęrentes, quod nos minimè asserimus, quocircà affirmamus ideas ab ideatis, nullo illorum modorũ participari, verum ideata participant de idęis, suum esse in genere causæ exẽplaris præcipue: licet etiã in genere causæ efficientis, & finalis; cum sint diuina essentia, quæ istis modis ab ideatis participatur.

Ad decimumquartum. Respõdemus Arist. loqui contrà illos Platonicos, qui ponebant ideas extra diuinam mentem in Lunæ concauo, quæ proculdubio essent vitiosæ.

Ad decimumquintum. Res naturales à Deo ab vniuersali agente producũtur, & ab agente particulari, & respectu vtriusquè agentis ponitur forma, ad cuius similitudinem res producuntur. Verum in Deo hęc forma ideę habet rationem; non autem in agente naturali, vt supra declaratum est, & ita vtraquè forma est in ordine suo necessaria.

Ad decimumsextum. Consequentis falsitas negatur, cum non sit inconueniens, vnius rei plures esse formas secundum diuersas rationes, nam cum Socrates sit substantia, habet ideam substantiæ cum habeat accidentia, habet in se ideã accidentium, cum sit homo, hominis ideam habet, vt magis explicabitur in sequentibus.

Ad decimũseptimũ. Negatur sequela & ad probationem, negatur hoĩem sẽsibilẽ, & hoĩem idealẽ eiusdẽ esse rõnis; etenim homo idealis est ęternus, & incorruptibilis, homo autem sensibilis est temporalis, & corruptibilis. Deinde homo idealis habet exemplaris rationẽ, homo autem sensibilis exemplati rationem habet.

Ad decimumoctauum. Respondet Arist. 7. meth tex. 32 negando maiorẽ, s. res artificiales non habent ideas; nam domus, & alia artificiata habẽt ideas in mente artificis.

Ad decimumnonum. Negatur minor. Ideæ sunt numerorum proportiones secundum Platonem, proportiones autem numerorum nõ sunt numeri; quoniam ideata sunt quidem proportiones numerorum; at non tantum numerorum proportiones, verum etiam, numeri sunt, Sunt certè numeri, quia ideata multa sunt, sunt etiam ideata numerorum proportiones; quoniam ad ipsorum productiones agentia remota, & proxima, secundum quandam proportionem concurrunt.

Ad vigesimum. Negatur primò numerum vnum, ex numeris componi, cũ ex vnitatibus componatur, ità etiam ideę cum sint plures, vnum numerum tanscendentem constituunt. Secundò dicitur, dato, sed non concesso, ex pluribus numeris constitui vnum numerum non tamen vnitas numeralis simpliciter constituitur, sed tantum secundum quid, hoc est, secundum multitudinis vnitatem, pari modo, ex multis ideis, vnitas non simpliciter constituitur, verum multitudinis vnitas, quæ est vnitas secũdum quid.

Ad vigesimumprimum. Dicimus, minimè esse inconueniens, tria esse numerorum numeratorum genera dato, esse inconueniens tria numerorum numerãtium genera esse.

Ad vigesimumsecũdum. Asserimus, licet sit inconueniens numerum sui generis

neris vnitatem præcedere, cum vnitas, sic numeri principium, minimè tamen inconueniens est, altioris ordinis numerum inferioris ordinis, & generis vnitatem præcedere, sic est in proposito numerus idealis, altioris est ordinis vnitate numeri ideati, siuè sit numerus mathematicus, siuè sit naturalis.

Ad vigesimumtertium. Affirmamus illum numerum radicaliter, & eminenter in diuina esse essentia, cum numerus aliquam dicat distinctionem, quæ in Deo nequaquam actualiter est, sed solum fundamentaliter, seu radicaliter, & eminenter, & ista distinctio radicalis, ab æterno in Deo fuit, actualiter autem est in Deo per nostri intellectus comprehensionem.

Ad vigesimumquartum. Imus inficias consequentiam, & ad probationem dicimus probare, vnum à rebus physicis & mathematicis abstractum, non posse esse omnium principium, cum hoc vnũ abstractum non detur, & hoc gratis cõcedimus, nequè hoc aliquo pacto cõtra Platonem militat; quoniam quando plato asserit, vnum esse omnium principiũ, & ab vno omnia dependere, & causari, intelligit de Deo, qui est vnus, de quò et locutus est Arist. quando in fine meth. cõtestatus est hæc verba: vnus ergo Princeps.

Solutiones argumentorum capitis octuagesiminoni.

Cap. 100.

AD argumenta cap. 89. desumpta ex 7 meth. respondendum est in isto capite.

Ad primum itaquè negatur minor, quo ad vtramque partem, & ad primã probationem, asserimus bifariam cõtingere, aliquid conducere ad esse rei, vno modo tamquam forma inhærens, & ità ideæ non conducunt ad esse rei, & hoc tantum probat argumentum; alio modo, vt forma exemplaris, & hoc modo ideæ, ad esse rei faciunt. Ad secundã probationem dicitur sciẽtiam perfectã in duplici esse differentia, altera est sciẽtia perfecta in genere, & ista solum habetur per cognitionem intrinsecorum; seu rei quidditatem intrinsecam, & de hac loquitur Argumẽtum. Altera est cognitio perfecta simpliciter, & ista nequaquam haberi potest, nisi per cognitionẽ omnium principiorum, tàm intrinsecorum, quam extrinsecorum, & inter principia extrinseca ideæ etiam computantur.

Ad secundum. Negatur sequela, & ad probationem, negatur ideas esse quidditates rebus inhærentes, cum rerum quidditates, rebus inhęreant, & sint proprium genus, propriaquè differẽtia, quę rebus insunt intrinsecè, & in entibus p se, non differunt res, & suæ quidditates; in rebus autem per accidens ista valdè differunt.

Ad tertium. Asserimus illam propositionem, omne quod fit, fit à suo simili, veram esse de agente proximo, & vniuoco, non autem de causa remota. Ideę autem remotę sunt causę exemplaria tãtum. Deinde dicimus, ideas licet in essẽdo non sint vniuoca, in repræsentando tamen vniuoca sunt.

Ad quartum. Asserimus primò Arist. nomine Socratis iunioris nequaquam platonem intelligere, nec etiã Socratẽ Platonis pręceptorem, sed intelligere, Socratem Genoensem, qui fuit multum temporis post Platonem, & Athenis docuit, & hoc placet Alex. Secũdò dicimus illud argumentum destruere ideas separatas, in Lunæ concauo, existentes.

Ad quintum. Negatur sequela, & ad probationem, minor negatur, & ad eius probationem, iterum minor negatur. Nam falsum est, hominem sensibilẽ & hominem idealem, esse eiusdem rationis in essendo cum homo sensibilis, sit corruptibilis, & tẽporalis, idealis autem incorruptibilis, & æternus.

Ad sextum. Negatur sequela; quoniã, & si Deus se, & alia à se suam per essentiã cognoscat; attamen sua essentia non eodem

eodem modo se habet respectu sui, & respectu aliorum, cum respectu aliorũ, Principium sit operatiuum, non autem respectu sui; quapropter essentia diuina ad alia à se comparata, ideç habet rationem, nõ autem per comparationem ad ipsum Deum.

Ad septimum. Dicimus, vt ait simplicius, Arist. habere sermonem contrà ponentes ideas per se existentes, extra Dei mentem, quod nullo modo est contra Platonem.

Solutiones argumentorum capitis nonagesimi, suadentium non dari ideam boni.

Cap. 101

AD primum argumentum ex primo Eth. negatur maior propositio, nec Plato, umquam eam somniauit.

Ad secundum. Propositio maior negatur, & ad probationem asserimus, diuersorum generum nequaquam dari posse aliquod vniuocum cõe per prædicationem, & ordinis creati, & hoc recte argumentum suadet. Potest tamẽ dari aliquod vnum commune per causalitatem, omnium bonorum causatiuum, ordinis increati, & hoc est Deus, seu diuina essentia, omnium bonorum idea, tàm causatiua, quam repræsentatiua.

Ad tertium. Affirmamus primò, licet diuersorum bonorum non possit esse vna scientia creata, potest, tamen esse vna scientia increata, & ità Deus per essentiam, quæ est omnium bonorum idea, cognoscit omnia. Secundò asserimus diuersa bona diuersas habere ideas in diuina mente, quæ solum ratione distinguuntur, vt affirmatum est supra capite nonagesimooctauo, & magis in sequenti capite explicabitur.

Dari plures ideas ad aures Platonis, & Aristot. ostenditur.

Cap. 102.

HÆc est secunda consideratio principalis de ideis, in qua ostendendũ est, ad aures Platonis, & Aristot. nedum secundum veram Theologorum doctrinam, dari plures ideas in mente diuina. Et licet cap. 98. assertum fuerit dari multas ideas in diuina mente, occasione ostendendi ideas reperiri in diuino intellectu, non tantum virtualiter, sed etiam formaliter; attamẽ in præsenti capite ex proprio instituto, ostendenda est hæc veritas, tum ad aures Platonis, tùm Arist. ex quibus etiá perfectã habebimus idearum intelligentiam, quç cum sit ad modum difficilis, non potuit duobus, vel tribus capitibus absolui, verum pluribus absoluenda est, & dilucidãda. Circa quod tria præcipuè agenda sunt. Primò ad aures Aristot. & Plat. dari plures ideas demonstrandumm est. Secundò p quid distinguantur illæ ideæ. Tertiò explanandum est, hanc idearum pluralitatem minimè diuinæ simplicitati, repugnare.

Quo ad primum. Talis ponitur conclusio. Necessum est, plures ideas ponere ad aures Arist. & Plat. quæ conclusio probatur. Primò quo ad Arist. Et pro huius probatione supponenda est Arist. doctrina 12. met tex. 52. quæ in trib. consistit assertionib. Prima assertio. Cuiuslibet effectus duplex finis datur; alter rei intrinsecus; alter vero extrinsecus. Finis intrinsecus est bonum intrinsecum ipsi effectui inhærens, finis autem extrinsecus est bonum extrinsecum, à quo effectus producitur. & Arist. hanc declarat veritatem Ducis & exercitus exemplo, asserens Ducem esse bonum exercitus extrinsecum, ordinem autem exercitus esse bonum ipsius exercitus intrinsecũ. Secunda assertio. In vniuerso reperitur hoc duplex bonum. Bonum extrinsecũ est Deus, bonũ autem intrinsecũ est ordo vniuersi. Tertia assertio. Licet bonũ ex-

extrinsecum, tam vniuersi, quam aliorũ sit simpliciter, et absolutè melius bono intrinseco, sicut causa suo effectu melior est: attamẽ ordo vniuersi ẽ melior quocumquè bono inuento in vniuerso. Hę assertiones sunt Aristotelis loco adducto.

Ex quibus sic demonstratur conclusio ad aures ipsius. Vltimus finis est propriè, per se intentus & factus ab agente principali, sicut ordo exercitus à Duce, sed ordo vniuersi, vt patet ex tertia assertione per Aristo. est vltimus finis existẽs in vniuerso: ergo ordo vniuersi est propriè intentus per se, & factus à Deo agẽte vniuersum; tunc vltra, sed Deus est agens per intellectum, & voluntatem, ad aures Arist. vt nunc supponimus, tamquam in superioribus probatum; ergo in Deo est idea vniuersi. Consequentia ista patet; quoniam vt affirmatum est supra. In omni agente per intellectũ, idea effectus reperitur: tunc vltrà, sed ratio totius non potest perfectè haberi, nisi rationes eorum ex quibus totum constituitur, habeantur, quemadmodum ędificator nõ potuit perfectam Domus speciem concipere, nisi apud se omnium domus partium rationes habeat; ergo in Deo nõ poterit esse perfecta totius vniuersi ratio, nisi apud Deum sint omnes singularum vniuersi partium rationes: at ideæ nil aliud sunt, quam rerum rationes: ergo in Deo plures erunt ideæ.

Deinde hæc veritas ad aures Platonis ostenditur per explanata in capitibus nonagesimo quarto, & nonagesimo septimo, quæ ita demonstratur. In omni agente per intellectum ideæ suorum effectuum reperiuntur. Hæc propositio, fuit demõstrata supra cap. nonagesimo-secundo: at per Platonem, Deus est agens per intellectum totũ vniuersum, & omnia naturalia, vt fuit ostensum supra capite 94. ergo in Deo ad aures Plat. sunt ideę omnium rerum à se productarum.

Quo ad secundum ponitur hæc conclusio causæ distinctionis idearum inter se declaratiua. ideæ multiplicantur in diuino intellectu, & distinguuntur per diuersos rationis respectus ad diuersas res intellectas, & productas, qui respectus rationis in mente diuina ab æterno sunt, non autem in rebus extra Deum existentibus, quiquidem respectus rationis sunt respectus diuersi imitabilitatis essentiæ diuinę à creatis rebus.

Pro huius pulcherrimæ conclusionis, quoad omnes partes intelligentia, quatuor sunt adnotanda, & explicanda.

Primum itaquè explicandum hoc est. Quoniã idea diuinam significat essentiam exemplariter imitabilem. Imitabilitas autem potest sumi fundamentaliter, scilicet pro absoluta, & formaliter, scilicet, pro respectu, & pro vtroquè; Idcirco etiã, triplex ideæ significatio imaginari potest. Primò vt significat absolutum solum. Secundò, vt tantum significat respectum. Tertiò, ut vtrũq; significat, verum hoc nomen idea non significat imitabilitatis fundamentum, quod ità probatur: imitabilitatis fundamentũ est ipsa essentia diuina, quæ est vna tantum: ergo si idea tantum huiuscemodi fundamentum significaret, idea esset tantum vna, quod est contra suppositum. Nec etiam idea significat tantum imitabilitatis relationem; quoniam idea diuinam essentiam significat: at essentia diuina non est tãtum respectus, & relatio rationis, cum sit res realissima: ergo idea non significat tantum relationem imitabilitatis. Qua de re à sufficienti diuisione, idea vtrumquè significat sicut creator, non tamen vtrumquè significat ex ęquo, tamquam partes, vnam rationem componentes, verum ista duo significat idea: Nam absolutum, quod est diuina essentia, significat, vt rem, significat autem respectum vt rei modum. Vel idea absolutum significat, vt determinabile, respectum autem, vt determinatum. Vel significat absolutum, vt commune, respectum autem, vt proprium.

Secundò considerandum est, ideas, tam in artificum intellectu, quàm

Dei existentes, posse bifariam considerari; vno modo, vt aliorum ideæ sunt, et hoc modo cōsiderantur, quādo artifex, vel Deus considerat ideam, vt ideati repræsentatiuam, & intuitus intellectus ad ideatum terminatur; alio modo ideæ considerantur, vt in seipsis sunt, vt puta, quando artifex domus ideam considerat reflexo actu, suam intellectionem suprà ideam reflectendo, quatenus est quædam res spiritualis in intellectu existens. Et vtroque modo habent ideæ rationem, licet idea primo modo considerata dicatur habere esse obiectiuum in intellectu, vt aliorum ratio: secundò autem modo dicitur habere esse obiectiuum in intellectu, vt res intellecta.

Tertiò considerandum est, respectus rationis ideas distinguētes, esse in Deo, non autem in rebus creatis, qui quidē respectus, non tantū sunt idearum distinctiui, verum etiam sunt formaliter earum constitutiui, qua de re, (vt pluries assertum fuit) idea in diuina mente formaliter importat imitabilitatis respectum; fundamētaliter autem, & realiter diuinam importat essentiam, eo modo, quo in primo notato explanatum fuit.

Quartò aduertendum est, istos respectus ideas constituentes, & distinguentes, minimè consequi actū diuini intellectus, ideas intelligentis, uerum fiunt per actum diuini intellectus, suam essentiam, vt à tali, & tali creatura imitabilem intelligentis; quocirca non prius essentia, vt imitabilis intelligetur, deinde sequatur idealis respectus; verum ipsa intellectio essentiæ, vt imitabilis, est constitutiua respectus idealis: ex quo colligitur, ideales respectus nō hac de causa poni necessarios ad hoc, vt distinctè Deus creaturas intelligat, cum diuini perfectio intellectus, nequaquàm suam perfectionem à respectibus rationis mendicet, sed hac de causa necessarij ponuntur; tanquam necessariò constituti ex diuinæ perfectionis intellectione. Et hæc omnia fuerunt egregiè explanata à Caietano prima parte; quæstione decimaquinta, articulo secundo.

Quo ad tertium. Quod autem idearum pluralitas in mente diuina diuinæ simplicitati minimè repugnet, licet ostensum fuerit cap. nonagesimo octauo, adhuc tamen alia via ostendendum est. Et hæc veritas ostenditur, ex discrimine, inter (quod) et (quo) ītelligitur, ita arguēdo. Multiplicare (quod) diuinæ simplicitati minime repugnat, verum multiplicare (quo) repugnat diuinę simplicitati, at idea se habet sicut (quod) & non (quo): ergo ideatū multitudo diuinæ nō repugnat simplicitati. Minor est sup. manifestata; Maior autem ità explanatur. Intelligere multa, nō ponit compositionem, vel imperfectionem in intelligente, verum ponit imperfectionem, & compositionem intelligere pluribus speciebus, seu intelligere pluribus, vt (quo) vel vt quibus.

Quorum sunt Ideæ.
Cap. 103.

IN tertia parte principali statutum erat explicare, quorum essent ideæ, quod modo exequendum est. Et pro huius explicatione quædam distinctio de idea præmittenda est, quæ extrahitur à Plat. lib. nono in Dialogo Parmenidis, vel de vno rerum omnium principio, et de ideis, in quo pulchra de ideis pertractantur.

Distinctio autem hæc est. Idea potest sumi duobus modis; altero modo, vt exemplar, altero modo, vt ratio. Et isti duo modi ideam sumendi differunt, nam idea, vt est factionis principium, exemplar appellatur, & ad cognitionem practicam pertinet, ut autem idea est cognitionis principium nuncupatur ratio, ad cognitionemquè speculatiuam, cōtinet. Et hæc eadem distinctio dilucidatur à D. Thom. prima parte quæstione decima sexta, articulo tertio.

Facta ista distinctione, ponuntur septem

ptem conclusiones adamussim hanc materiam determinantes, quarum duæ primæ sunt responsiuæ ad difficultatē, aliæ verò sunt primarum duarum declaratiuę conclusionum.

Prima conclusio. Idea quatenus est exemplar est omnium, quæ à Deo cognoscuntur secundum omne tempus in ipso Deo existens, quæ ità ex præcedentibus suadetur. In omni agente per intellectum reperiuntur ideæ effectuum, per se intentorum, sed Deus est agens per intellectum, tam secundum veritatem, quā secundum Platonem, & Aristotel. ergo &c.

Secunda conclusio: Idea vt est ratio, est omnium factibilium, & cognoscibilium secundum proprias rationes, & practicæ, & speculatiuæ, hęc cōclusio clara est ex assertis.

Tertia conclusio. In Deo non est mali culpæ idea, quę ità probatur. Idea est propria ratio rei per se cognoscibilis & per se factibilis: at malum non cognoscitur per se à Deo, sed tantum per bonum, nec Deus aliquo modo malum operatur: ergo mali idea non est aliquo modo in Deo.

Quarta conclusio. Idea non est per se materiæ primæ, verum idea compositi est etiam primæ materiæ idea, quæ ita suadetur. Ideæ sunt rerum subsistētium, & quæ per se fiūt, vt clarum est ex Plat. Dialogo proximò citato: at materia prima nequè per se subsistit, nequè per se fit vt apertissimum est in tota Aristo. philosophia, & pręsertim primo physicorum: ergo &c.

Quinta conclusio. Ideæ non sunt generum, sed tantum specierum, quæ ità demonstratur. Ideę sunt tantum eorum quæ per se fiunt, & quæ per se existunt: at genera non per se existunt, sed tātum in speciebus existunt, vt patet per Plat. loco nunc citato, & singularia pari modo non per se producuntur, sed propter speciei conseruationem producuntur, licet per se sub diuina cadant prouidentia: ergo ideæ sunt tantum specierum, non autem generū, & singulariū.

Sexta conclusio. ideę non sunt accidentium, quæ subiectum inseparabiliter consequuntur.

Septima conclusio. ideæ sunt accidentium, quæ subiecto superueniunt.

Istæ duæ conclusiones simul probantur. Artifex per ideam domus, omnia facit accidentia, quæ à principio, domum concomitantur: quæ autem Domui iam factæ superueniunt, vt picturæ, & huiusmodi, per aliam ideam facit, ab idea Domus; sed Deus est omnium rerum artifex: ergo &c.

DE VERITATE Dei secundum Aristotelem.

Deus est summa, & prima veritas secundum Aristotelem. Cap. 104.

CVm scientia (ex Aristotele, primo posteriorum cap. secundo,) sit verorum iurè optimo, post scientię diuinę considerationem, speculandum est de eius veritate, & videndum, Deum esse veritatem. Verumprimò quatuor fundamenta iacienda sunt ad aures Aristot. deinde conclusio responsiua apponenda est.

Primum fundamentum. Veritas primariò est in intellectu: Secundariò in rebus, in ordine ad ipsum intellectum, à quo dependet. Hoc fundamentum tribus gaudet partibus, quarum prima hæc est. Veritas primariò est in intellectu, quæ ità probatur, ex sexto methaphysicę text. vltimo. Bonum est extra intellectum, verum autem in intellectu: ergo veritas primariò est in intellectu. Secunda pars hęc est. Res intellecta dicitur vera, quatenus ad intellectum ordinem

habet, quæ ita suadetur ex eodē textu, sicut bonum est in re, vt appetitui conueniens, ità verum est in intellectu, vt conueniens intellectui, sed bonitas in re deriuatur ad appetitum: ita veritas in intellectu ad rem deriuatur. Tertia pars ista est. Veritas ab intellectu dependet; quę ità demonstratur. Iudicium de vnaquaquè re fit secundum ea, quæ per se insunt, non autem secundum ea, quæ in sunt per accidens; hæc relinquitur tāquam per se nota. Sed vnaquęquè res dicitur vera per se, & absolutè secundum ordinem ad intellectum, à quo dependet; sicut res artificiales dicuntur veræ per ordinem ad intellectum nostrum, à quo dependēt, & res naturales dicuntur veræ secundum ordinem ad D. intellectum, quatenus res naturales diuino cōformantur intellectui, res autem artificiales intellectui nostro: ergo vnaquæq; res dicitur vera secundum ordinem ad intellectum, à quo dependet.

Secundum fundamentum. Veritas formaliter sumpta est in secunda intellectus operatione, tamquam in cognoscente veritatem in actu exercito, quod facit, quando propositionem format, puta dicendo, homo est risibilis. Hoc fundamentum colligitur ab Aristot. tertio de anima text. vigesimo secundo, & quarto methaph. tex. vigesimo septimo; vbi diffinit verum, & falsum per enunciabile in hunc modum: *verum est ens esse, & non ens non esse, falsum autem est ens non esse, & non ens esse*. Hoc idem asserit sexto methaphysicæ textu vltimo.

Tertium fundamentum. Veritas rei, quæ est propria rei perfectio, est in rebus. Hoc fundamentum docet Aristo. secundo Met tex. quarto, vbi demonstrat eandem dispositionem esse rerum in esse, & veritate, ac per hoc, sicut res habēt esse, ita veritatem habent.

Quartum fundamentum. Veritas rei est esse diuino intellectui, à quo dependet conformabile, quod ita probatur. Res artificialis dicitur vera, quatenus intellectui, à quo dependet conformatur, sed esse omnium rerum à Deo tamquam ab artifice dependent, vt patet per Aristo. secundo physicor. text. octnogesimo sexto: ergo veritas rei est esse diuino intellectui, à quo dependet, conformabile.

Ex his fundamentis facilè colligimus Deum esse non solum veritatem, verum etiam primam, & summam veritatem.

Et primò. Deum esse veritatem, vt in re, ità suadetur ad aures Aristot. Veritas in re est ista, quæ diuino intellectui conformatur, vt constat ex primo, & quarto fundamentis: at Dei esse non solum est diuino intellectui conforme, verum etiam est idem reipsa cum ipso, vt satis fuit demonstratum in tractatu de scientia Dei: ergo Deus est veritas, quæ in re inuenitur.

Secundò. Probatur in Deo esse veritatem obiectiuā. Obiectiua veritas est in intellectu, quatenus intellectus intelligit rem sicuti est, ex secūdo fundamento, sed intellectus diuinus rem apprehēdit sicuti est: ergo &c. Minor ità probatur ad aures Aristotelis intellectio mensurans omne esse, omnemquè intellectum, etiam componentem, & diuidentem cognoscit omne verum, & omne quod à quocumquè intellectu cognoscitur, hæc ex se patens est: at Dei intellectio, est huiusmodi ergo &c. Probatur ista minor. primum in vnoquoquè est mensura omnium illius generis, sed Dei intellectio est prima omnium intellectionum, vt patet 12. meth. tex. 51. ergo est omnium intellectionum mensura. Deinde probatur Deum intelligere omnes res sicuti sunt, ex hoc; quoniā intelligere Dei est diuinissimum per Aris. tex. citato

Tertiò demōstratur Deū esse veritatē, tā rei, quā obiectiuā simul in hūc modū Deus est suum esse: ergo est rei veritas: sequela probatur quia esse rei est veritas rei: antecedēs autem est notum ex dictis ad aures Aris.

Quartò

Quartò. Probatur Deum esse verità tem obiectiuam hunc in modum. Deus est suum intelligere: ergo Deus est omnia, quæ sunt in eius intellectu, ergo Deus est veritas obiectiua. Antecedens demonstratum est, ad aures Arist. in superioribus, utraquè autem consequentia ex dictis clara est.

Quinto. Ex his omnibus compertissimum est, Deum esse summam, & primã veritatem, quod ita facile colligitur. Qđ est suum intelligere, prima mensura primaquè omnis intellectus, & omnis veritatis causa ẽ prima, & summa veritas: Deus est huiusmodi: ergo Deus est summa, & prima veritas.

Veritas formaliter multiplicatur ad intellectuum multiplicationem, similiter rei veritas ad rerum multiplicationem. Veritas autem à qua omnia sunt vera, est tantum vna secundum Aristotelem.

Cap. 105.

EX dictis primò colligitur, veritatem formaliter multiplicari ad intellectuum multiplicationem, quod ita suadetur. Accidens multiplicatur ad sui subiecti multiplicationé, vt patet ex accidentis natura, sed intellectus est veritatis subiectum, vt fuit declaratum ex 6. meth. ergo &c.

Secūdò colligitur, rei veritatem multiplicari, ad ipsarum rerum multiplicationem, quæ ita suadetur. Eadem est ratio veri, & entis, vnde dicit Arist. secundo meth. tex. quarto. *Vnumquodquè sicut se habet ad esse, ita etiam ad veritatẽ se habet*, sed entia multiplicantur; ergo & veritates ad multiplicationem entiũ multiplicantur.

Tertiò. Ex his etiam colligitur, vnam esse veritatem increatam, à qua omnes aliæ veritates proueniunt, & hoc expressè explanatur ab Aristo. secundo metha physicę textu quarto, ita contestãs: *Quapropter semper existentia principia esse verissima necesse est, non enim quandoque vera, quandoque non vera, nec illis causa aliqua est, vt sint, sed illa aliis, quæ vnumquodque, sicut se habet, vt sit, ita & ad veritatem*: Hæc Aristot. Ex qua auctoritate, vt abundè demonstrabitur in tractatu de creatione, ostenditur, Deum esse causam efficientem, & finalem omnis entis, ac per hoc, omnis veritatis.

In Deo reperitur vita modo perfectissimo, immò Deus est sua vita secundum Aristotelis sententiam.

Cap. 106.

EX declaratis facilè vitam maximè propriè Deo conuenire, demonstrare possumus; immò Dei vitam esse eius substantiam iuxta Aristotelis doctrinã. Et circa hanc considerationem tria agẽda sunt. Primò quædam fundamenta sunt præmittenda. Secundò veritas proposita determinanda est. Tertiò quibusdam obiectis est occurrendum.

Quò ad primum duo fundamenta supponenda sunt. Primum fundamentum. Illa propriè sunt viuentia, quæ se ipsa secundum aliquam motus speciem mouent: Sumendo motum, tam pro motu methaphysico quam physico. Hoc fundamentum docet Aristotel. secundo de anima text. tertio, vbi ponens discrimens inter viuentia, & non viuentia, asserit illa esse viuentia, quæ se ipsa mouent, habentquè in se sui motus principium. Quod autem sit sermo apud Aristotelem de motu, tam methaphysico, quam physico apertè ab ipsomet habetur. Nam de motu physico habetur hæc sententia loco citato, quia ibi ait expressè illa esse viuentia, quæ per se ipsa habent alimentum, augmentum, & decrementum, quæ spectant ad motum physicum. Quod autẽ sermo

nem faciat de motu methaphysico, cuiusmodi est intelligere, & velle conspicuum est ex duodecimo methaphisicæ text. 39. vbi appellat intellectus actum, vitam, affirmans esse vitam optimam, & sempiternam.

Secundum fundamentum. Viuere, & vita in Aris. doctrina, sumuntur duobus modis; vno modo propriè pro esse substantiali rerum viuentium; alio modo minus propriè pro rerum viuentium operatione. Prima pars habetur secundo de anima tex. trigesimoseptimo, vbi astruit, viuere esse, viuentibus esse. Secunda pars habetur secundo de anima text. 34. vbi ità autumat. *Maximè communis potentia, est animæ secundum quam in est viuere omnib. cuius sunt opera generatio, & alimento vti*, & clarius, nono eth. cap. vndecimo, vbi affirmat, viuere esse principaliter sentire, & intelligere, & de his vidēdus est D. Th. 1. p. q. 18. ar. 2. Hęc de primo.

Quò ad secundum. Ex prædictis duobus fundamentis demonstratur primò, vitam nobilissimam Deo conuenire secundum Aristotelem hoc modo: Vità ppriè est eorum, quæ seipsa per se ipsa mouent ex primo fundamēto: at Deus maxime se mouet, alia autem omnia ab alio mouentur, vel à natura, vel à primo mouente Deo, Deus autem maximè seipsum mouet, nulloquè modo ab alio mouetur, vt pluribus in locis, superius demostratum fuit: ergo Deo maximè, nobilissimèquè vita conuenit.

Secundò eadem conclusio ita probatur. Intelligere est vita, ac per hoc, perfectissimum intelligere, est perfectissima vita, vt patet ex fundamentis, sed in Deo est intelligere perfectissimum: ergo in Deo est perfectissima vita. Ista ratio tota desumitur ab Arist. 12. meth. tex. trigesimonono. Ex quo tex. etiam probatur Deum esse suam vitam tali ratione. Intelligere Dei est eius substantia, Dei vita est eius intelligere: ergo vita Dei est eius substantia, & ista est aperta Aristo. mens eo loci.

Quò ad tertium. Contrà hanc veritatem sunt tria argumenta, quorum primum tale est. Aliquid dicitur viuere quatenus est mouens se ipsum, vt fuit expositum: at Deo moueri non conuenit: ergo &c. Respondetur negando minorē absolutè, & vniuersaliter, quia licet Deo non conueniat physico motu moueri, q est actus imperfecti cōuenit tamen moueri motu methaphysico non quidem ab alio, sed à se ipso, qui quidem motus nil aliud est, nisi actus intellectus, & voluntatis, quomodo etiam secūdum Platonem Deus seipsum mouet, intelligit se ipsum, & alia, necnon vult seipsum, & alia.

Secundum. In omnibus viuentibus datur aliquod vitæ principium, & ideò asseritur secundo de anima, animam esse viuentis corporis causam, & principium; at Deus nullum habet principiū. Respondetur. Primam propositionem esse vniuersaliter falsam; quoniam ad hoc, vt aliquid sit viuens sufficit, vt in se aliquod viuendi principium habeat, vel vt sit ipsummet principium, & hoc est longè nobilius, & huiusmodi est Deus, quoniam sicut est ipsum esse, suumquè intelligere, ità & suum viuere, quocirca ità viuit vt tamen non habeat viuendi principium.

Tertium argumentum. Principium vitæ in rebus viuētibus, quæ apud nos sunt, est anima vegetabilis, sed anima ista non est nisi in rebus corporalibus: ergo &c. Sequela negatur quoniam vita in his inferioribus in natura recipitur corruptibili, quæ indiget, & generatione ad speciei conseruationem, & alimento ad indiuidui conseruationem; quapropter in his inferioribus non inuenitur vita sine anima vegetabili, quare, in his corruptibilibus, vitæ principium est anima vegetatiua. Verum hæc ratio nullum habet locum in rebus incorruptibilibus, & multò magis in Deo, cum ista incorruptibilia suis formis, suisquè essentijs viuant.

In

In Deo omnia sunt diuina vita, secundum Aristotelis sententiam.
Cap. 107.

EX assertis clarissimè colligitur, omnia in Deo esse diuinam vitam secundum Arist. quod ita deducitur. In Deo idem sunt intellectus, intellectum, & intelligere; vt exploratum est in materia de scientia Dei, desumpta in hac parte ab Aristot. duodecimo meth. tex. 39 & 51. at Dei viuere est eius intelligere, vt in præcedenti capite fuit explicatum ad aures Arist. ergo viuere Dei est eius intellectus, & intellectum, sed omnia à Deo facta sunt ab ipso intellecta, vt patet ex assertis in materia de sciẽtia Dei: ergo omnia à Deo facta vita diuina sunt.

DE VOLVNTATE Dei ad aures Aristotelis.

Voluntatẽ esse in Deo ad mentem Arist. demonstratur.
Cap. 108.

EXplanatis satis abundè his, quæ ad Dei intellectum spectant, iure optimo agendum est de eius voluntate, & de spectantibus ad eius voluntatem, & primo demonstrandum est, quinquè rationibus ad mentem Arist. voluntatem esse in Deo.

Prima ratio. Docet Arist. tertio de anima tex. 49 50. 51. 52. 53. 54. & nono metaphisicę tex. decimo, vbicumquè est intellectus ibi voluntatem adesse, cum voluntas intellectum ad operandum moueat: at probatum est pluribus in locis ad mentem Aristot. in Deo esse intellectum, & præsertim in duodecimo metaph. à tex. 36. vsquè ad textum quadragesimum inclusiuè, & textibus 51. & quinquagesimosecũdo, ergo in Deo est voluntas.

Secũda ratio duo supponit fundamẽta. Primum fundamentum. Bonum intelligibile est voluntatis obiectum, vt docet Arist 3. de anima tex. 50. 51. 52. & 53 Secundum fundamentum est. Potentię, & actus per obiecta distinguuntur, vt explicat Arist. secundo de anima tex. 33. vbi explicat Arist. obiecta potentiarum & actuum esse ipsis actibus, & potentijs priora, modo autem cõstat vnumquodquè posterius, per suum prius distingui.

Ex his fundamentis ità formatur ratio secunda. Vbicunquè est voluntatis obiectum ibi est voluntas, sed in Deo est obiectum voluntatis, quod est ipsemet Deus: ergo in Deo est volũtas. Prima ꝑpositio suadetur ex secũdo fundamẽto. Potentiæ, & actus distinguuntur per obiecta, sed eadem est differentia alicuius diuisiua, & constitutiua: ergo vbicumquè est voluntatis obiectum, ibi est differentia diuisiua, & constitutiua voluntatis, ac per hoc, ibi est voluntas Secũda propositio ità demonstratur. Bonum intelligibile est voluntatis obiectum ex primo fundamento: at Deus est bonum intelligibile ex 12. meth. à tex. 36. vsquè ad tex. 40. ergo Deus est voluntatis obiectum.

Tertia ratio. Bonum intellectum est ꝓprium voluntatis obiectum, vt in præcedenti ratione ostensum fuit: ergo vbicũquè est intelligens bonum, ibi est intellectus, & voluntas: at Deus est bonum intelligẽs: ergo in Deo est intellectus, & uoluntas. Prima sequela quoad utramquè partem suadetur: Vbi est bonum intellectum, ibi est intellectus, cum intellectũ sit relatiuum intellectus, & ubi est bonum intelligibile, ibi est uolũtas; cum bonum intelligibile sit uoluntatis obiectum, ex præcedenti ratione. Quòd autem Deus sit intelligens bonum constat ex præcedentibus, ubi ad aures Arist. determinatum est, Deum seipsũ perfectè intelligere, & hoc ex 12. methaph. tex. 51.

Quarta ratio. Vbi est delectatio intellectus operationem consequens, ibi est voluntas, seu appetitus intellectiuus; sicut vbi est delectatio appetitum consequens sensitiuum, ibi est appetitus sensitiuus, vt explicat Arist. decimo eth. secũdum interpretationem D. Th. p. 2. q. 31. ar. 4. ad primum, sed in Deo est summa delectatio consequens sui intellectus operationẽ, vt explicatur 12. meth. tex. 39 ergo in Deo est voluntas,

Quinta ratio. Vbi est gaudium intellectuale, ibi est appetitus intellectiuus, seu voluntas, vt colligitur ab Arist. 2. Topicorum, vbi docet sensitiuum amorem, esse in cõcupiscibili, ex quo habetur amorem intellectiuum, esse in appetitu intellectiuo, vt docet D. Tho. p. 2. q. 26. ar. 1. at in Deo est intellectuale gaudiũ, vt asseritur 7. eth. quo in loco affirmatur Deum vna simplici operatione gaudere: ergo in Deo est voluntas.

Voluntas Dei est eius substantia secundum Aristot. Cap. 109.

DEi voluntatem esse eius substantiã ex his, quæ in superioribus pertractata sunt tum agendo de Dei simplicitate, tum de eius intellectu, facile demonstrari potest, & tribus rationib. hęc veritas demonstratur.

Prima demonstratio. Nã supra ostensum est Deum esse actum purissimum, & hoc ex duodecimo meth. text. 30. 35. & 39. ergo quidquid est in Deo Deus est. Consequentia probatur; quoniã vbi sunt aliqua duo per se distincta, & per se coniuncta, alterum se habet vt actus, & alterum se habet ut potentia, ut patet 2. de anima tex. 7.

Secunda demonstratio. Si voluntas Dei ab eius substantia distingueretur: ergo esset accidens, sed hoc pluribus demonstrationibus demonstratum fuit esse impossibile; ergo Dei voluntas est eadem cum eius substantia.

Tertia demonstratio. Maximam proportionem habent inter se intelligere Dei, & eius velle, tum quia mutuò se consequuntur, vt affirmatum est ex tertio de anima, & nono meth. tum quia ambo operationes immanentes sunt ex nono meth. tex. 16. ergo necesse est si unum est idem reipsa cum eius substantia, etiam alterum esse idem secundum substantiam, sed supra ostensum est cap. 55. intelligere Dei esse eius substantiam: ergo Dei uelle est idem cum eius substantia.

Volitum principale diuinæ voluntatis esse essentiã diuinã ostẽditur, nec non quædam argumenta contra præfatam veritatem diluuntur. Cap. 110.

ET si neminem latere debeat volitum diuinæ voluntatis principale esse Dei essentiam etiam ad aures Aristo. attamen quatuor rationibus validissimis hæc ueritas demonstranda est.

Prima ratio. Docet Arist. tertio de anima tex. quinquagesimo, & quinquagesimoquarto, appetibile ad appetitum comparari sicut mouens omnino immobile, ad mouens motum: si ergo principale uoluntatis diuinæ uolitum esset aliquid aliud à Deo: ergo Deus non esset primum mouens immobile; sed primum mouens immobile esset illud, quod esset primò à Deo uolitum, hoc autem est contrà Aristot. nedum contra ueritatem, ut superius ostensum est.

Secunda. Bonum intellectum, est uoluntatis obiectum, ut colligitur ex tertio de anima à tex. quinquagesimo, usquè ad textum quinquagesimumquartum; ergo primum intellectum à Deo est primum eius uolitum, sed essentia Dei est primum eius intellectum, ut fuit ostensum superius cap. quinquagesimoquinto, ad aures Arist. ergo Deus primo suam uult essentiam.

Tertia. Secundum Aristotelem secundo physicorum textu uigesimo nono, &

& trigesimo, & quarto Metaphysi. text. secundo. Vltimus finis est primum volitum; at Deus est vltimus finis per Aristot. duodecimo Metaphysi. text. trigesimonono, vbi docet, Dei essentiam esse quid optimum, & text. quinquagesimosecundo, vbi explicat, Deum esse vltimum omnium finem; ergo Deus est primum volitum.

Quarta. Docet Aristotel. primo de Cœlo text. centesimodecimosexto, virtutem vniuscuiusquè rei proportionari secundum æqualitatem, ad suum obiectum principale, eo quoniam virtus rei secundum obiecta mensuratur, sed nihil ex æquo diuinæ proportionatur voluntati, nisi Dei essentia, ut patet 12. Metap. tex. vltimo, ubi concludit, Deum solum esse primum intelligibile, & primum bonum, vt egregiè exponit D. Thom. Primum autem bonum primę voluntati proportionatur, quę est diuina voluntas.

Contrà determinata in præcedentib. tribus capitibus, & præsertim contrà primum ità primo arguitur. Secundum Aristote. 3. de Anima loco citato, appetitus intellectiuus, seu voluntas est mouens motum, sed Deus est primum mouens omninò immobile; ergo in Deo non est voluntas. Respondetur Aristotelis propositionem esse intelligendam de voluntate, cuius obiectum principale est bonum extra uoluntatē existens, & ideò cum diuinæ obiectum uoluntatis sit ipsamet Dei essentia, minimè ab ipsa uoluntate distincta, non mouetur ab alio, sed à se tantum, eo loquēdi modo, quo intelligere, & uelle dicuntur motus, secundum quem modum, Plato asseruit, primum mouens seipsum mouere, qua de re iste diuinus motus nullam dicit realem mutationem, sed solum secundum nostrum intelligendi modum, intelligimus Deum moueri à seipso, hoc est intelligi, uolitumquè esse à se ipso.

Secundò ità obijcitur. Voluntatis obiectum est finis, & bonum; at Deus non habet aliquē finē, cū ad aliquid minimè ordinetur; ergo in Deo, non est voluntas.

Ad hoc bifariam respondetur. Primò negando, Deum non habere finem absolutè, est enim ipse finis, & ideò licet nil aliud à Deo sit Dei finis, tamen ipse est finis. Secundò respondetur. Licet dato, sed non concesso, Deum non esse sui ipsius finem, est tamen suam per essentiam finis omnium, quæ ab ipso fiunt, & hoc sufficit.

Deus volendo se vult etiam alia à se de mente Aristotelis.

Cap. III.

Ex his etiam demonstratur, Deum uolendo se, uelle etiam alia à se, tribus rationibus ex doctrina Aristotelis.

Prima ratio. Secundum Aristotel. secundo Physic. tex. uigesimonono, & 5. Metaph. tex. secundo, & duodecimo Metaphy. tex. trigesimoseptimo. Finis est illud, cuius gratia omnia fiunt, ex qua diffinitione apertè colligitur, quicunquè uult finem aliquem, uult etiam ea, quæ sunt ad finem ratione finis; at ut ostensum est in pręcedenti capite, Deus uult se ut finem omnium rerum ultimum; ergo uult etiam omnia quę ad ultimū finem ordinantur, sed omnia à se ordinantur ad Deum, ut patet duodecimo Metaphysi. tex. uigesimoseptimo; ergo Deus uolendo se, vult alia omnia a se.

Secunda ratio. Quanto aliquis finis est perfectior, tanto uoluntas illum finē volens, ad plura se extendit ratione illius finis, ut ex præcedenti ratione patens est: sed Deus, seu Dei essentia est omnium finis secundum Aristot. duodecimo Metap. text. trigesimoseptimo, & trigesimooctauo; ergo uolens Deū uult omnia, quæ ad ipsum ordinantur, sed Deus uult seipsum; ergo Deus uolendo se, uult etiam omnia, quæ ad finem ordinantur.

Tertia

Tertia ratio. Secundum Aristo. 12. Met. tex. 37. Intelligibile, & appetibile sunt proportionata, & mutuo se consequuntur, & ideò primum intelligibile est primum appetibile, vnde etiam intellectus, & voluntas mutuo se consequuntur, vt docet tertio de Anima text. 49. & 50. quia voluntas intellectũ mouet; at Deus, vt fuit demonstratum superius non solum intelligit se, verum intelligendo se etiam alia à se intelligit; ergo Deus volendo se, vult etiam alia à se.

Deus vnico actu vult se, & alia à se de mente Aristotelis. Cap. 112.

VNico etiam actu Deus vult se, & alia à se ad mentem Aristo. & hoc demonstratur tribus rationibus.

Prima ratio. Explicatur 2. Phys. tex. 89. 90. 91. sicut se habent principia in speculabilibus, ità se habet finis in operabilibus, eò quoniam sicut per principia conclusiones cognoscimus, ità ex fine appetitus procedit, necnon operatio eorum quæ sunt ad finem; at in intellectu est discursus ex hoc, quia separatim principia dignoscuntur, & ex eis in conclusiones deuenimus, vt constat ex diffinitione syllogismi tradita ab Arist. primo poste. ergo si aliquis seorsum vult finem, & ex fine, vult ea, quæ ad finem ordinantur, aliquo modo sibi voluntatis discursus erit; ergo si Deus alio actu vult finem, & alio ea, quæ sunt ad finem in Deo erit aliquo modo discursus, quod est contra prædicta.

Secunda ratio. Ostensum est suprà ex tertio de Anima tex. 50. & 54. appetibile ad voluntatem comparari, sicut mouens ad motum; ergo si est aliqua voluntatis actio, ex qua Deus vult alia à se, diuersa ab actione voluntatis, qua vult se, in illa erit aliquid aliud, diuinam mouens voluntatem, seu actionem diuinæ voluntatis qua se vult; hoc autem est impossibile, quia Deus, & Dei voluntas est mouens omninò non motum.

Tertia ratio. Manifestatum est supra capit. 109 velle Dei esse idem cum suo esse, sed in Deo non est nisi vnum esse; ergo in Deo est tantum vnum velle.

Deus vult seipsum necessariò necessitate absoluta. Cap. 113.

LIcet Deus vnico actu velit se, & alia à se, non tamen eodem modo; at vult se necessitate absoluta, alia autẽ à se liberè, & necessariò necessitate suppositionis, & pro huius veritatis claritate, duo fundamenta ponenda sunt ex Arist. doctrina.

Primum fundamentum. Necessarium apud Arist. 5. Met. tex. 6. & 12. Met. tex. 38. & 1. Perih. lec. 15. D. Thom. licet multis modis dicatur, secundum nostrum tamen institutum bifariam sumitur. Altero modo absolutè. Altero modo ex suppositione. Necessarium absolutè dicitur, quando aliquid necessariam habet connexionem ad aliquid aliud, vt quando prædicatum est de subiecti diffinitione, vel subiectum de diffinitione prædicati; exemplum primi. Homo est animal: exemplum secundi numerus est par, vel impar. Necessarium ex suppositione est illud, quod in se non est necessarium, tamen facta aliqua suppositione est necessarium, vt sortem sedere nequaquam necessarium est, tamen supposito ipsum sedere necessariò sedet, dum sedet, vt docet Arist. 1. Periher. loco citato. hæc etiam distinctio superius ad aliud institutum fuit explicata.

Secundum fundamentum. Quod colligitur ex 2. Phys. text. 90. 91. est tale. Finis se habet in operatiuis, sicut se habet principium in speculatiuis; idcircò sicut intellectus naturaliter, & ex necessitate principijs inhæret, vt dicitur primo poster. cap. 3. & 2. poster. cap. vltimo, ità voluntas naturaliter, & necessariò, vltimo fini inhæret, & hanc doctrinam dilucidat D. Thom. primo Periher. & 2. Phys.

Phys. locis citatis, & 1.p.q.82. ar. primo, & secundo.

Ex his fundamentis colligitur conclusio responsiua talis. Deus necessariò absoluta necessitate vult se ipsum, quæ ita demonstratur. Sicut se habet primū principium in speculatiuis, ità vltimus finis in appetitiuis, sed intellectus necessariò absoluta necessitate primo adhærent principio; ergo & voluntas necessariò absoluta necessitate vltimo adhæret fini. Sed vltimus finis est ipsa Dei essentia, & bonitas diuina; ergo voluntas diuina necessariò absoluta necessitate adhæret diuinæ essentiæ, eiusquè bonitati, seu vult diuinam essentiam, & diuinam bonitatem. Omnes propositiones sunt apertæ ex doctrina Aristote. vt ex fundamentis conspicuum est, & ex explanatis in præcedentibus.

Deus est agens liberum ad mentem Aristot. Cap .114.

QVod autem Deus alia à se non necessariò, sed libere velit, ostenditur, demōstrando primo Deū esse agens liberum, hocquè tribus rationibus ex Aristo. desumptis demonstratur.

Prima ratio. Agens intellectuale est agens liberum ex 9. Met. tex. 10. at vt ex dictis constat Deus est agens intellectuale; ergo Deus est agens liberum.

Secunda ratio. Docet Arist. 5. Eth. cap. 7. Voluntatem esse finis, electionem autem eorum quæ sunt ad finem, sed Deus vult seipsum tantum tanquam finem, alia autem, sicut ad finem ordinata: ergo Deus respectu sui tantum habet vloluntatem, respectu autem aliorum electionem habet; at electio fit per libertatem, vt ex libertatis ratione conspicuum est; ergo Deus est agens liberum.

Tertia explicatur 1. Met. lec. 3 D. Th. ab Arist. illud agens esse liberum, quod propter seipsum operatur, sed Deus maximè propter seipsum operatur, cum sit omnium finis, vt manifestatur duodecimo Metaph. text. 52. ergo Deus est maximè agens liberum.

Deus alia à se libere vult ad aures Aristotelis.

Cap. 115.

EX assertis facilè colligitur, Deū alia à se libere velle, quod quatuor demonstrationibus ostenditur ad mentem Aristo. Prima agens ea liberè vult, respectu quorum est liberum, sed Deus respectu omnium à se distinctorum est liberum agens; ergo &c. Prima propositio ex terminis conspicua est. Secunda autem ex præcedenti capite.

Secunda. Apertissimè ostenditur hęc veritas à D. Thom. ad aures Aristot. 12. Met. in expositione tex. 38. circa finem tribus suppositis fundamentis ex Arist. Primum fundamentum. Necessitas primi motoris non est absoluta necessitas, sed est necessitas ex fine. Hoc fundamentum est Aristot. duodecimo Meta. tex. 38.

Secundum fundamentum. Deus est finis ille, à quo ista primi motus necessitas desumitur. Hoc fundamentum est Aristot. duodecimo Metaphysi. text. 52. & 53.

Tertium fundamentum. Deus est agens per intellectum, & voluntatem, & hoc colligitur duodecimo Metaphy. à tex. trigesimosexto, vsquè ad tex. quinquagesimosecundo.

Ex his fundamentis ità Di. Thom. argumentatur. Necessitas ordinata ad aliquem finem alicuius agentis per intellectum, & voluntatem, voluntati illius agentis subiacet, hęc propositio ex se nota est, quemadmodum artificiata videmus, quæ ab artifice dependent ipsius voluntati artificis subiacere; at per Aristo. vt patet ex fundamentis motus primus, eiusquè necessitas à Deo per intellectum, & volnntatem agente depēdet; ergo necessitas primi motus, Dei subiacet

subiacet voluntati, hoc autem est libere velle motum. Et cum non sit maior ratio de vno Deo, quam de alio, Deus omnia à se libere vult.

Tertiò. Artificiata (vt nunc assertum est) voluntati artificis subiacent; at omnes res naturales respectu Dei artificiata sunt, vt explicat Arist. 2. Phys. text. 86. ergo omnes res naturales diuinæ subiacent voluntati.

Quarta Aristo. septimo Politicorum astruit Deum seipso solo esse beatum; ergo Deus tantum suam bonitatem de naturę necessitate vult, omnia autem alia à se liberè vult.

Rationes Deum velle alia à se, non libere, sed necessario, suadentes.

Cap. 116.

NOn desunt tamen multi autumantes ad aures Arist. Deum agere, & producere alia à se non libere, sed necessariò, ex consequenti, ipsum velle alia à se necessariò, inter quos est Scotus. 1. sentẽt. d. 8. q. 4. & Herueus 2. quolib. q. 4. quos sequitur Iauellus 12. Meta. q. 10. & Paulus Soncinas 12. Metaphy. q. 30. & adducunt duo pręcipua argumenta, quorum primum est. Arist. 8. Phys. à tex. 3. vsquè ad tex. 13. sustinet motum Cœli necessariò esse æternum, ex qua motus necessitate demonstrat 12. Metaph. tex. 30. dari substantiam ęternam semper in actu, cuius substantia est actus; ergo necesse est, vt iste motus sit necessarius, & non possit non esse, ex consequenti non erit liber, & subditus voluntati primi mouentis.

Secundum. Aristo. 12. Metap. text. 38. expresè fatetur, primum motum esse necessarium non ex violentia, sed ex fine: tunc sic arguitur. Si est necessarius; ergo substantia æterna, à qua est talis motus de necessitate naturæ mouet, quia scilicet sua voluntas ità est determinata ad mouendum vt nõ possit non mouere, & qm̃ D. Th. videtur dicere oppositum asserens, motus necessitatem subiacere diuinæ voluntati, ex consequenti, libere esse productum, vt nos exposuimus in præcedenti capite: Ideircò Iauellus respondet huic auctoritati, affirmans mentem D. Thom. fuisse solum excludere absolutam motus Cęli necessitatem, & concludere finis necessitatem, quæ à Dei voluntate (determinata tamen) immutabiliter ad mouendum pendet, sicut est determinata immutabiliter ad suam bonitatem volendam, & voluntas creata est determinata immutabiliter ad volendam suam fęlicitatem. Verum nos huic argumento respondentes, hanc glossam ad D. Thom. è diametro D. Th. sentẽtię repugnare asserimus.

Istis argumentis possumus nos quam plura alia addere, vt magis hanc dilucidemus veritatem, septemquè addemus argumenta infrascripta.

Tertium. Si Dei voluntas respectu aliorum à se, non est determinata necessariò, sed libera est; ergo est ad vtrumlibet respectu aliorum; at omnis virtus, quæ est ad vtrumlibet, est aliquo modo in potentia, cum ad vtrumlibet sit possibilis contingentis species; ergo Dei voluntas esset aliquo modo in potẽtia, hoc autem est omninò impossibile, cum Dei voluntas sit Dei substantia, in qua nulla est potentia.

Quartum. Ens in potentia inquantum huiusmodi natum est moueri, cum possit esse, & non esse, si ergo voluntas Dei poterit alia à se velle, & non velle, erit in potentia, ex consequenti, poterit mouere, & non mouere, ac per hoc, variari, quæ omnia sunt impossibilia, vt patet ex dictis.

Quintum. Nihil innaturale Deo est; ergo omnia sunt naturalia; at quidquid est naturale in Deo est necessarium; ergo &c.

Sextum. Quidquid Deus scit, ex necessitate scit, sed sicut scientia Dei est eius essentia, ità diuina voluntas; ergo quidquid Deus vult ex necessitate vult.

Septimum. Ab eo quod est ad vtrũlibet

libet, non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio inclinetur ad unum, ut docet Comm. 2. Phy. si ergo Dei voluntas in aliquibus ad vtrumlibet se habet, necesse est ab aliquo determinari ad effectum: ergo Dei voluntas habebit aliquā causam priorem.

Octauum. Deus vult alia à se, in quantum suam vult bonitatem, sed vult necessariò absolutè suam bonitatem, vt ostensum est; ergo &c.

Nonum. Omne æternum est necessarium, ergo quidquid Deus vult, necessariò vult, alioquin Dei voluntas esset mutabilis, & ita non esset æterna; ergo quidquid Deus vult necessariò vult.

Deum alia à se velle necessariò necessitate suppositionis ad mentem Aristotelis.

Cap. 117.

ANtequam supradictis rationibus responsum demus, ostendendum est Deum velle alia à se necessariò suppositionis necessitate, & hæc veritas ostenditur tribus rationibus Aristotelis.

Prima ratio. Voluntas Dei est omnino immutabilis, vt ostensum fuit ab Aristot. 12. Metap. tex. 36. 37. & 38. & 41. vbi demonstratum est, Deum esse mouens omninò immotum quocunque motu etiam Metaphysico, ex consequenti, eius voluntas est omninò immutabilis; at in omni immutabili, si semel est aliquid, non potest postmodum non inesse, eo quoniam si aliquid inesset, & postmodum remoueretur, tunc mutaretur; quoniam aliquid propriè imutatur, quod nunc aliter se habet, quam prius se habebat; ergo si Dei voluntas est omnino immutabilis, posito quod aliquid velit, illud necessario vult, hoc autem est necessarium necessitate suppositionis.

Secunda ratio. Omne æternum est necessarium, aut absolutè, aut ex suppositione, & ratio est; quoniam æternum nequaquā mutari potest, & ista propositio habetur ab Arist. 1. post. tex. 22. at omne Dei velle est æternum, quia est suum esse, vt sup. fuit demonstratum; ergo omne Dei velle est necessarium, sed velle Dei respectu aliorū à se non est necessariū absolutè, vt fuit demonstratū, c. 115. ergo erit necessarium ex suppositione.

Tertia. Aristo. 12. Met. tex. 38. & locis citatis in principio huius considerationis, nō agnouit nisi necessitatem, vel absolutam, vel coactionis, vel ex fine, quę alio nomine nuncupatur necessitas ex suppositione, & asserit, necessitatē primi motus, non esse necessitatē absolutā nec coactionis, sed ex fine, qui est ipse Deus, supposito enim quod Deus voluerit propter seipsum, motum esse ęternū; hoc est impossibile aliter se habere, ex consequenti est necessarium necessitate suppositionis, seu ex fine, inquantum (ait D. Thom. eo loci) sine perpetuitate talis motus non conuenit esse conuenientem ordinem ad finem.

Solutiones argumentorum capitis 116.

Cap. 118.

EX his responsa damus ad argumenta capitis 116. & pro respōso ad primum tria supponenda sunt ex D. Thom. ad mentem Arist.

Primū suppositū. Arist. firmissimè credidit, motum, & tempus esse sempiterna, & ratio est; quoniam Arist. super hoc fundamētum, suam de inquisitione substantiarum separatarum opinionem fundauit, vt patet duodecimo Metaph. & hoc suppositum est D. Th. 8. phys. tex. 13. & 12. Met. tex. 30.

Secundū suppositum Aristo. non existimauit se demonstrasse demonstratione simpliciter, sed tantum demonstratione secundum quid, scilicet, ad contradicendum rationibus antiquorum mundum incœpisse secundum quosdam

quosdam modos in rei veritate impossibiles, ponentium, & hoc probat D.Tho. 1.p.q.46.ar. primo ex tribus signis, vt supra explanatum est, & ideo quando D. Th. ait, Arist. supponere tanquam probatum, mundum esse æternum, intelligit de probatione ad hominem, non autē simpliciter, & si quis iciscitetur, quomodo potest esse, vt Aristote firmissimè tenuerit mundum esse æternum, & tamen cognouerit, se non demonstrasse simplici demonstratione hanc mundi æternitatem? Respnd. hoc non esse inconueniens, cum nos multa firmissimè teneamus, quorum tamen non habemus demonstrationes, sicut hunc esse Patrem nostrum, & hanc esse Matrem, & tamen non habemus de illis demonstrationem simpliciter. Magister Paulus Soncinas 12 Met. q. 30. sustinens oppositū contra suum sanctum preceptorem, duplex responsum affert ad auctoritatē Aristot. primo Topicorum asserentis, mundum incępisse, connumerari inter Problemata dialectica, de quibus rationes non habemus. Primum responsum est. Consuetudo Aristo. fuit illas materias, quas nondum determinauerat pertractare solum, vt probabiles, si aliquando de eis incidit sermo. Sm responsum. Aristot. in logicis sępè vtitur exemplis secundum aliorum opiniones: Aliqui autem, vt Plato, posuerunt mundum non esse æternum. Nos autem ità refellimus ista duo responsa, & ad primum duo dicimus. Primò licet Aristot. adduxerit problema de mundi æternitate tanquam ad vnum determinatum, attamen, vt constat ex primo, & secundo signo D. Thom. non determinauit illud in sua doctrina, simplici demōstratione; vndè absolutè remanet Problema. Secundò dicimus, nullam ibi fuisse necessitatē memoriā de Cœlo facere, poterat enim alia adducere exēpla, quæ vera esse existimabat: Cum itàquè illud adduxerit, asserendum est, illud adductum fuisse tanquam suæ conforme sententiæ.

Ad secundum dicimus. Licet Arist. in logicalibus exempla secundum aliorum opiniones sępè inducat non tamen exempla suæ contraria opinioni affert.

Tertium suppositum. Dum Aristo. suadet motum, tempus, & mundum nō incępisse necessariò; hoc tantum probat, non absolutè, sed solum per viam motus, & ab agente particulari, non autem demonstrat mundum necessariò non incępisse a [illegible], & hoc docet D Thom. 8. Phys. tex. 4. & 12. Metaphy. tex. 6.

His suppositis, ad primum argumentum tale damus responsum. Imus inficias primā propositionē, licet enim Arist. firmiter teneat mundum esse ęternum, & non potuisse per motum incipere, vt patet ex primo fundamento, non tamen absolutè tenuit mundum necessariò, absolutè, & simpliciter semper fuisse; nec etiam tenuit mundum absolutè non potuisse incipere, sed non potuisse incipere per viam motus, vt patet ex 2. & tertio fundamento, sed tantum necessitate finis, inquantum sine talis motus æternitate, minimè conuenit esse ordinem conuenientem ad finem, vt assertum fuit in tertia ratione capitis praecedentis, ad mentem D. Tho.

Ad secundum respondetur. Arist. loqui de necessitate finis, seu suppositionis, vt supra ostendimus ad aures Diu. Tho. Et ad Iauelli improbationem affirmamus, illam glossam expositionem D. Thom. destruere, ait enim D. Thom. sicut artificiata subduntur voluntati artificis inquantum in eis artificis voluntas adimpletur, ità motus Cęli Dei subiacet voluntati, sed compertissimum est, artificiata liberè artifici, & volūtati subdi, & non necessariò absolutè, sicut Deus necessariò vult se ipsum, & voluntas necessariò vult fœlicitatem, ergo pari modo Cœli motus, liberè, & non necessariò absolutè, subditur voluntati Dei. Falsum itàquè est dictum Iauelli, asserentis Deum sic velle motum Cęli necessitate absoluta, sicut vult suā bonitatem, etiā secundū mentē Aris.

Ad

Ad tertium respondetur. Supponendo hanc distinctionem. Ad vtrumlibet potest bifariam alicui virtuti conuenire; altero modo ex parte sui, & hoc est, quando illa virtus suam perfectionem nondum consequuta est, per quam ad vnum determinetur, & illa virtus, quæ est ad vtrumlibet est imperfecta; cum sit in potentia, vt videre est in intellectu dubitantis, qui nondum principia, quibus ad unum determinatur, consequutus est. Altero modo uirtus potest esse ad utrumlibet ex parte eius, ad quod dicitur, & hoc est, quando perfecta uirtutis operatio à neutro dependet. Veruntamen utrumquè potest esse, sicut aliquis diuersis instrumentis potest uti equaliter ad idem opus, & iste modus essendi ad utrumlibet nullam dicit imperfectionem, immo summam præsefert excellentiam, & ad suam eminentiam spectat, quatenus vtrumquè oppositorum excedit.

Ex hac distinctione. Respondetur ad argumentũ, negando omnem uirtutem, quæ est ad utrumlibet esse in potentia, & ad probationem negatur, esse ad utrũlibet ex parte obiecti, esse speciem possibilis contingentis, licet sit species possibilis contingentis ad utrumlibet ex parte uirtutis, esse enim ad utrumlibet ex parte illius, ad quod dicitur, species libertatis est.

Ad quartum respondendo, affirmamus illam propositionem: Diuina uoluntas poterat uelle, & non uelle creatũ, non esse intelligendã, ut primò fuerit uolens in potẽtia, & postmodum actu uoluerit; quoniam ità esset in potentia, & mutaretur, ut suadet argumentum, sed esse intelligendam, ut uolitum non habeat ad diuinam bonitatem necessariũ ordinem, sicut dicimus illa enunciabilia nõ esse necessaria, sed possibilia, quãdo prædicatum minimè necessarium habet ordinem ad subiectum, & ideò in Deo non est aliqua potentia realis, sed logica tantum.

Ad quintum. Negatur prima consequentia; quoniam datur medium inter naturale, & innaturale, & hoc est liberum, alia enim à se non uult innaturaliter, nec naturaliter, sed libere.

Ad sextum. Negatur sequela, & ratio negationis est; quoniam licet sicut diuinum esse est in se necessarium, ità etiam diuinum velle, & scire, diuinum. Veruntamen diuinum scire, necessariã habet habitudinem ad scita, non autem diuinum uelle ad uolita: ratio diuersitatis est, quoniam scientia de rebus, quatenus in sciente sunt, habetur, uoluntas autem, ad res quatenus sunt in seipsis, comparatur. Quapropter cum omnia alia, ut sunt in Deo, habeant esse necessarium absolutè, ut autem sunt in seipsis minimè habent absolutam necessitatẽ: idcirco Deus quæcumquè scit, ex necessitate scit, non autem quæcunquè uult ex necessitate uult.

Ad septimum dicitur, ut dictum fuit ad tertiũ. Primam propositionem, uerã esse de eo qđ est ad utrũlibet ex parte uirtutis, non autem ueram esse, de eo, quod est ad utrumlibet ex parte illius, ad quod dicitur.

Ad octauum. Negatur sequela; quoniam licet Deus ex necessitate, suam velit bonitatem, non tamen ex necessitate uult eam, quapropter suam bonitatẽ uult, cum eius bonitas sinè alijs esse possit.

Ad nonum respondetur. Non omne æternum esse absolutè necessarium, uerum sufficit, ut sit necessarium ex suppositione.

Deus produxit omnia per voluntatem, & libere de mente Aristo.

Cap. 119.

EX dictis apertissimè colligitur, Deũ liberè omnia produxisse ad mentem Aristot. quod bifariam breuissimè ostenditur. Primò agens liberum liberè etiam producit ea, quæ producit, ex tertio de Anima text. 50. & 51. & 7. Met. tex. 10. at Deus omnia alia à se libere

re vult, vt constat ex cap. 115. & sequentibus; ergo Deus ad aures Aristotel. omnia liberè per voluntatem producit.

Secundò. Docet Arist. secundo Phy. à tex. 75. vsquè ad tex. 86. naturam agere propter finem; at omne agens propter finem, vel illud agens cognoscit finem, vel finis cognoscitur ab agente superiori, illud agens dirigente, & hæc patet ex ratione finis tradita ab Aristo. secundo Phys. tex. 29. & quinto Metaph. tex. secundo. *Finis enim est cuius gratia fit aliquid*; ergo natura, vel finé cognoscit, vel cognoscitur à superiori agente ipsum dirigente, sed de facto natura suum finem minimè cognoscit, vt secundo Phys. loco citato constat; ergo natura dirigitur à superiori agente naturæ finem cognoscente; at Deus est supremum agens totius naturæ, vt supra ostensum est; ergo Deus est agens intellectuale, & voluntarium, cum voluntas intellectum sequatur per Arist. 3. de Anima text. 50. & 51. & cum respectu aliorum à se sit agens liberum, Deus liberè omnia alia se produxit, & producit.

Amor est in Deo formaliter ad mentem Aristotelis.

Cap. 120.

NEminem etiam fugere debet, in Deo esse formaliter amorem ad aures Aristote. & hęc veritas quatuor medijs probatur, & breuissimè.

Primò. Secundum Aristote. octauo Eth. lec. secunda D. Thom. Vnusquisquè suum bonum amat, sed Deus est summum bonum ex duodecimo Met. text. 39. & 52. ergo Deus amat seipsum.

Secundo. Vbicumquè est bonum delectabile, ibi est amor, vt docet Aristo. 8. Eth. loco citato; at per ipsummet duodecimo Metaphy. tex. trigesimo nono, Deus in se habet summam delectationē; ergo in se amorem habet.

Tertiò. Vbicunquè est voluntas, ibi est amor, cum amor sit primus voluntatis actus; at in Deo est voluntas, vt patet ex præcedentibus; ergo in Deo est amor.

Quartò ostenditur, in Deo esse amorem respectu creaturarū, ac per hoc, creaturas amare. Docet Arist. 8. Eth. loco citato, amare aliquem est ei bonum velle, sed Deus omnibus creaturis bonum vult, cum ipsas produxerit, ut apertè ostendemus in tractatu de creatione ad aures Aristotel. ergo &c.

DE PROVIDENtia Dei secundum Aristotelis principia.

Prouidentia, seu prudentia necessariò in Deo ponenda est, secundum principia Aristotelis.

Cap. 121.

VSquè modo pertractauimus ea, quæ ad intellectum, & voluntatē diuisim spectant; nunc agendum est de eo, qđ ad intellectum, & uoluntatem cōiunctim spectat, & huiusmodi est diuina prouidentia; de qua primo determinandum est, ipsam in Deo necessariò esse ponendam. Et pro huius determinatione quinquè fundamenta ad aures Arist. iacienda sunt.

Primum fundamentum. Pro vno, & eodem omnino sumitur in præsenti difficultate prouidentia, seu prudentia, ut constat ex D. Thom. 1 p. q. 22. ar. 1. Et est Arist. 6. Eth. lec. 6. D. Thom. ubi affirmat prudentes habere potentiam prouisiuam.

Secundum fundamentum. Prouidētia, seu prudentia est ratio ordinis rerū in finem, hoc fundamentum extrahitur ab Aristo. 6. Eth. lec. 4. D. Thom. & sequentibus, idcirco ille est prudens, qui

actus ad debitum finem ordinat.

Tertium fundamentum Prudentia est duplex ex Aristo. sexto Eth. lec.7. Altera quæ est propriorum actuum in debitum finem directiua, & illa sibi proprium nomen retinuit, & ideò appellat prudentia; altera est prudentia, quæ actus totius multitudinis in suum finem ordinat, & ista appellatur Politica, si est alicuius ciuitatis, vel Monarchica, si est respectu totius mundi.

Quartum fundamentum. Omne bonum in rebus inuentum, à Deo creatum est, quod ita demonstratur ad aures Aris. ex assertis suprà c.23. & 24. Nã per Arist. 2. Met. tex.4 Primum in vnoquoquè gñe est causa oĩum quæ sunt in illo gñe, sed per Arist. 12. Met tex.37.38. & 39. Deus est summum & primum bonum; ergo Deus est omnis boni causa. Alias rationes videas ibi.

Quintum fundamentum. In rebus creatis duplex inuenitur bonum; alterum est vniuscuiusquè rei substantia; alterum est ordo vniuscuiusquè rei in suũ finẽ, & præsertim in finẽ vltimum, qui est Dei bonitas, & hoc fundamentũ est Arist. 12. Metaphysico. text. 52.

Ex his fundamentis duæ ponuntur conclusiones, quarum prima hæc est. In Deo non est prudentia, seu prouidẽtia respectu sui ipsius, quæ facilimè ità probatur vnica ratione tali. Prudẽtia sui ipsius est, qñ ille suos ordinat actus ad aliquẽ finẽ; at in Deo nihil est ordinabile ad aliquẽ finẽ; ergo ĩ Deo nõ est prouidẽtia, respectu sui ipsius. Maior ꝓpositio ẽ Arist. 6. Eth. locis citatis. Minor etiam est ipsius 12. Met. text. 51. vbi docet, Deum esse vltimũ omnium finem.

Secũda cõclusio principaliter intẽta. In Deo est prudentia seu prouidentia quasi politica, seu potius Monarchica: q̃ conclusio quinq; rationb. demõstratur.

Prima rõ. Oẽ bonũ, qđ in rebus est, à Deo creatũ est, ex quarto fundamẽto; at bonũ ordinis rerũ in finẽ vltimũ est in reb. ex quinto fundamẽto: ergo bonũ ordinis rerum in vltimum finẽ est creatũ à Deo; at Deus est causa agens per intellectum, vt ex multis capitibus suprà constat; ergo ratio huius ordinis rerum in finem vltimum in Deo est; sed prouidentia, seu prudentia est ratio ordinis rerũ in vltimum finẽ, ex secundo fundamento; ergo in Deo est prouidentia, seu prudentia omnium rerũ in vltimum finem ordinatarum.

Secunda ratio formatur à D. Thom. 2. Phys. lec.12 in principio ad aures Aristo Natura agit ꝑ finem per Aris. loco citato, sed ea, q̃ finẽ minimè cognoscũt in finẽ nequaq̃ tẽdũt, nisi vt directa ab aliquò cognoscente, vt sagitta à sagittãte & hoc patet, ex ratione finis explicata ab Arist. 2. Physicor. & quinto Met. ergo necesse est, vt natura, cum non cognoscat hunc finem, dirigatur ab aliquo dirigente, & ordinante in finem, hoc autẽ est prudẽtiç opus, ex 2. fundamẽto. Tertia ratio. Docet Arist. 12. Met. tex.52. oĩa quę sunt in vniuerso esse ad vnũ ordinata, & hmõi ordinatio fit à Deo, qui se habet, sicut dux in exercitu, vt ibi explicat; sed prouidẽtia nil aliud pręsefert nisi rerũ ordinationẽ in finẽ, ex secũdo fundamẽto; ergo in Deo est prouidẽtia.

Quarta ratio. Aris. in vltimo tex. Met. habet hæc verba. *Alii inconnexã ipsius uniuersi substãtiã faciunt, nihil enim alia alii confert, aut ens, aut non ens, & principia multa, entia uero nolunt disponi male, nec bonum pluralitas principatuum; unus ergo princeps.*

Ex quibus verbis Aris. antiquorũ opinionẽ improbat, plura esse prĩcipia absquè ordine astruentiũ, & demonstrat dari solùmodo vnũ primũ principiũ, ad qđ oĩa ordinãtur, vt ibi patẽs est iuxtà omnium interpretationem; sed vt assertũ est, hoc est de ratione prouidentiæ; ergo prouidentia &c.

Quĩta rõ. Aris. 10. Eth. le.13. D. Th. circa finẽ apertè contestatur, Deũ hr̃e humanorũ actuũ curã. Et hęc auctoritas est valdè aduertẽda cõtra nõnullos Peripateticos, & pręsertim Iauellũ 12. Meta. q.27. astruentẽ Aris. aliqñ sensisse, Deũ nequaq̃ de reb. humanis habere prouidẽtiam; quorũ fundamtũ partim solue-

mus in præsenti capite,& partim in sequenti.

Contrà hanc veritatem sunt tria argumenta ab Aristot. desumpta, quorum primum tale est. Nullus habitus in Deo est, cum sit purissimus actus, habitus autem potentiam includit; at prouidentia per Aristotel. sexto Eth.lec.quarta, est habitus cum ratione actiuus circa bonum, malumque hominis; ergo prouidentia non est in Deo.

Secundum. Prouidentia est consiliatiua per Aristote.sexto Eth.lec. quarta, & sexta; at consiliari nullo modo Deo conuenire potest, quoniam consilium, vt patet per Arist. locis citatis, præsefert inquisitionem, inquisitio autem nullo modo in Deo reperiri potest; ergo in Deo non est prudentia.

Tertium. Nullum compositum est in Deo; at prouidentia, seu prudentia aliquid compositum importat, cum in se intellectum, & voluntatem includat, vt docet Arist.6.Eth.lec. quarta, in fine; ergo &c.

Ad primum affirmandum est; quoniam perfectiones à Deo in Creaturas procedentes altiori modo in Deo reperiuntur, necesse est, vt omne nomen à creaturę perfectione desumptum, & Deo attributum omnem secludat imperfectionem ab eius significatione, & in Deo ponatur solummodo quantum ad perfectionem. Prouidentia itaquè dicit habitum dicitquè ordinis rationem in finem vltimum. Primum dicit imperfectionem, & hoc modo non est in Deo. Secundum autem summam præsefert perfectionem, & est in Deo formaliter.

Ad secundum bifariam respondetur. Primò negando prudentiam præcisè, & propriè esse virtutem consiliatiuam, quandoquidem secundum Aristo. sexto Eth. prudentia propriè est præceptiua eorum de quibus Eubulia rectè consiliatur, & hac de causa consiliatiua nuncupatur, & etiam est præceptiua eorum de quibus Sinesis rectè iudicat. Secundo respondetur. Cōsilium esse in Deo non quo ad ipsam inquisitionem, sed solum quantum ad cognitionis certitudinem, ad quam consilians inquirendo peruenit.

Ad tertium duobus modis respondetur. Primò negando prudentiam dicere aliquid compositum; cum prudentia sit subiectiuè tantum in intellectu, licet finis voluntatem præsupponat, vt docet Aristote. loco citato in argumento, ex consequenti formaliter loquendo, prudentia tantum intellectum includit, & ideò est simplex, & in Deo. Secundò respondetur. Cum in Deo intellectus, & voluntas vna res simplicissima omninò sint; dato prudentiam ex ęquo intellectum, & voluntatem includere, nequaquam tamen sequitur, ipsam esse quid compositum.

Rationes existimantium, Deum nō habere de omnibus prouidentiam ad mentem Aristot.

Cap. 122.

EX principijs Aristotel. ostendendum est, Deum habere prouidentiam de omnibus rebus, non solum incorruptibilibus, verum etiam corruptibilibus, & non solum in generali, verum etiam in particulari, & præsertim de humanis actionibus. Verum antequam ad huius determinationem veritatis deueniamus, primò adducendæ sunt rationes oppositum defendentes; deindè hanc demonstrabimus veritatem; demum rationes in contrarium adductas diluemus.

Prima itaque ratio opinantium falsitatem ista est. Quæ fiunt per accidens, & à casu, & fortuna, prouidentiæ nequaquam subduntur; at per Aristote. secundo Physic. & sexto Metaphy. multa fiunt per accidens, à casu, & à fortuna; ergo prouidentiæ omnia minimè subduntur. Maior propositio ex terminis

nom

nota est, quæ enim fiunt per accidens fortuitò, & casualiter præter agentis intentionem fiunt, ex consequenti, in aliquem finem minimè ordinantur. Hoc autem naturæ prouidentiæ repugnat, quæ est ordinare res in finem, vt affirmatum fuit in capite præcedenti.

Secunda. Secundum Aristotel. Eth. prudentia est recta ratio contingentium, de quibus est consilium, & electio, ex consequenti, quę ex necessitate eueniunt prudentiam, seu prouidentiam minimè requirunt, sed multa, in rebus sunt necessaria; ergo necessaria diuinæ non subiacent prouidentiæ.

Tertia ostendit, Deum non habere prouidentiam de rebus inferioribus, in quibus eueniunt multi effectus casuales, & præsertim in humanis, & desumitur ista ratio ab Aristote. duodecimo Metaphysi. tex. quinquagesimosecundo, vbi habet hæc verba. *Ad vnum quid est, omnia ordinata sunt, sicut in domo, licet quod non contingit facere, sed omnia aut plurima ordinata sunt, seruis vero, & bestiis parumquid ad commune, multum verò quod contingit, talenamquè cuiuscunquè principium ipsorum natura est. Dico autem puta ad discerni, necesse quoquè omnibus inuenire, & alia sic sunt, quibus communicant omnia ad totum.* Quæ verba ità à D. Thom. exponuntur. Sicut enim in aliqua domo, vel familia ordinata reperiuntur diuersi gradus, sicut sub patre familias est primus gradus filiorum, secundus gradus est seruorum, tertius est bestiarum, quæ seruiunt in domo, vt canes, pecora, &cæt. & isti gradus diuersimodè se habent ad ordinem domui, qui à patre familias imponitur domui gubernatæ. Filijs non conuenit, vt aliquid faciant casualiter, & absquè ordine; quocirca, aut omnia, aut plura eorum quæ faciunt, sunt ordinata. Et ista dispositio, nequaquam seruis, & bestijs conuenit; quoniam parum participant de ordine, qui est ad commune, vnde multa eueniunt, in eis casualiter, & ratio est, quia paruam habent affinitatem cum rectore domus, qui intēdit bonum commune domus. Ità in natura rerum, in aliquibus rebus inuenitur ordo vniuersi indeficiens, in quibus nihil est casuale, & præter naturam, & huiusmodi sunt substantię separatæ, & corpora cœlestia, quæ sunt suprema, & proxima primo principio. In aliquibus autem deficit ordo vniuersi, vt euenit in corporibus, in quibus interdum, aliquid accidit casualiter, & præter naturam, & hoc est propter remotionem à primo principio semper eodem modo se habente. Ex quibus ità formatur ratio tertia. Sicut se habent filij, serui, & bestiæ ad patrem familias, ità se habent omnia, quæ sunt in vniuerso (scilicet, substantiæ separatæ, cœlestia corpora, & corpora corruptibilia, inter quæ connumerantur homines, qui corruptibiles sunt) ad primum principium Deum optimum maximum; sed non omnes actiones seruorum, & bestiarum prouidentiæ patrisfamilias subduntur, immo multa eueniunt præter eius intentionem, & ideo à casu, & fortuito eueniũt; ergo non omnes corporum inferiorum, & hominum actiones prouidentiæ primi principij, scilicet, Dei subduntur. Vtraquè propositio videtur esse Aristotel. iuxtà Diu. Thom. interpretationem, & clarius iuxta expositionē Commentator. qui propter hanc Aristot. auctoritatem sustinet Deum prouidentiam omnium rerum inferiorum nequaquam habere, vt in suo Commentario videre est.

Omnia, non tantum in vniuersali, verum etiam in particulari, diuinæ subiacent Prouidentiæ ad mentem Aristotelis. *Cap.* 123.

EXpositis rationibus, quibus aliqui Peripatetici ostendere nituntur ad mentem Aristotel. non omnia esse diuinæ Prouidentiæ subiecta, demonstrandum est, omnia non solum in vniuersali, verum etiam in particulari diuinæ esse subdita Prouidentiæ, & præsertim, omnes operationes humanas, & hoc ad aures Aristotel. Verum primò duo fundamenta supponenda sunt ad mentem ipsius.

Primum fundamentum. Omne per se agens propter finem agit. Hoc fundamentum colligitur, ex sexto Ethyc. lectione secunda, Diu. Thom.

Secundum fundamentum. Omne ens, tam in vniuersali, quam in particulari, à Deo creatum est, vt diffusè demonstrabitur in materia de creatione; vbi ostendemus, Deū esse primū, & vniuersalissimū ens: & cum oē primum in quocunq; genere sit causa oium aliorū, quæ sunt in illo genere, vt docet Arist. secundo Metap. tex. 4. Cum q; omnia, tàm in vniuersali, quàm in particulari contineantur sub ratione entis; hinc rectè colligitur, Deum omne ens causare, tàm in vniuersali, quàm in particulari.

Ex his duobus fundamentis ratio prima ita formatur. Omne agens agit propter finem, ex primo fundamento; idcircò causalitas agentis, & eius ad finem ordinatio sunt æqualis ambitus, ex consequenti, tantum se extendit ordinatio in finem, quantum agentis causalitas se extendit; at ex secundo fundamento, causalitas Dei se extendit ad omne ens, tam in particulari, quam in vniuersali; ergo omne ens, tam in particulari, quam in vniuersali à Deo in finem ordinatur, sed ista est prouidentiæ ratio vt clarum est ex capit. centesimo vigesimo primo; ergo omnia tam in particulari, quam in vniuersali Dei prouidentię subduntur.

Secunda ratio. Sicut se habent artificiata ad artem, ità se habent omnia cognita à Deo ad Dei cognitionem; hæc nota sunt ex assertis in superioribus, desumptis ex secundo Physic. tex. octuagesimo sexto, vbi affirmatum est ad mentem Aristotel. iuxtà D. Thom. explanationem, omnia entia esse diuinæ artis opus, quæ ars diuina nil aliud est, nisi cognitio diuina, sed omnia artificiata arti subduntur, vt patet sexto Ethycorum lectione prima; ergo omnia à Deo cognita diuinæ cognitionis ordini subduntur: at vt ex dictis compertissimum est, omnia tam in particulari, quam in vniuersali, à Deo cognoscuntur; ergo omnia, tam in vniuersali, quam in particulari, ordini diuinæ cognitionis subduntur: hoc autem est de prouidentiæ ratione, vt pluries fuit inculcatum.

Tertia ratio probat hanc veritatem, præsertim de actibus humanis, & fundatur in auctoritate etiam superius inducta ex decimo Eth. lectio. decimatertia, circa finem, vbi ita Aristotel. scribit in fine. *Secundum intellectum autem operans, & hunc curans, & dispositus optimè, & Dei amantissimus videtur esse. Si enim quædam cura humanorum Diis fit, quemadmodum videtur, erit vtiquè gaudere rationabiles ipsos optimo, & cognatissimo, hoc autem vtiquè erit intellectus, & diligentes maximè hoc, & honorantes, beneficiare, vt de amicis ipsis curantibus, & rectè, & bene operantes. Quoniam autem hæc omnia sapienti maxime existunt non immanifestum. Deo amantissimus est ergo, eundem autem verisimile, & felicissimum, quare, & si sic erit sapiens*

sapiens maximè felix. Hæc Aristotel. Quibus pro maiori claritate, & doctrinę soliditate apponenda est Diu. Thom. horum verborum declaratio, quæ istis in verbis consistit.

Ostendit, quomodo felix se habeat ad superiora, scilicet, ad Deum, & dicit, quòd felix felicitate speculatiua, quia operatur secundum intellectum contemplando veritatem, & curam suam apponit ad bona intellectus, videtur esse optimè dispositus, inquantum excellit in eo, quod optimum hominis est, & etiam amantissimus Deo: supposito enim, sicut rei veritas habet, quod Deus habeat curam, & prouidentiam de rebus humanis, rationabile est, quod delectetur circa homines de eo quod est optimū in eis; & quod est cognatissimum, id est simillimum Deo, quod quidem est intellectus, vt ex præmissis patet, & per consequens rationabile est, quod Deus maximè benefaciat his, qui amant intellectum, & honorant ipsum bonum intellectus, omnibus alijs præferentes, quasi ipsi Dij curent de his, qui rectè, & benè operantur: manifestum est autem quod omnia prædicta conueniunt sapienti; sapiens enim diligit, & honorat intellectum, qui maximè amatur à Deo, inter res humanas; sapiens etiam benè, & rectè operatur: relinquitur ergo, quod ipse sit Deo amatissimus, ille autem est felicissimus, qui maximè amatur à Deo, qui est fons omnium bonorum: relinquitur etiam secundum hoc, quòd quia felicitas hominis dicitur esse per hoc, quod amatur à Deo, quod sapiens est maximè felix: ex quo patet quòd vltimam felicitatem humanam ponit Aristoteles in operatione sapientiæ, de qua supra in sexto determinauit: non autem in continuatione ad intelligentiam agentem, vt quidam fingunt: attendendum etiam, quòd in hac vita non ponit perfectam felicitatem, sed talem, qualis potest competere humanæ, & mortali vitæ, vnde, & supra in primo dixit, beatos autem, vt homines, &cęt. Hæc Diu. Thomas. Ex quibus verbis apertè colligitur eos qui benè operantur, a Deo maximè amari, ex consequenti, qui malè agunt à Deo odio haberi ad mentem Aristotel. quod nihil aliud est, quam, Deum curam habere, & prouidentiam de omnibus actibus humanis tam bonis quam malis.

Solutionis rationum contrà diuinam prouidentiam.

Cap. 124.

EX his facilè soluuntur rationes aduersariorum, quibus in capite centesimouigesimosecundo, astruebant ad mentem Aristotel. non omnia diuinæ prouidentiæ subiecta esse. Et ideò ad primum argumentum dicimus, dari casum, & fortunam respectu particulariū agentium, non autem respectu Dei agentis vniuersalissimi, & ità prima conceditur propositio formaliter, verum secunda negatur respectu Dei, & ad Aristotel. affirmamus ipsum loqui de effectibus in ordine ad causas proximas, cum vnusquisquè effectus secūdū proximas causas iudicet quæ sunt causæ proximæ, & particulares. Etsi quis instet, quonammodo potest esse, vt aliquis effectus sit casualis, & fortuitus respectu causæ particularis, seu proximæ, non autem respectu causæ vniuersalis, seu primæ. Respondetur hoc prouenire propter istam rationem; quoniam aliquid potest extrà ordinem causæ particularis exire, nequaquam autem extra vniuesalis causæ ordinem, & fundamentum huius est; quoniam quidquid ab ordine causæ particularis subtrahitur, hoc euenit propter impedimentum alterius causæ particularis quemadmodum lignum per aquæ actionē à quo à combustione, impeditur, modo compertum est, omnes causas particulares sub causa

vniuersali contineri: idcircò nullus effectus potest subterfugere vniuersalis causæ ordinem: qua de re, inquantum aliquis effectus causæ particularis ordinem effugit appellatur casualis, & fortuitus, verum respectu causæ vniuersalis, cuius ordinem minimè subterfugere potest, nuncupatur per se intentus, & prouisus, sicuti duorum concursus seruorum est quidē casualis respectu seruorum, verum respectu domini prouisus est, qui eos ex intentione ità mittit, vnum ad vnum locum, & alium ad alium locum, & vnus de alio ignorat Verum contra hanc doctrinam ità arguitur. Quod de natura sua est tale semper, & vniuersaliter est tale respectu cuiuscunque, sicut homo semper est homo respectu cuiuscunquè; at casus & fortuna sunt de natura sua, vt sint effectus per accidens; ergo casus, & fortuna semper sunt effectus per accidens. Pro huius obiectionis respōsione duo sunt adnotanda. Primum. Casualis effectus, & fortuitus sunt relatiua; sicut omnis causa, & effectus relatiua sunt. Secundum. Maximum discrimen est inter relatiua, & absoluta; nam quando aliquid est tale simpliciter, & secundum sua prædicata absoluta, semper est tale in quocunquè ponatur, & per comparationem ad quodcūquè, vt patet de homine; qunado verò aliquid est tale secundum aliquod prædicatum relatiuum, solum dicitur tale respectu sui correlatiui, vt clarum est de seruo, qui respicit hunc Dominū, ac per hoc, seruus dicitur respectu huius Domini; respectu verò aliorum hominum nequaquaqnam dicitur seruus; pariter de filio, qui dicitur filius tantum respectu huius Patris, non autem respectu aliorum: quapropter iste effectus, qui est fortuitus, vel casualis respectu huius causę, dicetur tantum casualis respectu huius causæ, non autem respectu alterius cuiuscunquè causæ; & ideò ad argumentum respondetur. Primam propositionem in rebus absolutis tantum, veram esse, non autem in relatiuis reb, casualis autem, & fortuitus effectus sunt res relatiuæ, non autem absolutæ.

Ad secundum respondetur. Aris. illis in locis, vbi astruit prudentiā tm̄ de reb. contingentibus, non autem de rebus necessarijs, loqui de prudentiæ humanæ obiecto, non autem de Dei prudentia, quę etiàm ad necessaria se extendit. Rationquè diuersitatis est; quoniam homo nequaquam naturæ institutor est, verū in operibus artis, & uirtutis vtitur ipsa prudentia, qua de re humana prouidentia haud se ad necessaria extendit, quæ ex naturā proueniunt. Deus autem est naturę auctor, & ideò eius prouidentia etiàm ad necessaria se extendit. Et est aduertendum, rationem hanc fuisse rationem Democriti, eiusquè lectatorum, qui diuinam prouidentiam à rebus necessarijs subtraxerunt.

Ad tertium dicimus. similitudinem Aris. tenere solum considerando omnes partes & gradus vniuersi inter se, vt sunt proximę effectuum causæ, & vt effectus suas causas proximas, & particulares respiciunt, non autem uera est similitudo, considerā lo partes, vniuersi què gradus, nec non omnes effectus, in ordine ad causam vniuersalissimam Deū optimum maximum, vt nos consideramus.

Deum immediatè de omnibus prouidentiam habere, gubernare autem inferiora per superiora ostenditur ad mentem Aristote.

Cap. 125.

DEum immediatè habere de omnibus prouidentiam, inferiora autē per superiora gubernare, demonstrandum est ad aures Aris. Veruntamen antequam ad istas deueniamus demonstrationes, vnum est adnotandū, & est tale. Prouidenita duos habet actus: Primus est, res in suū finem ordinare, & iste est actus propriæ prouidentiæ, & est actus imma-

immanens; Alterum est huius ordinis exequutio, itaquè exequutio nuncupatur propriè gubernatio, & est actus träsiens.

Quod itaquè Deus omnibus immediatè prouideat, ità demonstratur ex assertis ab Aristot. Deus in suo intellectu omnium etiam minimorũ rationem habet, vt patet ex declaratis in materia de scientia Dei ad mentem Arist. & cum sit totius entis omniumquè modorum entium causa, vt dictum est in materia de contingentibus, & explicabitur in tractatu de rerũ creatione. Ex quibus colligitur; Deum in suo intellectu omnium illorum effectuum finem; rationem, & ordinem prehabere, sed in hoc ratio consistit prouidentiæ; ergo Deus per suum intellectum omnibus immediatè prouidet.

Quòd autem Deus inferiora per superiora gubernet, ostenditur discurrendo per singulas vniuersi partes, secundum Arist. doctrinam. Nam primò mouet omnia cœlestia corpora per intelligentias. Vndè in 12. Meta. tex. 43. concludit tot esse intelligentias, quot sunt corpora celestia. Deindè in primo Metheororum lec. 2. D. Tho. ostendit duabus rationib. corpora inferiora regi, & gubernari p corpora superiora, quarũ prima hæc est. Causa mouẽs est prima respectu causæ formalis, & causæ materialis; sed corpus cœleste est primum respectu corporum inferiorum, cum sit incorruptibile; ergo Celum mouet omnia corpora inferiora.

Secunda ratio. Perpetuum mouet non perpetuum, sed Celi motus est perpetuus, vt probatur 8. Phy. primo de Celo, de generatione, primo Metheororũ, & 12. Met. Alij autẽ motus sunt corruptibiles, vt eisdem locis demonstratur; ergo motus Celi causat omnes motus corporum inferiorum. Deindè Deus causat generationem, & corruptionem horũ inferiorum per circulum obliquũ, qui ab Astronomis appellatur Zodiacus, & hoc docet secundò de generatione tex. quinquagesimoseptimo, & quinquagesimooctauo, & duodecimo Metaphysic. tex. trigesimoquarto. Subindè docet primo Metheororũ lec. 4. D. Th. solem, & stellam in hæc inferiora calorem, aliasquè qualitates causare.

Diuina prouidentia rebus prouisis minimè necessitatem ponit ad mentem Aristotelis.

Cap. 126.

NOn nulli existimarunt ad aures Aristot. diuinam prouidentiam omnibus rebus prouisis necessitatẽ imponere, & moti sunt propter hanc propositionem, 6. Metap. assertam, scilicet, omnis effectus, qui aliquam causam per se habet, quę iam est, vel fuit, ad quam de necessitate sequatur effectus, ex necessitate talis effectus euenit. At prouidentia diuina preexistit omnibus suis effectibus, cum sit æterna, & ad eam de necessitate sequitur effectus, cum non possit ipsa cassari; ergo diuina prouidentia rebus prouisis necessitatem imponit.

Verum non obstantè hac ratione, demonstrandum est ad aures Aris. oppositum huius opinionis, suppositis primo duobus fundamentis.

Primum fundamentum. Entium gradus sunt in duplici differentia; quidam sunt necessarij, agentes necessariò; quidam autẽ sunt contingentes, & liberi. Et hanc distinctionem docet Aristot secũdo Phys. tex. 49. & 9 Metaph. tex. 10. & de agentibus necessariò, quæ sunt corpora cœlestia, pertractat Aristo. 8. Phys. de Cœlo & mundo per totum, de generatione & corruptione per totum, & in lib. Metheororũ. Et de gradibus agentibus libere agit Aristo. in libro Eth. & Politicorum.

Secundum fundamentum. Principale bonum intrinsecum vniuersi est ipsius vniuersi perfectio, & hoc explica-

tur duodecimo Metaph. tex. quinquagesimosecundo.

Ex his duobus fundamentis demonstratur, diuinam prouidentiam omnibus rebus prouisis minimè necessitatē imponere. Ad diuinam prouidentiam spectat ordinare res in finem, seu bonum suum, hoc notum est ex prouidentiæ ratione: at per secundum fundamentum perfectio vniuersi, est principale bonum intrinsecum; ergo pertinet ad diuinam prouidentiam res ad vniuersi perfectionem ordinare: at gradus necessarij, & contingentes, sunt de vniuersi perfectione ex primo fundamento; ergo ad prouidentiam diuinam attinet ad suos fines perducere gradus necessarios, gradusquè contingentes. Quod quidem fit præparando causas proximas necessarias effectibus necessarijs, & effectibus contingentibus causas præparare contingentes, ac per hoc, diuina prouidentia non omnibus rebus prouisis necessitatem imponit, verum quibusdam necessitatem, quibusdam autem contingentiam imponit.

Ad argumentum, negatur vltima consequentia; quoniam verum est, omnia euenire necessariò, non absolute, sed secundum quod diuina prouidentia ordinauit, & statuit, & ideò, quæ statuit euenire infallibiliter necessariò, necessariò etiam, & infallibiliter eueniunt. Quæ autem ordinauit, vt euenirent contingenter, necessario eueniunt modo contingenti.

DE INFINITATE primi motoris ad mentem Aristotelis.

Declaratur titulus controuersiæ. Cap. 127.

CIrca hanc maximam difficultatem, an ad mentem Aristo. Deus sit virtutis infinitæ intensiuæ, quatuor principaliter agenda sunt. Primò titulus difficultatis aperiendus est. Secundò vnum fundamentum supponendum, declarandumque est. Tertiò difficultati respondendum est. Quartò argumentis in contrarium est respondendum.

Quò ad primum. Pro declaratione tituli difficultatis, quatuor consideráda sunt. Primò considerandū est, nunc sermoné esse de infinitate perfectionis, & pro huius intelligentia aduertere debemus: Rationem infiniti primò quantitati cōuenire, vt docet Aris. primo phy. tex. 15. quantitas autem diuiditur in successiuam, & permanentem. Quantitas autem permanens subdiuiditur in quātitatem molis, & perfectionis, et cū Deus sit omninò incorporeus, vt superius ostensum est, incorporeis autem nullo modo quantitas molis, siuè successiua conuenire potest; idcircò nunc sermo est de infinitate perfectionis, non autem molis.

Secundò, animaduertendum est: aliquid appellari infinitum bifariam; vno modo priuatiuè; alio modo negatiue. Aliquid nuncupatur infinitum priuatiuè, quod non habet perfectionis terminos, quos natum est habere. Aliquid autem vocatur infinitum negatiuè (quod propriè dicitur infinitū) quod nullos perfectionis terminos habet: in præsenti non est difficultas de infinitate priuatiua, quandoquidem nunc minimè inquirimus, nùm Deus habeat,

vel

vel non habeat perfectionis terminos, quos sua natura est apta nata habere. Sed controuersia est de negatiua infinitate; quoniam simpliciter inuestigatur, an Deus nullos perfectionis terminos habeat, verum sit infinitæ perfectionis.

Tertiò aduertendum est, aliud quęsitum formaliter esse de essentiæ infinitate, aliud de infinitate virtutis, licet mutuò se consequantur. Infinita enim essentia est infinitę virtutis, & infinitas virtutis, est infinitæ essentiæ, vt in superioribus ostendimus agẽtes de essentia Dei. in præsenti tamẽ quæstione sermonem habemus de virtutis infinitate. Supra autem cap. 25. sermo habitus est de infinitate essentię, quapropter in præsẽti supponimus Deum esse suam essentiã suúq; esse, & tandem in se rerum omnium perfectiones continere, quæ omnia superius cap. 10. 11. 19. & 20. fuerunt pertractata, & quęrimus nunc, an Deus sit virtutis infinitæ.

Quartò considerandum est: virtutem esse infinitam, contingere duobus modis; vno modo extensiuæ, quæ virtus infinita extensiuè nil aliud est, quam ęterna duratio, & de ista non est controuersia, & difficultas; quoniam omnes Aristot. interpretes fatentur Deum esse æternum, infinitæquè durationis; alio modo est virtus infinita intensiua, & ista est virtus infinita, secundum perfectionem, qua nulla maior dari potest. Et ista sufficiant pro tituli expositione.

Motus temporis infiniti, non potest à virtute finita fieri, sed solum à virtute infinita secundum Aristotelem.

Cap. 128.

QVoad secundum, ponimus tale fundamentum. Motus in tempore infinito non potest fieri à virtute finita. Antequam hoc demonstremus fundamentum, volumus Lectores hoc loci esse admonitos, quod licet, supra cap. septimo, posuerimus hoc idem Aristotelicum fundamentum; attamen nos duximus in materia de infinitate Dei, necessariò (ad bene esse tamen) esse repetendum, & hoc præcipuè, ratione triplici. Primò. Quoniam hoc fundamentum superius positum, & declaratum fuit ad demonstrandum, Deum non esse corpus vel virtutem in corpore, in præsenti autem ponitur ad demonstrandum, Deum esse virtutis infinitæ intensiuè. Secundò. Licet hoc fundamentum fuerit propositum, & expositum, non tamen (cum non opus esset) fuit adamussim examinatum; nunc autem luculentissimè declarandum est, mouendo pulcherrima dubia circa ipsum, quæ superius nõ fuerũt mota, quorum solutiones maximè ipsum clarificant, & afferunt nobis multa necessaria ad cognoscendum Deum esse virtutis infinitæ intensiuè. Quapropter necessarium fuit nunc etiam proponere, & exponere ipsum, & ab ipso colligere multa necessaria ad nostrum præsens institutum. Tertiò. Quoniam hoc fundamentum est primarium, & summe necessarium ad intelligentiam præsentis difficultatis: Idcircò existimauimus de nouo in præsenti, ipsum repetere, vt immediatè ante oculos legentium esset. Hoc fundamentum demonstrat Aristoteles octauo physicorum textu septuagesimo octauo. Supponendo primò tria inueniri in quolibet motu. Primum est ipsum mouens: Secundum est mobile: Tertium est tempus in quo fit motus. Tunc ita arguitur. Aut ista tria omnia sunt infinita, & ità habetur intentum: aut omnia sunt finita, & hoc non est ad institutum nostrum, quandoquidẽ supponimus, tẽpus esse infinitũ, & disputamus, an sit à virtute finita, an à virtute infinita: aut tempus est infinitum, ex consequenti motus infinitus, & mouens virtutis finitę, &

hoc

hoc est, quod aduersarij concedunt, & demonstratur, hoc esse impossibile. Verum necesse est, si motus est infinitus, & mouentis virtus sit infinita, & hoc ostenditur demonstratione ducente ad impossibile. Si per te motus infinitus est à virtute finita A. virtus mouens sit mille. B. mobile mille cubitorum. C tempus infinitum in quo fit motus. Tunc vltrà. Huic positioni addatur quędam alia positio. s. D. virtus vt centum, quæ est decima pars virtutis vt mille, moueat mobile E. centum cubitorum, quod etiam est decima pars primi mobilis, in tempore. Z. Tunc ità arguitur; hoc tempus in quo mobile centum cubitorum mouetur à virtute vt centum, non est æquale illi tempori, in quo mobile mille cubitorum mouetur à virtute vt mille, sed est eo minus; quoniam demonstratum est 6. phys. cœteris paribus, totum mobile, seu maius mobile egere maiori tempore ad aliquod signum certum pertranseundum, q̃ est pars eius, seu minus mobile, cum ergo. C. tempus quo totũ mobile dicitur ab aduersarijs infinitum tempus. Z. quo pars vt centum mouetur erit finitum: sit itaquè horarum mille; Tunc sic: si augeatur virtus vt centum donec cõsumat, aut saltem adæquet virtutem, vt mille itidem augeatur mobile centum cubitorum, necesse est, proportionaliter augere tẽpus. z. horarum mille; donec cõsumat, aut adæquet tempus, in quo virtus vt mille mouet mobile mille cubitorum; quoniam necessum est, virtutes æquales, æqualia mobilia in æquali tempore, mouere: at infinitum minimè potest consumi, neque aliquid multiplicatum ei æquari, & tamen hoc sequitur ex aduersariorum positione; ergo impossibile est tempus, quo virtus vt mille mouet, esse infinitum.

Circa hanc rationem aduertendum est, omnes propositiones assumptas loqui de virtute intensiua, vt clarum est rectè omnes illas propositiones intuentib. ex cõsequenti sermo est in tota ista ratione de virtute finita, & infinita intensiuè: nam virtus vt mille est intensiua; quoniam mouet mobile vt mille, & virtus infinita, quę mouet mobile infinitum necesse est, vt sit infinita intensiuè: nam si non esset infinita intensiuè non posset mouere mobile infinitum, si daretur.

Vt magis hoc fundamẽtum elucescat, in quo præcipuè doctrina Arist. de primi motoris infinitate fundatur, contrà ipsum arguendum est, ex cuius solutione hæc veritas magis clarescet, & arguitur tali modo, probando virtutem finitam posse tempore infinito mouere: Agẽs finitum incorruptibile, seu impassibile, secundum suam naturam, & non recedens à natura sua, verùm semper eodem modo se habens, tempore infinito mouere potest: ergo falsum est, nihil posse mouere tempore infinito, nisi sit virtutis infinitæ intensiuè. Consequentia notissima. Antecedẽs ità demonstratur. Idem semper eodem modo se habens, sẽper facit idem: ergo si mouet antè, mouet etiam post. Consequentia apertissima est; quoniam nõ est maior ratio, quare non potest mouere post, quam antè.

Et confirmatur primò. intelligentia cuilibet orbi cęlesti applicata est virtutis finitæ, & tamẽ potest mouere suum orbem tempore infinito. Confirmatur secundò Sol est virtutis finitæ, & tamen potest mouere hæc inferiora in tempore infinito.

Pro huius difficultatis solutione tria prælibanda sunt ex quibus hæc Aristot. ratio pro fundamento magis declaratur.

Primò itaquè sciendum est. Tempus motus bifariam accipi posse; vno modo ex parte mobilis; alio modo secundum magnitudinis partes, supra quam magnitudinem motus transit, & ratio huius distinctionis est, quia vna pars mobilis prius aliquod magnitudinis signum pertransit, quam totum mobile illud pertranseat signum, itidem totum mobile prius vnam magnitudinis partem pertransit, quam totam.

Secundò considerandum est, Aristo.

in presenti processu, sermonem habere de tempore motus, quatenus tẽpus motus secundum mobilis partes accipitur, non autem quatenus tempus motus, secundum partes magnitudinis accipitur & hoc apertè ostenditur ex hoc; quoniã in sua ratione hanc accipit propositionem.s.pars mouẽtis mouet partem mobilis in minori tempore, quam totũ mouens totum mobile moueat, quæ propositio minimè esset vera, si acciperetur tempus motus secundum partes magnitudinis, quæ pertrãsitur, quia eadem est proportio partis motoris ad partes mobilis, quæ est totius motoris ad totũ mobile, idcirco æquali velocitate pars motoris, semp mouebit partem mobilis, qua totum mouens mouet totum mobile super eandem magnitudinem, qua de re, æquali tempore, pars mobilis, aliquam magnitudinẽ pertransibit mota à parte motoris, & totum mobile à toto motore, vel forsitan, in minori tempore totũ mouebitur, quàm pars, cum potentia vnita maior sit, quàm potentia diuisa, quanta autem maior est mouentis potẽtia, motus est velocior, & tempus est minus; quapropter in præsenti ratione tẽpus motus accipitur secundum mobilis partes; quoniam tunc verissimum est, vnam partem mobilis in minori tempore pertransire aliquod signum, quam totum mobile.

Tertiò animaduertendum est Nullũ mobile posse moueri tempore infinito secundum partes mobilis, nisi illud mobile sit infinitum corpus; quoniam tũc nunquam deueniretur ad vltimam partem motam, ex consequenti, ad hoc, vt moueatur secundum omnes partes, necesse est, vt corpus sit infinitum, sed mobile infinitum non potest moueri à motore finito; quoniam necesse est, virtutẽ motoris semper esse maiorem virtute mobilis: ergo mobile infinitum, non potest moueri, nisi à motore infinito, ex consequenti, nihil potest mouere tempore infinito secundum mobilis partes, nisi illud sit virtutis infinitæ intensiuè.

Ex his facilimè responsum damus ad argumentum: & imus inficias antecedens, loquendo de tempore infinito ex parte mobilis, licet sit verum de tempore infinito ex parte magnitudinis, vt recte argumentum ostendit, necnon ambæ confirmationes; non autẽ verum est de tempore infinito secundum mobilis partes, quia motor finitus incorruptibilis, inalterabilis, se habẽs eodem modo, & nunquam à sua natura recedens, nunquam potest mouere mobile infinitum, ex consequenti non potest mouere tempore infinito secundum mobilis partes, verum solum tempore infinito secundũ partes magnitudinis, vt compertissimũ est de quolibet motore cuiuscumquè orbis cœlestis, & de Sole respectu perpetuæ generationis.

Demonstratio, & solutio cuiusdam dubitationis contra prædicta ostendens Deum esse virtutis infinitæ intensiuè ad aures Aristotelis.

Cap. 129.

QVò ad tertium principale. Cõclusio responsiua talis est ad mentem Arist. Primus motor est virtutis infinitæ intensiuæ, quæ ità ab Aris. demonstratur Mouens tempore infinito est virtutis infinitæ ex iacto fundamento, sed primus motor mouet tempore infinito, vt superius demonstratum est: ergo primus motor est virtutis infinitæ intensiuè.

Circa hanc probationem dubium valdè difficilè emergit; quoniam Arist. videtur in ista demonstratione, æquiuocasse, ac per hoc, nihil conclusisse; quoniã prima propositio, vt in præcedenti capite fuit explanatum, vera est de tempore infinito ex parte mobilis. Secunda autẽ propositio verificata fuit ab Aristo. de tẽpore infinito ex parte magnitudinis, vt conspicuum est ex 8. phys. Nam primò, Arist. probauit, Cœlum moueri tempore

per-

perpetuo, quod quidem tempus est infinitum secundum partes magnitudinis. Deinde suadet, primum motorem, mouere isto motu infinito. Ecce aperta æquiuocatio: nam in prima propositione sermo est de tempore infinito ex parte mobilis, necnon de motu infinito ex parte ipsius mobilis. In secunda autem propositione sermo est tàm de tempore infinito, quàm de motu infinito ex parte magnitudinis.

Ad hanc pulcherrimam dubitationẽ bifariam respondendum est. Primò secundum D. Thom. Secundò secundum Caietanum. D. Th. itaque 8. phys. tex. 78. respondet, supponendo primò sex fundamenta.

Primum fundamentum est. Causa per se est prior causa per accidens.

Secundum. Virtus causę per se determinatur ad effectum per se, & non ad effectum per accidens, & ratio est; quoniam docetur secundo physico. causas, & effectus ad inuicem proportionata esse.

Tertium fundamentum. Cum motus dicatur infinitus bifariam, scilicet secundum partes mobilis, & secundum partes magnitudinis supra quam fit motus, infinitas motus ex parte mobilis desumpta, est infinitas per se ipsius motus, & ratio est, quia quantitas motus, quæ attenditur secundum mobilis partes, ipsi motui competit secundum proprium subiectum, ex consequenti conuenit ei per se. Infinitas autem motus secũdum magnitudinis partes, est infinitas per accidens, & rõ est; quoniam magnitudo suprà quam fit motus, extrà motus substantiam est, & est per reiterationem eiusdem magnitudinis circularis, & ex consequenti fit infinitas per accidens, seu per aliud, hoc est per reiterationem eiusdem magnitudinis circularis.

Quartum. Infinitas per se motus (quę se tenet ex mobilis parte, & quæ primo & per se à causa priori causatur) necesse est, vt à motore virtutis infinitè intẽsiuè causetur, & probatur ex dictis. Virtus motoris est necessaria maior virtute mobilis: at mobile, quod est propriũ motus subiectum infiniti per se, est infinitum: ergo & virtus motoris debet esse infinita.

Quintum. Infinitas per accidens ipsius motus (quæ se tenet ex parte magnitudinis supra quã fit motus) à finita virtute causatur, dummodo illa virtus finita incorruptibilis sit, vt fuit ostensum in præcedenti capite.

Sextum fundamentum, quod deducitur ex quarto. Prima causa infinitatis ꝑ se motus est virtus infinita intensiuè, & ratio est, quia infinitum per se motum causare potest; etsi non actu causet, hoc est ex defectu mobilis, quia non datur, neque dari potest in rerum natura mobile infinitum actu: vt probatur 3. phys. & iste est sensus fundamenti Aristo. qđ nunc dilucidare intendimus. Et istud fundamentum est medium ad demonstrandam primi motoris intensiuam infinitatem, secundum doctrinam D. Th. ad mentem Aristot. quod tale est. Causa prima infinitatis per se motus est virtus infinita intensiuè, sed primus motor est cã prima infinitatis ꝑ se motus: ergo primus motor ẽ virtutis infinitę intensiuè. Maior est fundm̃ Arist nũc declaratũ: minor etiam nota est ex Arist. quoniam effectui per se debet correspondere causa per se ex secundo fundamento, & effectui priori debet correspondere causa prior, cum effectus, & causa sibi correspondeant, sed motus per se infinitus est effectus per se, & prior motu infinito per accidens, cum omne per se sit prius eo quod est per accidens, ex primo fundamento: ergo motui infinito per se, debet correspondere primus motor, & ista est ratio Arist. qua demonstrauit infinitatem intensiuam primi motoris.

Istis suppositis, & explanatis resp. ad dubium, negando rationem in obiectione adductam, esse Arist. demonstrationem, verum asserimus esse illam, quam nunc formauimus iuxta D. Tho. expositionem: & ad probationem asserimus Aristo. probasse minorem propositionẽ ex infinitate per accidens ipsius motus,

bus

tum quia tradidit notitiam à notioribus nobis, volens deducere nos, ex infinitate per accidens motus, in per se infinitatem, & in causam per se huius per se infinitatis, tum quia primum mobile, licet sit finitum, habet tamen similitudinem cũ infinito, vt docetur tertio physico. ex consequenti, ex hoc motore primo mobili applicato, vult deducere nos in motorem primum omninò separatum.

Ex quibus omnibus remanet solidũ fundamẽtum, Arist. loqui de mouere tẽpore infinito ex parte mobilis, quod est infinitum per se, & etiam in minori sermonem habere de mouere tempore infinito per se, licet explicauerit ipsum in motu infinito per accidens, quod est infinitum ex parte magnitudinis, supra quam fit motus.

Ex quibus omnibus habemus, & fundamenti intelligentiam, & rationem formalem ad demonstrandam nostrã conclusionem principalẽ, quæ est: Primus motor est virtutis infinitę intensiuę, exploratumque habemus sensum syncerum huius demonstrationis.

Duæ distinctiones, duæquè conditionales declarantur,

Cap. 130.

CAietanus in sua quæstione de infinitate Dei, aliam dat solutionẽ ad prædictam dubitationem. Circa quam tria principaliter facit. Primò duplicem præmittit distinctionem. Secundò tres ponit conditionales. Tertiò respondet obiectioni iam solutę ad mentem D. Tho.

Quoad primum. Prima distinctio est ex parte effectus. Perpetuitas motus, sicut & quælibet alia quantitas, bifariam fieri potest ab aliqua virtute; vno modo per se primò; alio modo non per se primò. in proposito illud dicitur fieri per se primò ab aliqua virtute, in quod illa virtus potest ex propria ratione, & virtus aliqua dicitur posse ex propria ratione, in aliquid, quando illud potest ex perfectione clausa infra latitudinem propriam suæ virtutis. Illud autem dicitur fieri non per se primò ab aliqua virtute, quod quidem ab illa fit virtute, non tamen ex propria perfectione infra latitudinem propriam illius virtutis clausa, verum ex aliqua conditione illi annexa virtuti, quæ quidem conditio est extrà latitudinem illius virtutis formaliter sumptæ. Hancque distinctionem tali exemplo declarat. Virtus calefactiua vt octo B. ignis durantis centum annis, potest in duos effectus, scilicet calefacere vt octo, & centum annis hunc calefactionis motum continuare. Verum primum effectum potest producere ex propria ratione quatenus est virtus tantæ perfectionis calefactiua, scilicet vt octo; quoniam hęc perfectio infra latitudinem virtutis calefactiuæ clauditur. Secundum autem effectum ex propria ratione minime potest, quoniam tunc omnis virtus calefactiua vt octo hunc effectum per cẽtum annos continuare posset, quod manifestè falsum est, vt patet de igne D. durante tãtum per vnum diem, verum hoc potest ex annexa duratione centum annorum quę quidem duratio est extra rationem virtutis calefactiuæ, & cuiuscumquè alterius virtutis motiuæ formaliter sumptæ. ignis enim B. hac de causa potest continuare motum calefactionis centum annis, quia durat centum annis. Perpetuitas itaquè motus potest fieri per se primò ab aliquo agente, quando ex perfectione infra latitudinem potentiæ agentis clausa causatur. Et tunc perpetuitas motus dicitur fieri non per se primò, quando non ex propria ratione potentiæ agentis producitur, sed ex annexa conditione illius agentis fit, quæ quidem conditio, nil aliud est, nisi æterna duratio illius agentis.

Secunda distinctio est ex parte causæ, quæ aperta est ex distin-

ctione

ctione prima, & est talis. Aliqua virtus bifariam motum tempore infinito continuare potest, vno modo per se primo, idest, ex propria ratione, vt in prima distinctione explanatum fuit; alio modo, non per se primò, sed ex annexa eius conditione, vt etiam fuit expositum, & differunt istæ duæ virtutes causatiuæ pperpetuitatis motus, in duobus. Primò in hoc, nam vis per se primo motus æterni causatiua respicit infinitatem durationis, tamquam per se primò effectum, & tamquam per se primò terminum; quoniam, ex propria latitudine, in illam potest, quemadmodum vis calefactiua calefactionem respicit, vt per se primò effectum, & terminum. Vis autem perpetuatiua per se primò durationis infinitatem respicit, non vt per se primò effectũ verum, vt proprij effectus conditionẽ. Secundò differunt in hoc; quoniam vis per se primò, motus ęterni perpetuatiua respicit durationis quantitatem, vt per se proprium effectum; quoniam durationis infinitas, est quædam quantitas durationis in se essentialiter omnem quantitatis durationem claudens. Vis autem motus æterni perpetuatiua, durationis quantitatem respicit non nisi per accidens, scilicet vt tamquam conditionem necessariò proprium effectum cõcomitantem, cum hoc faciat, nõ ex propria ratione; sed ex annexa conditione.

Istis explanatis Caietanus tres ponit conditionales.

Prima conditionalis. Si A. per se primo mouet tempore infinito. A est virtutis infinitæ intensiuè. Et hoc dupliciter ostenditur. Primò sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximũ, ad maximum. Et hęc maxima tenet vniuersaliter, & necessariò in his q̃ p se primò respiciunt, vt docet D. Thom. tertio contra gent. cap. 139. sed ad continuandum aliquanto tempore requiritur aliquãta virtus: ergo ad maius tps cõtinuandum requiritur maior virtus: ergo ad continuandum infinitum tempus requiritur virtus infinita. Secundò ita demonstratur illa conditionales. Propria latitudo cuiuscunque potentiæ actiuę respondet proportionaliter propriæ latitudini sui per se primò effectus, ità vt aliqua virtus requiritur ad effectum aliquantæ perfectionis, & maior virtus ad maioris perfectionis effectum requiritur, & virtus infinita, ad effectum infinitæ perfectionis requiritur, sed duratio est aliquantæ effectus perfectionis: ergo ad faciendam per se primò aliquã durationem, aliqua virtus requiritur, & ad faciendam maiorem durationem maior requiritur virtus, & ad faciendam infinitam durationem, infinita requiritur virtus; quoniam maior duratio maiorem dicit perfectionem, & & infinita duratio infinitam dicit perfectionem.

Secunda conditionalis. Si A. infinito tempore vnum motũ continuum, mouet, A. est mouens immobile. Hæc conditionalis primò ostenditur, deinde sua detur. Declaratur quidem, nam accipitur mouere propriè, vt contra mutationem distinguitur; idcircò illuminatio non est motus, vt nunc motus accipitur; & motor accipitur, pro motore propriè, vt se mouetur contrà instrumẽtum motus, & defectu huius, cœleste corpus secum ignem trahens, si ignis perpetuo conseruaretur secundum totum, & partes, non tamen dicitur cœleste corpus propriè mouere, & esse motorem, sed tantum vt instrumentum intelligentiæ, & primi motoris.

Deindè hæc conditionalis ab Aristo. probatur octauo physicorum tex. octuagesimo quinto, & duodecimo metaph. tex. 43. Mouens motum non semper, eodem modo se habet, vel in se, vel in ordine ad mobile. id autem, à quo semper prouenit idem, necesse est semper eodem modo se habere; tam in se, quã in ordine ad mobile; ergo mouẽs, quod causat vnum motum continuum, necesse est, vt sit immobile.

Ex iis duabus conditionalibus, patet sensus primæ distinctionis, scilicet; Perpetuitas bifariam potest intelligi, fieri

fieri ab aliqua causa, & uirtute; vno modo per se primò ipsam causante; alio modo non per se primò causante ipsam; sed per se primò talem motum causante, & secundariò perpetuitatem, vt illius conditionem causante: & asserimus, perpetuitatem motus à uirtute infinita intensiuè (vt dicit prima conditionalis) per se primò causari: ab immobilitate autem motus perpetuitatem non per se primò causari, sed secundariò: nam virtus motiua; puta intelligentia Saturni per se primò motũ Saturni causat: uerum, quia intelligentia Saturni; est immobilis eodem modo semper se habẽs; idcircò motus perpetuitatem causat, & ideò conditio effectus est à conditione causæ, & effectus est à causa; virtus enim intelligentiæ Saturni, quæ est causa, motum Saturni vt effectum causat, & conditio intelligẽtiæ Saturni, quæ est immobilitas, effectus causat conditionem, quæ est perpetuitas, vt docet secunda conditionales. hinc diuersa Arist. dicta conciliantur, quæ euidentur contraria, & tamen minimè contraria sunt. Nam Arist. 8. Phis. tex. 78. docet infinitatem temporis motus ab infinita uirtute causari, & in tex. 85. asseruit hanc eandem temporis motus infinitatem, ab immobilitate produci. Vtrumque enim assertum diuersimodè sumptum uerissimũ est, ut suprà affirmauimus. Nam ista temporis motus perpetuitas à virtute infinita per se primo, tãquam à propria causa, causatur. Ab immobilitate autem secundariò, tanquam a conditione causæ. Et Aristote. hac de causa, ista diuersa docuit, minimè tamen contraria, quoniam diuersas conclusiones deduxit. Nam ex primo asserto, concludit 8. Phis. tex. ult. & 12. meth. tex. 41. primum motorem, infinitamquè eius virtutem intensiuam: Ex secõdo aut asserto collegit 12 Meth. tex. 43. & 44. intelligentiarum numerum, & ideò in dictis duobus textibus scilicet. 43. & 44. nequaquam numerum motoris primi, & infiniti perquirit. Vt quidam hallucinantur, at numerum motoris, & inalterabilis, ut uidere in fine tex. 41. idcirco ita concludit. *At verò, quia impassibilis, & inalterabilis, omnes enim alii motus, posteriores sunt eo, qui est secũdũ locum, hæc quidem, ergo manifesta, quia hunc modum habent*: Hæc Arist. subinde in tex. 42. immediatè, utrum sit ponẽda una talis substantia, an plures, vnde ita ait. *Vtrum autem unam ponendum est talem substantiam, aut plures, & quot oportet non latere*. Deinde in tex. 43. & 44. determinat hanc quæstionem concludens tot esse tales motores, quot orbes.

Tertia conditionalis proponitur, & explicatur. Cap. 131.

TErtia conditonalis. Si Cœlum mouetur tempore infinito, primum mouens ipsum est uirtutis infinitæ intensiuè. Quæ ita demonstratur. Cœlũ mouetur tempore perpetuo, ergo ab aliqua uirtute per se primo, & directe in sempiternitatem potente; sed vt ex prima conditionali, conspicuum est, virtus per se primo in motum sempiternitatem potens, est infinita uirtus intensiua: ergo inuenitur aliqua uirtus infinita intensiuè, aut ergo ista virtus infinita intensiuè; est in quolibet motore cœlesti, aut solum in primo: at non est in quolibet, ergo tãtũ in primo. Quod autem non sit in quolibet illa uirtus infinita intensiuè, trifariam ostenditur. Primo, si virtus infinita intensiuè, esset in pluribus; ergo alterum istorum esset frustra, cum unum infinitum sufficiat. Secondo: infinitum, & ut infinitũ, vt sic, à nullo dependet; ergo essent plura non dependentia, ac per hoc, plures essent dij, qđ est impossibile. Tertio. Si essent plures uirtutes infinitę intensiuè: ergo per se primo sempiternè mouere, pluribus cõueniret; hoc autem est impossibile vt demonstratur primo post.

Ad hanc probationem aliquis posset re-

respondere, negando primam consequentiam; quoniam motus sempiternitas nó necessario per se primò ab aliqua virtute intendente, & potente in illam causatur, sed causatur secundariò à causante motú, & hoc triplici ratione. Primò Motus duratio, siue sit sempiterna, siue non sempiterna, non est res à motu separabilis, verum simul est & non est, fit & non fit cum motu: ergo sufficienter fit à causante motum.

Secúdò. Causans subiectum, passiones etiam illius subiecti sufficienter causat, sed duratio motus est passio motus, vt docetur quarto phys. tex. 130. & duodecimo meth. text. 29. Tempus autem idem est reipsa cum motu, aut est eius passio: ergo motum causans, etiam eius durationem causat.

Tertiò Causans rem, eius etiam conditionem causat, & ideo conditionibus rerum propria non debetur virtus actiuat, vt ostensum est. Duratio motus est eius conditio: ergo motum producens, etiam motus sempiternitatem producit.

Antequam ad has obiectiones respósum demus, sciendum est, totam rationé fundari supra primam consequentiam; quæ fuit negata; hæc autem consequentia fundatur supra hanc propositionem cathegoricam, scilicet, sempiternitas motus ab aliqua virtute per se primò ipsam intendente, & in ipsam potente causatur, quæ propositio cathegorica, primò demonstranda est, secúdo ab obiectionibus adductis defensanda.

Propositio itaquè ista cathegorica trifariam demonstratur.

Primò. Causa per se causam per accidens præcedit, vt docet Aristo. secundo phys. tex. vigesimosexto, & octauo physicorum text. 39. at causans motus sempiternitatem, quia est immobile, causat eam per accidens, vt ostensum est: ergo præcedi debet ab illa causa, quæ ex propria perfectione suæ virtutis actiuè causat ipsam motus sempiternitatem, sed hæc causa est quæ per se primò causat sempiternitatem, & hæc causa per se primò causans sempiternitatem est virtus infinita intensiuè.

Secundò. Effectus rerum naturalium nobilissimus debet causam habere per se sed motus sempiternitas est talis effectus nobilissimus: ergo sempiternitas causá per se habere debet. Maior propositio constat ex hoc, quia id quod est per se est prius eo, quod est per accidens, eoq; nobilius: at multi rerum naturalium effectus ignobiliores causas per se habent: ergo multò magis nobilissimus effectus causam per se habere debet. Minor auté ostenditur verissima ex eius effectibus; nam motus sempiternitas est causa perpetuitatis omnium generabilium, & corruptibilium. Deinde tota actiuorum, & passiuorum sphera, & singula in ea contenta nituntur totis viribus sempiternitati motus (inter omnia naturalia nobilissimæ, vt docet Auerr. secundo de cœlo Comment. 17.) assimilari.

Tertiò in motu cœlesti, duæ sunt códitiones, sempiternitas, & determinata velocitas, quę ī sui ratione tempus claudunt, vt dicitur quarto physico. tex. 96. at sempiternitas est longè nobilior determinata velocitate: ergo si determinata velocitas causam per se primò habet, multò magis sempiternitas causam per se primò debet habere, sed de facto determinata velocitas, per se primò causá habet, secundum omnes philosophos: ergo multò magis sempiternitas causam per se primò habere debet, ipsam causantem. Quod autem sempiternitas sit determinata velocitate nobilior constat, tum ex duodecimo methap. tex. 41. vbi determinata velocitas finitati virtutis attribuitur: sempiternitas autem attribuitur infinitati virtutis motoris, absq; omni potentia, tum ex secundo de Cęlo tex. decimoseptimo, vbi affirmatur sempiternitatem esse diuinitatis propriam. Firmata illa propositione cathegorica, ad obiecta respondendum est.

Ad primam itaquè obiectionem. Negatur illa propositio, scilicet, sempiternitas sufficienter fit à causante motum, tám-

tāmquàm à causa per se primò causante; qm inseparabilitas duarum rationũ formalium; licet cócludat, vt vnam producens, producat etiam aliam in rerum natura, minimè tamen concludit, vt à quocumq; p se primò vna producitur, etiam alia, ab eadem causa per se primò, producatur: vnde licet esse ens sit inseparabile à tali esse, & tali, & propter hoc habeatur, vt tale ens causans, etiam ens causet, nequaquam tamen sequitur: ergo si est causa primo, & per se talis entis, inquantum tale ens, sit etiam causa per se primò entis, inquantum ens: quapropter Arist. sexto meth. principia, & causas entium, inquantum entia sunt, inquirit. Quocirca licet duratio motus, non sit res à motu separabilis, simulquè fit, & non fit cum motu, simulquè cum motu fiat, & non fiat, consequentia tamen nulla est, quæ affirmat, durationem motus, sempiternitatemquè motus sufficienter fieri per se primò à causante motum; motus enim primi cœli per se primo causatur ab intelligentia applicata mouēte, sempiternitas autem per se primò tantum fit à virtute infinita.

Ad secundum. Negatur minor scilicet sempiternitas est motus passio; licet enim tempus sit motus, vel passio motus, tamen sempiternitas non est passio motus, nequè motus; quoniam licet motus duratio habeat quendam passionis motum, cum inseparabiliter motum sequatur, & sub ratione temporis diffiniatur per ipsum motum, non tamē est passio verè, & propriè; quoniam vera, & propria alicuius passio, sic concomitanter, producitur cum subiecto, quod sufficienter secluso omni agente extrinseco, producitur à producente per se primò subiectum, quod nō euenit in sempiternitate motus, cum sempiternitas motus, non sufficienter à producente motum producatur, vt ostēsum fuit; verum propriè loquendo est conditio inseparabilis ipsius motus, non autem eius passio.

Ad tertium. Negatur prima propositio vniuersaliter, licet vera sit de rerum conditionibus in communi, non est tamen vera de nobilissima rei conditione, qualis est sempiternitas, vt demōstratum fuit.

Deum esse virtutis infinitæ intensiuæ ad mentem Aristotel. demonstratur à Caietano. Respondeturquè ad ipso ab obiectionem factam suprà cap. 129.

Cap. 132.

EX declaratis duo principaliter habemus. Primò demonstrationem veram demonstrantem Deum esse virtutis infinitæ intensiuè, ad aures Aristot. Secundò habemus formale responsum ad obiectionem suprà adductam cap. 129. secundum Caiet. doctrinam

Quo ad primum. Formatur in hunc modum demonstratio ad demonstrandum Deum esse infinitæ virtutis intensiuè ad mentem Arist. Mouens per se primò infinito tempore est virtutis infinitæ intensiuè: at primus motor infinito tempore per se primò mouet: ergo primus motor est virtutis infinitę intēsiuæ. Prima propositio fuit demonstrata tex. 78. secūda aūt. s. primus motor infinito tempore mouet, demonstrata est 8. phys. lib. de cœlo & mūdo, de generatione & corruptione, & 12. met. vbi demōstratum est motum cœli esse perpetuum.

Quo ad secundum. Considerandū est, vt iam fuit explicatum, motus sempiternitatem exigere in per se primò motore virtutem infinitam intensiuam. Hancquè intensiuam virtutem, exigit motus sempiternitas, non ex eo, quia ponitur in motu infinito ex parte mobilis, nequè ex eo quia ponitur in motu infinito ex parte spacij, infinities iterati, verum hoc exigit, in quantum ponitur quidam effectus nobilissimus, & ideo sempiternitati motus accidit, vt saluetur hoc, vel

illo modo. Qua de re ex propria motus sempiternitatis ratione, siuè saluetur in motu infinito ex parte mobilis, siuè ex parte spacij, seu magnitudinis supra quā fit motus, optimè concludi potest, absq; aliqua æquiuocatione, virtus infinita intensiuè primi motoris per se primò in sempiternitatem potentis; idcircò Arist. demōstratio formaliter loquitur de motus sempiternitate, ex propria sempiternitatis ratione, abstrahēdo à motus sempiternitate, tam ex parte mobilis, quam magnitudinis supra quam fit motus sempiternitas. Verum enimverò quoniam Arist. notiam tradebat à notiorib nobis idcircò in tex. 78. colligit virtutem infinitam intensiuè, ex motus sempiternitate; ex parte mobilis, & postmodū in text. vltimo virtutem primi motoris infinitam collegit ex sempiternitate motus ex parte spacij, & hoc fecit, vt ostenderet, nihil obstare rationi sumptæ ex sempiternitate formaliter accepta, in quouis motu saluari ponatur, & ista sint satis quo ad primam demonstrationem.

Deum esse virtutis infinitæ intensiuè alia ratione demonstratur ad mentem Aristo.

Cap. 133.

SEcunda ratio fundatur etiam super vnum aliud fundamentum Arist. & est tale. In magnitudine finita non potest esse virtus infinita intensiuè.

Antequam hoc probemus fundamētum, sciendū est fuisse etiam hoc fundamentum supra cap. 7 adductum, & probatum; verum tamen etiam in præsenti adductum, & probatum fuit, rationib. supra adductis cap. 28.

Hoc fundamentum demonstratur ab Arist. 8. phys. tex. 79. demonstratione ducente ad impossibile, verum tria præsupponit.

Primum suppositum. Maior virtus motiua in minori tempore æqualem facit motum. Et hoc declaratur tali exemplo ab ipso Arist. Maior potentia calefactiua æqualem caliditatem producit in eo in quo agit, in minori tempore, quam minor potentia calefactiua.

Secundum suppositum, quod ex primo colligitur tale est. Virtus infinita in tempore æquali plus facit, quam finita. Et ità ex primo colligitur. Infinita virtus est longè maior quam potentia finita, & necesse est; si sit aliqua finita magnitudo potentiam habens infinitam, vt à tali agente, vnum patiens, vel plura patiantur in eodem tempore maiorem mutationem, quam ab alia potētia finitam habente potentiam patitur, aut ècōuerso, necesse est, vt æqualem mutationem patiens ab eadem potentia infinita in minori tempore patiatur.

Tertium suppositum Omnis motus est in tempore. Et hoc fuit demonstratū in 6. phys. quoniam omne quod mouetur, in tempore mouetur, & ideò non potest esse, vt patiēs immutetur ab agente, etiam infinitæ potentię, in non tempore: quocirca omnis motus est in tempore.

His tribus suppositis nos quartū apponimus, quod est quid nominis virtutis infinitæ intensiuæ. Virtus infinita intensiua est illa, quæ non est ad tantam, vel talem velocitatem determinata; verū quacunquè velocitate data, quantum sit ex se, potest in maiorem. Ex quo apertissimè colligitur, intensionem virtutis penes velocitatem attendi, & illa est maior, vel minor virtus intensiua, quę in maiorem, vel minorem velocitatem pōt.

Ex his suppositis ita Arist. argumentatur. Si in magnitudine finita esset virtus motiua infinita, sequeretur virtutem finitam, & infinitam in tempore æquali mouere; hoc autem est impossibile. Sequela ita colligitur. Sit A. tempus vnius minuti, in quo virtus infinita mouet, & sit B. tempus centum annorum in quo virtus finita, vt centum mouet. Tunc quanto virtus motiua sit maior, tantò tempus, in quo mouet, sit minus: vt per duo prima suposita conspicuum est Subindè virtus motiua, vt centum in tanta

augeatur

augeatur proportione in quãta, tempus vnius minuti, à tempore centum annorum exceditur,& tunc notissimum est, in tempore æquali, virtutem finitam, & infinitam mouere, quod erat impossibile probandum.

Ex isto fundamento suaquè probatione competissimum est sermonem haberi ab Arist.de virtute finita,& infinita intensiuè,cum sermo sit, de virtute, quæ maiorem,vel minorem respicit velocitatem,ista autem virtus, vt ex quarto fundamento conspicuum est,intensiua est.

Ex hoc fundamento Arist.in tex.vltimo phys.demõstrat primum motorem, nõ esse in magnitudine ita vt sit,vel corpus vel virtus in corpore,ità arguendo. Nulla virtus infinita,est in magnitudine ex præsenti fundamẽto:at virtus primi motoris est infinita, vt exploratũ est ex præcedenti tex.f.78. ergo primus motor nõ est in magnitudine.

Ex istis omnibus ità formatur ratio secunda principalis, ad demonstrandum Deum esse virtutis infinitæ intensiuæ ad aures Arist. Medius termnus præsentis demonstrationis est virtus infinita, quæ ponitur ab Aristotele de primo motore prædicari, vt intuenti patens est, sed vt notum est ex fundamento, in prima propositione sermo est, de infinita virtute intensiua: ergo ne illa demonstratio, ex quatuor constet terminis,in minori, debet esse sermo de infinita virtute intensiua,ex consequenti, Deus ad aures Aristot.est infinitæ virtutis intensiuę,cum in minori sumatur, Deum esse virtutis infinitæ.

Ex istis duabus rationibus ex octauo physicorum desumptis competissimus est error maximus Iacobi Neclanti Episcopi Clugensis,asserentis in sua quęstione de infinitate primi motoris, primum motorem in octauo physicorum inuestigatum non esse infinitæ virtutis intensiuæ,sed tantum extensiuæ; licet absolutè, primus motor in duodecimo methaphysicę inuestigatus sit virtutis infinitæ intensiuę.Ista cõclusio quoad primam partem est maximus error, in doctrina Aristote. nam in istis duabus rationibus,vsus est Aristote.tantum via motus: In prima enim assumptus fuit medius terminus mouere tempore infinito. Et in secunda ratione, minor quæ est, virtus primi motoris est infinita probatur ex hoc: quia mouet tempore æterno,isti autem termini physicales sunt,& tum demonstratum fuit, ex istis terminis physicalibus, vt apertè ostensum est:Deum esse infinitæ virtutis intensiuæ.

Sua autem ratio soluitur vnica distinctione, quam etiam soluimus inter legendum prima parte quæstione secunda,articulo tertio, sua enim ratio hæc est. Per Diuum Thomam,primo contra gentes cap. decimotertio, Aristotel. in octauo physicorum per motus viam,non nisi ad animam Cœli deuenit, & eodem libro capi. vigesimoprimo. D. Thom.docet, Aristote. non deuenisse in octauo physicorum ad maiorem abstractionem,quam sit animæ intellectiuæ abstractio. Tunc subsumit minorem. Sed anima cœli non est virtutis infinitæ intensiuę, sed tantum extensiuę; ergo &c. semper à nobis responsum fuit, primum motorem, seu Deum posse bifariam considerari; vno modo sub ratione motoris, & hoc modo istæ rationes deducunt nos ad Deum, seu ad motorem primum,infinitę virtutis intensiuè, vt iam demonstratum est: Alio modo, Deus, vel primus motor potest considerari sub ratione abstracti, & ità verum est,viam motus non inducere nos,nisi ad cœli animam,nec deducere nos ad maiorem abstractionem quam sit animę intellictiuę abstractio,vt optimè D. Thom.dictas rationes physicales ponderando optimè asseruit.

Tertia ratio ad demonstrandum Deum esse virtutis infinitæ intensiuæ ad aures Aristo.

Cap. 134.

ISTis rationibus, adiungimus tertiam demonstrationem ex Arist. principijs collectam, Deum esse virtutis infinitæ intensiuæ demonstrantem. Tria autem sunt principia, ex quibus tertia demonstratio colligitur.

Primum principium. Deus ad aures Arist. est causa effectiua, & creatiua totius vniuersi, omnes creaturas siuè materiales, siuè immateriales, siuè corporeas, siuè incorporeas continentis. hoc principium demonstrandum est in materia de creatione.

Secundum principium est ratio huius termini creatio, quæ est ista. Virtus creatiua est virtus effectus actiua ex nulla potentia passiua supposita. Cæteræ autem virtutes actiuæ suos producunt effectus semper supposita aliqua potentia passiua, & hoc clarum est, in omnibus naturalibus, & artificialibus. Hoc principium pari modo ostendetur esse, ad mentem Arist. in consideratione de creatione.

Tertium principium. Omne quantū, aliud quantum excedens, hunc in modum, vt quantumcunquè quantum ex cessum crescit, nunquam est aliqua proportio inter illud quantum excedens, & quantum excessum, illud quātum excedens est infinitum intensiuè. Hoc principium colligitur, ex 8. physicorum text. septuagesimonono, si excedens est finitum addendo semper quantum ad excessum, quādoquè excessum æquabitur ipsi excedenti, & aliquando excessū excederet illud, quod erat primo excedens: ergo omne quantum excedens aliud, ita quod quantumcunquè excessum quantum crescat, nūquam est inter ipsa proportio aliqua: illud quantum excedens est infinitum intensiuè.

Ex istis fundamentis ita ratio tertia formatur. Omne quantum excedens aliud quantum hunc in modum, vt quantum excessum crescat, nunquam est inter illa aliqua proportio, illud quantum excedens est infinitum intensiuè, ex tertio principio: at virtus creatiua Dei est aliquantæ perfectionis, & tali modo excedit virtutem rerum factiuam ex subiecta materia, vt quantumcunquè augeatur virtus rerum factiua ex aliqua materia, non est aliqua proportio inter virtutem creatiuam, & virtutem ex subiecta materia factiuam: ergo virtus Dei creatiua, est infinita intensiuè. Minor propositio duas habet partes, quarū prima notissima est, quæ est ista. Virtus creatiua est aliquantæ perfectionis, & virtutem ex subiecta materia, rerum factiuam excedit. Secunda autem est, quantumcunque augeatur virtus ex subiecta materia rerum factiua, nunquā est aliqua proportio inter virtutem creatiuam, & virtutem ex subiecta materia factiuam. Hæc autem ità probatur ducēdo ad impossibile. Si augendo virtutem factiuam posset esse aliqua proportio inter virtutem factiuam, ex subiecta materia, & virtutem creatiuam, quæ ex nihilo producit: ergo virtus creatiua ex nihilo, & virtus factiua ex subiecta materia possunt esse æquales; hoc autem est impossibile.

Hanc etiam veritatem tenuisse Commentatorem 12. metha. text. 41. testantur eius verba in prædicto Commento; licet in quibusdam alijs locis oppositum substinuerit, verum antequam adducatur, sciendum est. Postquam Cōmen. conclusit iuxta demonstrationem octauo physi. virtutē infinitā ad mouendum tempore infinito cœleste corpus, requisitā, non esse in magnitudine, quia mouetet in nō tēpore; statim mouet dubitationē, cōiter ab alijs interpretib. 8. phys. motā, cur si ponitur virtus īfinita, ī magnitudine sequitur motus in nō tpe; si aūt ponatur extra magnitudinē, nō sequitur motus in non tpe? quæ nam est diffor mitatis ratio? Et statim dat respōsum hoc: ideo esse, quia Cœli motus

à duobus

à duobus fit motoribus quorum alter finitæ est motionis, estquè cœli anima, & alter est infinitæ, & est potentia omninò à materia separata, & motus cœli, à finito motore, habet, vt sit in tempore, & ab infinito motore, vt sit tempore perpetuo. Vbi à plano litteræ sensu, non diuertendo conspicuum est, Commét. ipsum opinatum fuisse, primum motorem esse infinitæ virtutis intensiuæ, & propter hanc infinitatem, sempiternitatem motus cœli per se primò causare, & in hoc à cæteris differre intelligentijs, quæ cũ sint immobiles virtute propria, per accidens tamen, & non per se motus Cœli perpetuitatem causare possunt. Et ipsum loqui de intensiua infinitate, bifariam suadetur ab Illustrissimo Caietano hac in quęstione. Primò. Q̃ncunquè aliqua distinctio fit per opposita plures habentia significationes, & alterum oppositorum declaratur ab ipso distinguẽte, quoad quid nominis secundum quã sumatur intentionem, reliquum debet secundum oppositam intentionem sumi; quoniam alioquin omnis diuisionum, & syllogismi diuisiui certitudo periret; sed Auerro. diuisit cœli motorem, in motorem finitæ motionis, & infinitæ motionis, & alterum descripsisse membrum, scilicet motorem finitæ motionis per intensiuam finitatem, manifestum est; quoniam ibi expresè subdit dicere finitatem, est dicere motoris proportionem ad rem motam; ergo reliquum membrum, scilicet motor infinitæ motionis, est describendum secũdum intentionem oppositam, scilicet dicere infinitatem, est dicere improportionem. Secundò; Termini quæstionis, & responsionis, secundum demonstratiuã artem, non discrepant sicut nec quæstio à conclusione differt in terminis, sed in modo; at constat motorem infinitum, de quo sermo est in quęstione, esse intensiuè infinitum cum illa sit, de qua in octauo physicorum text. septuagesimo nono assertum est, mouere in non tempore: ergo finitas, & infinitas, de qua in responsione est sermo, est etiam intensiua. Alias rationes adducit ibi Caietanus. & ista sufficiunt de tertio principali.

Diluuntur argumenta quinque contra supradictam veritatem.

Cap. 135.

QVò ad quartum principale in ista quarta, & vltima parte præsentis difficultatis diluenda sunt 18. argumenta, & in præsenti capite soluemus tantum quinquè quorum primum tale est. Dari motorem, qui vigoris infiniti habeat virtutem, scientiæ naturalis principijs repugnat: ergo non datur infinitę virtutis motor. Cõsequentia aperta, antecedens probatur, quia dato hoc motus sequitur in instanti, quod est impossibile, principijsquè naturalis scientię repugnans. Consequentia ista sic colligitur, aut talis motor (si daretur) esset ĩ corpore, aut esset à corpore separatus; si in corpore perspicua est, sequela ex his quæ tradit Aristot. octauo physicorum tex. septuagesimonono si à corpore separatus aut de naturæ necessitate moueret, aut libera voluntate; si primũ intentum habetur, alias virtus finiti vigoris posset pariter in eodem tempore mouere, cum eo quod habet virtutem infinitam, quod dici non potest. & hoc constat eodem vtendo argumento, quo vsus est Aristot. eodem octauo textu septuagesimonono: Si secundum nihilominus infertur, quod agendo liberè facilè, vbi poterit (si voluerit) tota sua virtute, vtendo autem illa motus erit in instanti.

Respondemus, & imus inficias antecedens, & ad probationem, itidem consequentia negatur, & cum probatur asserimus, primũ absolutum motorem, nequaquam in corpore esse. Et cum improbatur, bifariam respondemus.

Primò affirmamus primum motorem, dato (sed non concesso) mouere de

necessitate naturæ affirmamus, non sequi ipsum in instanti mouere; & id trib. de causis, Prima, quia in motu, vti tota sua virtute minimè potest, non quidem ex virtutis defectu, verum ex recipientis incapacitate, nec sanè mirum, qm̃ virtus penitus incorporea alterius, & altioris ordinis est, à corporeis virtutibus, nec datur corpus, quod possit illum effectum adæquatè suscipere. Secunda causa, quia non mouet immediatè, verum mediante cœli anima in qua modificatur, & ob id motus non est in instanti; & hanc causam docet Comm. duodecimo meth. Comm. 41. Tertia causa est, quoniam concesso, illum motorem toto vti vigore, & agere, siuè mouere immediatè, & motione per consequens infinita; non infertur tamen ipsum mouere infinita motione cathegorimatice, sed sincathegorematice, ex quo motus, vt patet, non sequitur in instanti, sed dato quocumquè motu velociori, adhuc velocior potest dari in infinitum. Secũdò respondemus admittendo (quemadmodum de facto est) tum in rei veritate, tum in via Aristot. vt superius demonstratum est (primũ motorem, liberè mouere; attamen non posse in hoc particulari effectu, qui est mouere, tota sua virtute vti, & hoc nõ ex defectu ipsius omnipotentiæ, sed ex defectu ipsius rei infactibilis, eo quoniam talis effectus, suaptè natura, infactibilis est.

Secũdũ deindè. Oĩ potẽtiæ actiuę naturali correspondere debet aliquis effectus naturalis, qui sit manifestatiuus, vel declaratiuus talis potentiæ, alias illa potentia frustra esset, cum quælibet propter suam operationem sit instituta, vt habetur secundo de cœlo tex. Comẽ. 17. sed infrà latitudinem rerum naturaliũ, non apparet talis effectus; ergo &c. Minor probatur, quia si aliquis appareret talis, ille maximè videretur esse perpetuitas motus, sed illa non est huiusmodi. Assumptũ patet, quia ex illa concludi creditur vigor talis potentiæ infinitus. Destructio probatur, quia fatemur solem, & alia sidera in generationibus, & corruptionibus, perpetuitatẽ efficere, & tñ illorum, nullum vigorem infinitum cõcederemus.

Respondetur tripliciter, & primò à Theologis, vt est D. Th. 1. p. q. 25. ar. 2. ad secundum negando maiorem vniuersaliter, quia tantum verificatur de vniuoco agente, non autem de agente æquiuoco qualis est primus motor. Et ratio huius est; quoniam actiuæ potentiæ vniuersalioris, & altioris ordinis qualis est potentia æquiuoca, non oportet, correspondere passum corporeum totius eius virtutis, quoad omnia capax, quia non per se primò particularem respicit effectum. Ad probationem maioris, negatur illam potentiam esse frustraneã, & cũ probatur, quia vnaquæquè potẽtia propter suam operationẽ instituta est, conceditur, verumtamen negatur particularis effectus operationem, esse illam operationem propterquam æquiuoca potentia instituta sit, & præsertim infinita Dei potentia est non propter aliquem effectum ad extrà, immò est omnium finis, sed propter suam operationem ad intrà, quæ est eadem cum eius essentia Secundo respondetur à Theologis negando minorem, & ad probationem. Respondent effectum infiniti vigoris manifestatiuum, esse infinitũ possibile, non ita tamẽ, vt possit aliquod infinitũ, nisi duratio, produci: Verũ sic, vt nullis finibus possibilium producibile ab ipsa creatur, sed quocumquè producto, quantũ sit ex ratione virtutis actiuę potest perfectius produci, & hoc modo virtutis quantitas in effectu manifestatur infinita.

Tertiò respondent Philosophi, minorem negando, & admittitur, perpetuitatem motus primo, & per se productã esse effectum infiniti vigoris potentiæ declaratiuũ, & cum instatur de Sole, & Astris. Respondetur perpetuam generationem, & corruptionem, in rebus inferioribus, ab Astris produci non nisi mediante motu, seu motus perpetuitate, & per hoc, non nisi mediante motoris infiniti vigoris virtute; quocirca non per se

primò

primò, motus perpetuitatē, producunt. Sed dices, sit calor vt decē, & à Deo, manu teneatur perpetuo, haud dubium est illum calorem, calefacere perpetuo, & tamē infinito vigore minimè calefaciet: ergo &c. R. ſpondetur hoc casu posito, si quid sequitur absurditatis, non sequit ex ordine, aut ex rei natura in se, sed ex casus fictione, veluti, si fingeretur homi nem volare concederetur, ipsum alas habere :at ... Certum est, secundū Aristo. ignem fore in sua sphera perpetuum, & maximè certum est, apud philosophos, non esse infiniti caloris, cum non habeat calorem in summo, vt Cōmen. dicit, secundo de generatione Cōment. vigesimaprima, & tamen certum est, aerem sibi contiguum, perpetuò calefieri: ergo motus perpetuus, non infert mouentem infiniti vigoris. Respondetur cum calefactio ignis sit opus naturæ necessariò intelligentię opus implicat, quod itaque ignis perpetuò moueat, calefaciendo, non in ignis virtutem est reducendum præcise, verū in virtutē mouentis intelligentiæ. Et cōfirmetur; qm̄ ignis in propria sphera cęli motu rotatur, quocirca virtute intelligentię cœli mouet, ipse autem computari potest inter instrumēta motoris separati, ac per hoc huius motus perpetuitas in primum motorem omninò separatū per se primò reducenda est, tamquam in causam propriam.

Tertium argumentum. Dicitur in 4. phys. tex. 131. si impossibile est esse mobile, impossibile est etiam esse motiuum, & econuerso: ergo à simili, si impossibile est esse mobile infinitæ velocitatis, impossibile est etiam esse motiuum infinitæ velocitatis: at impossibile est, tale mobile inueniri; ergo ĩpossibile est, & motiuum infinitę virtutis inueniri. Respōdetur mobile ĩfinita velocitate moueri bifariā intelligi potest; altero modo, vt ponit actualiter infinita velocitate moueri; altero modo sic, vt quacūquè velocitate data motū velociorem causans, in aliquo mobili possit illud mobile velocius mouere: primo modo impossibile est ponere mobile. Secundò verò modo possibile est. ità etiam motiuum, potest intelligi bifariam; & impossibile est dari motiuum infinita velocitate mouens primo modo, & hoc ex defectu rei factibilis, potest tamen dari motiuum, infinita mouens velocitate, secundo modo, quod etiam oportet esse infiniti vigoris, & ideò, ad argumētum absolutè minor vniuersaliter negatur.

Quartum. Si Deus esset infinitæ essētiæ sequeretur nullum ens, esse alio perfectius; hoc autem est falsum. Consequētia suadetur, supponendo perfectionem attendi pe(r) accessum ad summum, quod etiam habetur, in proposito ex 10. meth. Com. 7. vbi dicitur, primum motorem esse omnium substantiarum mensuram. Hoc stante, ità consequentia colligitur. Eorum quorum nullum est alio propinquius summo, nullū ēt est alio pfectius, sed si Deus est infinitus nullum aliorum entium, est ipsi Deo propinquus alio, cum à quolibet in infinitum distet: ergo inter entia, aliud à Deo non datur perfectius, & minus perfectum. Respondetur negando consequentiā, & ad probationem concessa suppositione, negatur minor, scilicet, distantium ab aliquo in infinitum, alterum non sit altero illi propinquius, vt manifestè patet, & in quantitate permanente, & in quantitate successiua. In permanente quidem, si ponatur linea infinita, ex parte septentrionis, constat quod tam pars intercepta, sub Tropico Cancri, & circulo Aequinoctiali, quam pars intercepta inter circulum æquinoctialem, & Tropicum Capricorni, in infinitum distat à quantitate lineæ infinitæ versus septemtrionem, & tamen dubium non est, quin pars sub Tropico Cancri, esset illi propinquior, quia minorem viam actura esset, si ad infinitatem attingendam moueretur. In successiua autem etiam patet quia cum tam dies hesterna quam hodierna in infinitum distet ab æterno tempore, constat tamen, quod proprinquior hesterna fuit, quam hodierna, & hodierna, quam crastina, alió

quin mundus quotidiè non esset maioris durationis, nec aliquid esset simpliciter altero antiquius, est autem ratio, quare stat inter aliqua esse distantiam infinitam, tamē vnum altero magis distare, quia distantia illa vtrinquè non est infinita, sed ex vna parte tantum, sicut contingit in proposito, & in adductis instātijs. Tunc enim ex parte infiniti habetur ratio distantiæ infinitæ cæterorum ab illo, & ex parte finitorum habetur ratio maioris, & minoris appropinquationis ad primum, vt patet in exemplis adductis: quia enim tempus præteritum est infinitum, ideò distantia est infinita à parte ante inter singulos dies, & ipsū, quia vero hodierna dies finit, hinc tempus elapsum est, ideo non est infinita distantia à parte post, ex cōsequenti ex ista parte, potest accipi ratio, quare est propinquior æterno elapso, quam dies crastina, & similiter est de distantia, inter Deum & creaturas. Ex parte si quidem Dei, ratio habetur infinitæ distantiæ, ex parte verò creaturarum distantia finitur. Et ideò hinc sequitur, vnam creaturam esse primò enti altera proprinquiorem, vndè cum distinctione dicitur ad minorem: Distantia infinita est in duplici differentia, altera infinita vtrinquè seu simpliciter; altera est infinita ex altera parte tantum, seu secundum quid, & quamuis primo sit vera. Secundo tamē est falsa.

Quintum. impossibile est dari mobile infinitum: ergo impossibile est dari motorem infinitam virtutem habenté. Antecedens clarum est ex septimo physicorum. Consequentia probatur; quoniam correlatiua sunt, quæ posita se ponunt, & perempta se perimunt, vt dicitur in prædicamentis, sed mobile infinitum, & motor infinitus sunt correlatiua: ergo &c.

Respondetur negando consequentiam, & ad probationem, negatur mobile infinitum, & motorem infinitum esse correlatiua; quoniam licet motor, & mobile sint ad inuicem relatiua, ac per hoc, posita se ponunt, & perempta se perimunt, mobile tamē infinitum, & motor infinitus, nequaquā relatiua sunt; propterea quod secundum finitatem, & infinitatem oppositio relatiua minimè ponitur sicut non sequitur Pater est senex: ergo filius, est senex, ita pari modo, non valet datur motor infinitus: ergo datur mobile infinitum.

Diluuntur alia argumenta octo contra præfatam veritatem. Cap. 136.

SExtum argumentum. Quod itā est hic, quod non alibi, est finitum secundum locum: ergo quod est, ita hoc & non aliud est finitum secundum substātiam, sed Deus est hoc, & non aliud, nō enim est lapis, vel lignum: ergo Deus est finitus secundum substantiam, ex consequenti, secundum virtutem.

Rūdet ex hoc ipso, qd̄ Dei esse, est p se subsistens, non receptum in aliquo, prout dicitur infinitum distinguitur ab omnibus alijs, & ab ipso alia remouentur, sicut si esset albedo subsistens, ex hoc ipso, quod non esset in alio differret ab omni albedine, in subiecto existente, quocirca ad argumentum proportio maioris propositionis negatur.

Septimum. Si Dei potentia est infinita, hoc non potest esse, nisi quia est effectuum infinitorum, sed multa alia sunt, quæ habent infinitos effectus in potentia sua, vt intellectus, qui potest intelligere infinita in potentia, & Sol, qui potest infinitos effectus producere: si ergo Dei potentia dicatur infinita, pari ratione, & multæ aliæ potētię erūt infinitę, qd̄ est impossibile.

Respondetur alias omnes potentias posse infinitos effectus tantum, secundum vnam speciem, vel duas producere: Dei autem potentiam infinitos effectus omnibus modis, & secundū numerum, & secundum species, & secū dū genera, & secundū analogias producere

cere posse,& ideo eius potentia sola est simpliciter infinita.

Octauum. Deus tota sua potentia agit: ergo si potẽtia eius infinita est, semper effectus eius, erit infinitus, quod est impossibile.

Respondetur Deum, semper tota sua potentia agere. Verum effectus eius secundum voluntatis imperium, vel rationis ordinem terminatur, & ideo, consequentia, nulla est.

Nonum. Omnis entitas infinita est entitas indeterminata, cum idem sint, carere fine, & carere termino: at diuina virtus, non est entitas indeterminata, cum sit hæc, & ab omnibus alijs reb. distincta; ergo &c.

Resp. ad maiorem, oẽm entitatẽ infinitam esse sm̃ perfectionẽ indeterminatam, vtpotè in se, rerum omnium perfectiones eminenter continentem, est tamen determinata sm̃ prædicationem.

Decimum. Mensura omnium rerum non est infinita; at primæ causæ entitas est omnium mensura; ergo non est infinita. Maior ità suadetur. Mensura, ideò dicitur mensura, quia ipsum mensuratum notificat, vt patet de vulna: infinitum autem ignotum est; ergo &c. Minor autem est Aris. 10. Met. tex. 7. ità scribentis. In genere substãtiæ est vna prima mensura, & illa est Deus.

Respon. bifariam aliquid esse mensuram, sicut etiam bifariam, aliquid in alterius notitiam ducit; vno modo per sui replicationem, vt cõstat in quantitatib. & de his, vera est maior. Veruntamen non est ad nostrum institutum. Alio modo, aliquid est alterius mensura per virtualẽ continentiã, sicut albedo est colorũ mẽsura, quia eminentius coloris naturã continet, quã quicunq; alius color. Itidem Deus est oĩum mensura, quia per fectionẽ cuiuslibet rei, cog noscimus p habitudinẽ ad ipsum, quãto enim plus participat de Dei perfectionib. tãtò est perfectius. Huiuscemodi aũt mensura, põt esse infinita in perfectione, & de facto infinitæ perfectionis est.

Vndecimum. Philosop. concederet, si Deus infiniti esset vigoris, posset velocius Cęlũ mouere, quã nunc moueat, immo sine proportione velocius, alioquin, nõ secundũ proportionẽ potentię motoris, & moti velocitas, & tarditas motus esset, cuius oppositum docent tàm ipse, quàm Comm. 4. Phys. tex. Comm. 71. at Deus sm̃ Philo. non põt mouere Cęlũ improportionabiliter velocius, q̃ nunc moueat, quia affirmãt ipse, & Comm. 2. Cęli tex. Comm. 38. necesse est motũ Cœli esse velocitatis determinatè, sicut & quẽlibet alium motum, quæ determinatio ex determinato potẽtię motoris super mobile excessu procedit.

Respõ. bifariam. primò dicitur maiorẽ esse intelligendam quantum sit ex parte ipsius infiniti vigoris; at tũc negat̃ minor. Ad Philosophũ dr̃, suũ assertũ esse intelligendũ ex effectus impossibilitate, nõ aũt quantũ sit ex parte infiniti vigoris ipsius Dei. Secũdò Respond. dictũ Philo. esse intelligẽdũ nõ sm̃ se, Dei virtutẽ cõsiderãdo, verũ respectu immutabilitatis diuinę uoluntatis, q̃ ad certã velocitatẽ determinata ẽ, absolutè aũt posset in infinitum velocius mouere.

Duodecimum. phil. 12. Met. tex. Cõm. 44. affirmat separatas substãtias excedere se in nobilitate, sm̃ ordinẽ, & magnitudinẽ orbiũ ab ipsis motorũ, ita, vt quę maiorẽ orbẽ mouet nobilior sit; ergo si primus motor infiniti esset vigoris, orbis ab eo motus, alios in infinitũ excederet, quod apparet falsum.

Respon. primo Philo. solũmõ de intelligẽtijs secũdis sermonẽ hr̃e. Dr̃ secũdo istã consequentiã nõ valere, substãtię abstractę sm̃ corporũ motorũ nobilitatẽ, se excedũt; ergo si aliqua est ĩfiniti vigoris, corp⁹ ab eo motũ ẽ infinitũ, licet vim hr̃et, si antecedẽs eẽt vna exclusiua, aut si virtus itelligẽtię mouẽtis ex moti corporis magnitudine pẽderet, quorũ neutrũ, verũ est, intẽdit itaq; docere quãto aliqua intelligentiæ maius Cęlum mouet, tãtò ẽ maioris virtutis, cũ i tpe ęquali mai⁹ spaciũ pertrasire faciat, & ita sufficiẽter cõcludit̃ virtutẽ primi motoris, virtutẽ aliorũ excedere, q͂d ãt sit ĩfinita,

non

non probatur ex illo motu, sed aliunde. Decimumtertium. Deus non potest velocitate maiori in infinitum mouere Cęlum, quam moueat; ergo non est infinitæ virtutis, consequentia: nota; antecedens quadrifariam probatur Primò ait Phyloph. secundo de Cœlo, nullum motum posse esse velociorem motu diurno; quoniam velocissimus est, cum breui spacio mobile maximam pertrãseat distantiam. Secundo nullus motus naturalis est ad impossibile, sed impossibile est dari velocitatẽ, in motu actu infinitam; ergo repugnat alicuius motus velocitatem, in infinitum augeri posse. Tertio. Omnis tendentia in infinitum est ad aliquid imperfectum, & ratione materię, vt dicitur 3. Phy. tex. Comm. 67. sed procedere ad infinitam velocitatem est procedere ad formam, & perfectionem; ergo &cæt. Quartò quanta velocitate Deus Cœlum mouere, potest, tanta ipsum mouere potest: ponatur ergo in esse vt moueat quanta velocitate potest; ergo non poterit velocius mouere, & per consequens, nec in infinitum velocius. Respon. & imus inficias antecedens, & pro responsionibus ad probationes ipsius, nec non pro declaratione aliquarum responsionum, quæ superius ad quædam argumenta allatę sunt animaduertendum est, aliquam velocitatem bifariam posse esse infinitam; vno modo syncathegorematicè; alio modo Cathegorematicè. Infinitum Cathegorematicè est carens fine omninò, sicut si vna linea, nullum heberet terminum, nec aliquem punctum in actu ex nulla parte haberet ipsa esset infinita Cathegomareticè, & ad hũc sensum probatur à Phylos. nullam virtutem posse in instanti Cœlum mouere; quoniam talis velocitas esset infinita Cathegomareticè, & talem velocitatem infinitam Cathegermareticè dari, inuoluit contradictionem, quia tunc motus esset in instanti, quod impossibile est, cum sit contra rationem intrinsecam ipsius motus, propriè dicti: Infinitum synathegorematicè est illud, quod alteri comparatum eò maius est in duplo, & in triplo, & ità successiuè, ità quod nulla est determinata proportio, qua vnum excedat aliud, sed quælibet assignata, adhuc est maius, & de tali infinita velocitate sincathegorematicè est sermo. Et ideò ad primam probationem dicitur, aliquam velocitatem, bifariam posse maximam dici; vno modo simpliciter; alio modo ex parte finis, primo modo, non intelligit Philos. affirmare, motus Celi velocitatem esse maximam; quoniam maior ea, non repugnat motui ex propria ratione motus, cum motus sit in infinitum diuisibilis, nec ratione, mobilis, nec ratione vertutis motiuę, sed est maximas secundo modo, scilicet, in ordine ad generabilium, & corrupitbilium conseruationem: ex tali motu, & accessu, & recessu Solis, actiuorum, & passiuorum sphera melius conseruatur, & ideo, ad hunc motum natura dedit, determinatam velocitatem; quæ quidem natura nõ tantum facit id, quod est necessarium, sed etiam id, quod est melius in rebus. Ad secundum dicitur nil aliud concludere, nisi primam causam, non mouere actu Cœlum, in infinitum Cathegorematicè cum hoc tamen stat, vt possit mouere in infinitum syncathegorematicè. Ad primum enim nõ est in potentia, cum sit infactibile. Ad secundum autem in potentia est, & posset illud absolutè facere. Ad tertium negatur minor, quia cum nihil aliud sit aliquem motum esse altero velociorem nisi eum fieri in minori tempore oportet, vt processus ad velocitatem sit processus ad temporis diuisionem, talis autem processus est ad partes, quæ materię rationem habent. Ad quartum dicitur maiorem esse veram in sensu diuiso, & sensus est, in Deo esse potentiam ad omnem illam velocitatem, quam facere potest, verum tunc non ponitur, in esse nisi ponendo in Deo, hãc ipsam potentiam, vnde nihil sequitur contrà propositum: In sensu autem composito falsa est, & sensus eius est: Ista propositio possi-

possibilis est, tantam velocitatem Deus facit, quantam potest facere, quod impossibile est.

Diluuntur alia argumenta quinquè contra prædictam ueritatem. Cap. 137.

DEcimumquartum argumentum. Nam Arist. cum primę substātiæ perfectionem 12. Met. tex. 42. ostendisset perquirit. Nùm ponenda sit vna dū taxat substantia, an plures. Deindè text. 43. concludit oportere tot esse huiusmodi substantias, quot astrorum lationes sunt propter prædictam causam, quod interpretans D. Thom. ita contestatur: qm̄ scilicet, mouent motu sempiterno, ac per hoc, virtute infinita. Ex qua au ctoritate Aristot. & Diu. Thom. interpretatione bifariam arguitur hunc in modum. Plures sunt substantiæ eiusdem conditionis, cum prima; at non possunt esse plures substantiæ, infinitā potentiam intensiuam habentes, sed tantū secūdum durationem; ergo primus motor, non est infiniti vigoris intensiui. Secundò quoniam sunt tot, quot astrorum lationes, propter assignatam causam, de primo motore secundum Phylosoph. quia scilicet motu sempiterno, mouent, & virtute per consequens infinita; at non sunt plures potentiæ, secuudum uigorem infinitæ, sed solummodo duratione īfinitæ; ergo & assignata causa, de primo motore, vt non sit ī magnitudine, quia scilicet, infinitæ est potētię, de durationis infinitatè, non autem de infinitate vigoris intelligenda est.

Ad huius euidentiam animaduertendū est. Cum Philosophus 12. Met. docuerit ad hoc, vt oporteat esse vnam substantiam omninò separatam, & primam conditiones, quæ primę attribuuntur substantiæ, inquantum prima est, alijs substantijs minimè conuenire possunt, sicut, quæ homini inquantum homo est competunt, non hominibus nequaquā conuenire possunt: Cum itaquè infinitam habere potentiam intensiuam primę conueniat substātiæ, inquantum prima est, idcircò alijs Cœlorum motorib. minimè conuenire possunt, cum primæ substantiæ rationem minimè habeant: aliæ autem conditiones nequaquam illi conuenientes, vt prima est, possunt & alijs secum conformitatem habentibus conuenire. Cum ergo Aristo. autumat: Nùm sit vna talis substantia, an plures non est sensus, an sit vna, quæ omnes habeat conditiones superius de prima demonstratas, an sint plures tales, quia conspicuum est, esse vnam tantum primam; verum cum immediatè cōclusisset, esse primam substantiam sempiternam, & immobilem, à sensibilib. separatam, non in magnitudine existentem, & impassibilem; ac inalterabilem; sciscitatur, an sit vna tantum talis, scilicet, sempiterna immobilis, & impassibilis, & hoc ex D. Thom. verbis constare potest; nam in principio lectionis asserit; postquam Philosoph. ostendit perfectionem substantiæ immaterialis, hic inquirit de vnitate, vel de eius multitudine, intellige substantiæ immaterialis, & isti duo cōtextus scil. 42. & 43. supradicti fuerunt etiam diligenter ponderati à Caieta. in illa sua quæstio. pulcherrima de infinitate Dei, quem postmodum sequutus est Ferr. primo contra gent. c. 20. Per hæc constat responsio ad primum. Affirmamus enim apud Philosophum, plures substantias esse eiusdem conditionis cum prima, quantum ad immaterialitatem, sempiternitatem, & impassibilitatem, non autem quantum ad omnes cōditiones, & præsertim quò ad hanc conditionem, scilicet esse infinitæ virtutis intensiuæ.

Ad secundum asserimus. Dum Philosoph. contestatur plures esse, propter prædictam causam, non refert causam, propter quam prima substantia non est in magnitudine, verùm causam immediate in tex. 43. assertam; quoniam scilicet, motum sempiternum à sempiterna substantia, & secundum se immobilem necesse est esse, & vnum motum opor-

tet ab vno esse motore: qua de re, quod affirmat. D.Thom. mouent virtute infinita, intelligendum est, non secundum infinitam virtutem intensiuam, quæ solummodo primæ conuenit causæ; verũ secundum durationem, quia etiam infinito tempore mouent, virtutem eandem motiuam necesse est esse, infinitæ durationis, siuè esse sempiternam, quod idẽ est, ideò oportet, & ipsas esse duratione infinitas, siuè sempiternas.

Decimumquintum desumitur ex Cõmentatore Commen. 38. 2. de Cęlo vbi ita scribit. Si motor non haberet potẽtiam terminatam, nequè naturam terminatam, & sic intelligerentur ex natura sua motores infiniti, & non intelligerẽtur ex suo esse, res ꝓprię eis. Ex isto Cõmen. arguunt aliqui infinitam virtutẽ esse ens impossibile in rerum ordine inueniri; quoniam si ponatur, sequeretur totum non esse maius sua parte: accepta enim illa virtute infinita, & secundum intellectum, in duas quasi diuisa partes, ex quo est quanta virtualiter, cũ quælibet pars infiniti sit infinita, & vnum infinitum nequaquam alio infinito maius est, consequens est, totam virtutem infinitam esse suarum cuilibet partium ęqualem, quod est impossibile. Et ad hoc deducit ibi Auerr. cum attestatur, si esset motor infinitus, infiniti motores ex sua natura intelligerentur.

Pro huius argumenti solutione, & etiam duorum sequentium aduertendũ est, id quod explanat Caiet in ista sua quæstione ad tertium suum principale, intentionem Auer. esse loqui de proximis orbium motoribus, non autem esse, infinitatem vigoris à Deo excludere, qui nullius orbis anima est; sed concludere, infinitatem vigoris non sequi ad motorem tempore infinito. Hoc supposito respondetur ad argumentum negando consequentiam, & ad probatione negatur, vnum infinitum non esse maius alio infinito, vt supra assertum est, & declaratum.

Decimumsextum, formatum ab alijs, volẽtibus eandem colligere conclusionem, & dicunt, possibile esse, dari ens infinitam habens virtutem, quia infiniti proprium est occupare totũ, & ideo, si infinitum, secundum virtutem daretur, totam occuparet uirtutem, nec aliquam aliam virtutem secum compateretur, & ita ordo periret vniuersi, & quia infinita natura infinitam naturam contineret, infinitas etiam occuparet naturas. Natura autem est motus principium, ideò asseruit Commen. infinitos motores ex sua natura intelligi. Respondetur negando sequelam; quoniam licet tactus quantitatiuus, quia secundum extrema est, expellit id, in qđ fertur, ex consequenti, proprium infiniti corporei est, ita omnia occupare, vt omnia excludat nihil secum compatiens; tactus tamen virtualis, quia interiora penetrat, magis conseruat, & firmat, ex consequenti, proprium est infiniti virtualiter, sic omnia implere, vt ea faciat virtuosa, & cooperantia, & modificantia illam suam illimitationem in effectibus, quocirca ex actiuæ infinitate virtutis, alia actiua minimè excluduntur, verùm magis ponuntur.

Decimumseptimum argumentum est ad mentem Auer. ibidem. Formarũ distinctio est finitatis intensiuæ causa, & hæc est communis materialibus, & immaterialibus formis; ergo prima finitas est omnibus formis communis; ergo forma diuina est finita. Antecedens suadetur, tum quia distinctio formarum mouentium est finitarum proportionum ad mobilia causa, nisi enim esset diuersa natura mouentis Solem à natura mouentis Saturnum, ratio suarum commẽsurationum ad propria mobilia minimè reddi posset: tum quia formarum constitutiua, ex quibus earum oritur distinctio ita se habere, necesse est, vt unũ claudat aliquid positiuum, quod reliquum nequaquam claudit, & econuerso: ab infinito autem nullum excluditur positiuum, ac per hoc, motorũ multitudo, & differentia periret.

Respondetur, bifariam poni potest distinctio

stinctio formalis; vno modo, sicut aliqua participantia aliquid proprijs constitutiuis diuersificantur, sicut homo ab equo differt; alio modo sicut aliquid ab alijs per essentiam distinguitur, quę sunt alia per participationem, sicut homo separatus à singulis distingueretur hominibus. Distinctio primo modo est vtriusquè extremi causa finitatis, & de hac est sermo apud Auer. ibidem: Secundo autem modo, finitatem infert, non nisi vnius extremi, scilicet participantis tantum: Illud autem, quod est per essentiam tale, ex hoc ipso, quia purissimum est, ab alijs absquè aliquo finitate, (vt vocabula fingamus) & contrahente seiungitur. Et licet ab infinito nullum positiuum virtualiter excludatur, multa tamen formaliter excluduntur, quibus ipsum participantia, ab ipso, omnia excellentiori modo præhabēte, semouentur.

Decimumoctauum. Aristote. in secundo Cęli tex. septuagesimoprimo, contestatur. Si adderetur stella orbi Erratico, vltimus orbis esset in labore. Et constat ibidem, & in Commen. quinquagesimo octauo, Auerroem declarare vltimum orbem alios reuoluere, quem omnia desiderant: hunc autem, esse Deum conspicuum est, ac per hoc, nihil aliud est dicere, vltimus orbis esset in labore, quam Deus esset in labore, hoc autem non sequeretur, si Deus in finitæ virtutis intensiuæ esset.

Respond. Ad auctoritatem Aristotel. per motorem vltimi orbis, intelligere motorem proximum qui est anima illius orbis, cum Aristotel. sermonem habeat de proximis motoribus, idest, Cęlorum animabus, vt Auer. in Com. quadragesimoprimo, duodecimi Metaphysic. contestatur, quæ quidem anima vltimi orbis non est deus, qui est omninè separatus ab omni orbe.

Ad Comm. autem dicimus, ipsum negare, motorem dari infiniti vigoris non absolutè, sed ità, vt possit semper velocius mouere, non ex defectu potentiæ primi motoris, verum ex causarum, & effectuum essentiali ordine, & motorum proximorum finitate.

Beatitudinem maximè Deo conuenire, hancquè secundum intellectum ostenditur, secundum mentem Aristotel.

Cap. 138.

Felicitatem etiam Deo competere, ad aures Aristote. hancquè secundum intellectum ei conuenire, ostēdendum est. Primo ostendendo felicitatem maximè Deo competere, deinde demonstrando hanc Felicitatem, ei secundum intellectum conuenire.

Felicitatem itaquè Deo maximè competere ad aures Aristot. tribus ostenditur rationibus, quarum prima hæc est. Docet Aristo. decimo Ethico. felicitatem esse bonum naturæ intellectualis perfectum; at Deus est natura intellectualis, & maximè perfectus, vt in superioribus demonstratum est; ergo Deus est maximè beatus.

Secunda ratio. Propter quod vnumquodquè tale, & illud magis, ex primo poster. sed per Aristot. decimo Ethico. Homo est maximè felix propter Dei contemplationem: ergo & Deus est maximè felix & beatus.

Tertia. Ille est felix & beatus, qui est in statu optimo, vt docet Aristot. decimo Ethico. sed Deus est in statu perfectissimo, vt explicatur duodecimo Metaphysic. textu trigesimonono; ergo Deus est maximè beatus, & felix.

Contra hanc veritatem est tale argumentum. Felicitas secundum Aristote. primo Ethicorum, est virtutis præmium; at Deo minimè prēmium conuenit, cum sit ipse, omnes prēmians; ergo &c.

Re-

Respondetur, primam propositionem esse intelligendam de illius felicitate, qui felicitatem acquirit, non autem de illo, qui naturaliter beatitudinem habet, & huiusmodi est Deus.

Deindè ostenditur tribus rationibus, Deo felicitatem conuenire secundum intellectum ad mentem Aristo.

Secunda ratio. Explicatur decimo Ethic. felicitatem esse perfectissimam, & nobilissimam operationem; at perfectissima operatio est intellectus speculatio; ergo &c.

Secunda ratio. Ostenditur primo Ethicorum, felicitatem esse delectabilissimam operationem; at intellectus operatio est delectabilissima; ergo &cæt.

Tertia ratio. De vltimi finis ratione, qui appellatur felicitas est, vt propter seipsum appetatur, vt docetur 10. Eth. at contemplatio ipsius Dei propter seipsum appetitur; ergo &c.

Verum contra hanc determinationem est tale dubium. Felicitas finis habet rationem; at finis est voluntatis obiectum, sicut & bonum; ergo beatitudo Deo attribuitur secundum voluntatem, & non secundum intellectum. Respondetur negando sequelam, & negationis ratio est; quoniam licet beatitudo, sit voluntatis obiectum, obiectum tamen actui potentię præintelligitur, quæ præintellectio est per intellectionem; qua de re, secundum nostrum intelligendi modum, prius est diuina beatitudo, quàm actus voluntatis in ea requiescentis, sicut obiectum est prius operatione, in ipsum obiectum tendente.

DE CREATIONE secundum Principia naturalis Philosophię, nec non secundum Aristotelem.

Nùm creatio rerum á Deo sit necessario ponenda secundum naturalis Philosophiæ principia.

Termini difficultatis circà creationem aperiuntur, & præsertim quid sit creatio.

Cap. 139.

LIcet scopus noster sit pertractare de creatione rerum ad mentem Aristo. veruntamen vt Aristo. doctrina in hac materia euadat euidentior, primò pertractanda est difficultas secundum naturalis Philosophię principia, quæ consideratio erit via facilis ad deueniendum ad nostrum institututum primarium; quod est, postmodum eandem hanc materiæ difficultatem pertractare ad aures Arist.

Circa itàque hanc difficultatem, quatuor agenda sunt. Primò termini difficultatis sunt aperiend. Secundò adducendæ sunt opiniones falsæ, suis cum fundamentis, reprobationibus, & argumentorum solutionibus. Tertiò nostra sententia explicanda est, & demonstranda medijs efficacissimis. Quartò obiectionibus contrarijs occurrendum est.

Quò ad primum. Omnes termini in quæstione positi sunt explicandi, qui quatuor sunt. Primus terminus est creatio.

(creatio). Secundus est necessariò. Tertius est secundũ principia. Quartus naturalis philosophiæ.

Primus itaq; terminus declarandus est(creatio). Pro cuius explicatione quinque notanda sunt,& contemplanda. Primò itaq; sciendum est,hoc nomen(creatio)designare totius entis emanationem à prima,& vniuersalissima causa,vt docet D.Thom. 1.p.q.45.art.1. Et ratio est; quoniam oportet, in rebus,non solum emanationem, seu productionem particularis effectus ab agente particulari inspicere, verum etiam totius entis emanationem ab agente primo,& vniuersalissimo. Et hoc asserimus,nedum secundũ veritatem, verum etiam,secundum Arist.doctrinam. Etenim de particulari productione, tota plena est sua Philosphia. De productione autem vniuersali,tractabimus ad eius mentem in controuersia,de omnium rerum, siuè generabilium,siuè ingenerabilium, & incorruptibilium vniuersalitate effectiua à primo principio. Et ad eius mẽtem,affirmatiuam partem determinabimus. Verumtamen vnum est aduertẽdum circà impositionem nominis emanationis, seu vniuersalis productionis respectu totius entis maximum discrimen esse inter Theologos,& Arist. eò quoniam totius emanatio entis à Theologis appellatur creatio;ab Arist.autem depẽdentia totiusentis nuncupatur. Vnde duxit 12. Met.tex.38.sermonẽ habens de productione totius entis. *Ex tali ergo principio dependet Cœlũ & natura.* Eccè Arist.emanationem totius entis,à primo principio, appellantem dependentiam Cœli,& naturæ totum ens cõplectentem.

Secundò. Considerandum est creationem ità à Theologis,& Philophis rectè considerantibus diffiniri. Creatio est alicuius ex nihilo productio. Quæ diffinitio optimè à D.Thom.loco citato explanatur tali digressione. Quod producitur secundum particularem emanationem,illi productioni minimè præsupponitur; veluti cum generatur homo non prius fuit homo,nec homo supræsupponitur generationi,verum homo fit ex non homine, & album cum fit,non præsupponitur,sed album fit ex non albo;ergo cum totum ens producitur, nullum ens præsupponitur, sed nullum ens,& nihil sunt omnino idem ergo cum totum ens producitur, nihil præsupponitur; at creatio est totius entis productio; ergo creatio est alicuius ex nihilo productio.

Tertio. Consideranda est,tota creationis diffinitio,& singulæ eius particulæ explicandæ sunt. Prima particula est(productio)Nam hoc nomen (productio) dependentiam à causa efficiente præsefert:Nõ enim est alicuius productio, nisi ab aliquo effectiuè proueniat: Quapropter creatio ad causæ effectiuæ genus spectat. Secunda particula est (alicuius) quæ creationis terminum ad quem adnotat, substantiam subsistentẽ significat, idcircò subsistens substantia per se est id quod propriè creatur, & rationem adducit D.Tho.1.p.q.45. ar. 4 Nam fieri ad esse ordinatur;qua de re,illa propriè fiunt,quæ esse habent,sola autem per se subsistentia propriè habere esse dicuntur. Formæ enim,& accidentia nõ appellantur entia tanq̃ ipsa sint,verum quia eis aliquid est,veluti albedo ea ratione appellatur ens: quoniam per ipsam subiectum est album: Quapropter secundum Aristo.4. Met.tex 2.accidens magis propriè nuncupatur entis,quam ens. Sic itaq; fieri ad subsistens propriè terminatur; at creatio est quoddã fieri; ergo creari ad per se subsistens terminatur, siuè illud sit compositum,siuè sit simplex: alia verò dicuntur concreati.

Tertia particula est.(Ex) quæ in communi sumitur duobus modis;vno modo,vt ordinem importat, & tunc denotat post,vt quando dicimus,ex mane fit meridies, idest, post mane; alio modo, materialis causæ habitudinem importare potest,& tunc dependentiam, seu productionem à materia importat, vt quando asserimus,ex ære fit statua. Ex

quibus

quibus euidenter colligitur differentia ista, vt quando præpositio (Ex) ordinem importat, terminus, cui apponitur stat pro termino à quo motus, & transmutationis: quando verò denotat causæ materialis habitudinem; terminus, cui apponitur stat pro materia, seu subiecto. Ad nostrum institutum descendentes affirmamus in creationis diffinitione (Ex) sumi vtroquè modo, licet vniuersalius, & magis propriè primo modo sumatur, & hoc docet D. Thom. 1. par. quæst. 45. articu. primo, ad tertium, & q. 46. art. 2. ad secundum. Et de potentia, q. 3. ar. primo, ad septimum. Ex D. Tho. talis distinctio de præpositione (Ex) colligitur, (Ex) duobus modis sumi potest; altero, & primo, vt negationem per ly nihil importatam includit, & tunc (Ex) præcedit nihil; & ita præpositio (Ex) remanet affirmatiua, ex consequenti, ordinem ad nihil importat, vt sensus sit, ex nihilo, idest, post nihil. Ecce, quod (Ex) remanet affirmatum, & hoc modo, creationem cũ nouitate essendi explicamus. Nam dum aliquid de nouo creatur fit post nihil. Altero modo potest sumi hæc præpositio (Ex) vt includitur à negatione per nihil importata, & ità ordo importatus per (Ex) negatur, & negatio, ipsum præcedit ordinem, & tunc sensus est. Creatio est ex nihilo productio, idest, creatio est productio, non de aliquo. Ecce negationem, non antecedere de aliquo, & hoc modo (ex) materialis causę habitudinem importat, quæ tamen negatur, & ideò causæ materialis habitudinẽ importat, non quidem modo affirmatiuo, sed negatiuo, & hoc pacto exponẽda ẽ creatio, sine nouitate essendi, ad mentẽ Arist. vt docuit D. Th. 1. p. q. 46. arti. 2. ad secũdũ. Quarta particula est (nihil) quę præsefert negationẽ, & significat idẽ, qđ non est, uel nullũ ens, & vtroq; modo sumitur, creatio enim est productio, vel ex nõ ente, vel ex nullo ente supposito; & nihil, vtroq; modo acceptum, & ipsi (ex) appositum, aliqñ terminum à quo denotat, & proprijssimè, & est qñ (ex) ordinẽ denotat, tũc. n. nihil, uel nõ ens, seu nullũ ens est terminus à quo in creatione, aliqñ aũt cãm denotat marerialẽ modo tñ negatiuo, vt qñ asserimus, creationẽ esse de nihilo, idest, non de aliquo. Quarto. Cõsiderandũ est, creationẽ bifariã sumi posse, vno mõ actiuè; alio mõ passiuè, ita docet D. Tho. 1. p. q. 45. ar. 3. ad primũ. Creatio actiuè sumpta diuina est actio, reipsa eadẽ, diuina cũ essentia, respectũ ad creaturas exprimẽs, qui respectus, seu relatio non est realis, verũ rõnis tm̃, & hãc cõclusionẽ ponit Capręolus, 2. sent. d. 1. q. 2. concl. 1. ipsam quę contrà Aureolũ defendit. Creatio ãt passiuè accepta est realis relatio in creatura, quę quidẽ realis relatio, nil aliud ĩ creatura ponit, nisi tm̃ relationẽ, vt optimè demõstrat D. Th. loco adducto tali rõne. Discrimẽ est, inter particulares pductiones, & vniuersalẽ productionẽ, qa particularis productio ex aliquo fit præsupposito, vniuersalis ãt productio, ex nullo fit præsupposito: tũc subsumit talẽ propositionẽ; at oẽ qđ per motũ, vel pmutationẽ, fit ex aliquo fit præsupposito: Creatio itaq; cũ sit productio absq; aliquo præsupposito erit actio sine motu, & mutatione; at sublato motu ab actione, & passione, nil remanet, nisi relatio; ergo creatio in creatura, non est nisi quædam relatio realis creaturæ ad creatorem, qui creator est creaturæ principiũ. Ex qua rõne colligitur, creationẽ non esse propriè actionẽ, qm̃ actio propriè dicta motũ significat, vnde & Aris. asserebat, actionem & passionem esse vnum motum. Duo tñ circa hæc asserta sunt aduertenda. Primum est. Creaturã esse creationis terminum, quatenus creatio significatur, vt mutatio. Et hoc pacto, creatura est naturaliter ipsa creatione posterior, sicut termin' est ipsa via ad terminũ posterior: verũ creatio, quatenus, vt relatio realis consideratur, cuius subiectum est creatura in esse; ipsa creatura ẽ creatione prior, sicut oẽ subiectũ est suo accidẽte prius. Secundũ est. Licet tandiu creatura est in natura rerũ, in ipsa sit ẽt creationis relatio, nõ tñ appellat crea-

creaturā semper creari, cum passiua creatio creaturæ ad creatorem importet habitudinem, cum quadam essendi nouitate, seu cū quadam essendi inceptione.

Quintum præcipuè considerandum est: Creationem actiuam esse propriam solius Dei actionem, adeò nec etiam instrumentaliter actio creationis possit creaturæ cōicari. Et hāc veritatē abūdè demonstrat D. Th. q̄one citata nūc. a. 5.

Et primo, creationis actionē esse Dei solius ita demōstrat. Esse est proprius vniuersalissimç causç effectus, seu (& in idem redit) esse est per se primo Dei, seu causæ vniuersalissimç effectus; at producere esse per se primo ad creationis rōnē spectat, ergo creatio est solius Dei actio. Secunda propositio ex creationis ratione euidens est. Prima autē probatur ex Arist. 2. Phisic. & 5. Meta. Vniuersaliores effectus, in causas vniuersaliores reducendi sunt; sed esse est vniuersalissimus, ergo iste effectus in causā vniuersalissimā, quæ est Deus reducendus est. De his videndus est Caiet. in illius articuli expositione. Quod verò actus creandi, alicui creaturæ nequaquam communicari possit, ita demonstratur. Causa secunda instrumentalis, principalis agentis actionem, minimè participat, nisi quatenus per aliquid sibi proprium, ad productionem effectus pricipalis agentis, dispositiuè operatur: at nullum agens secundum ad effectū Dei creantis, aliquid dispositiuè operari potest: ergo nullum agens secūdum potest ad creationem instrumentaliter concurrere. Maior demonstratur; quoniam si instrumentalis causa secundum sibi proprium ad principalis agentis effectum nihil ageret, frustra ad agendū assumeretur. Minor ita suadetur. Creatio vt assertum est, non ex aliquo est p̄supposito: ergo disponibile esse excludit; ergo nullum agens secūdum ad creationem aliquid dispositiuè operari pōt.

Secundus terminus aperiēdus est, necessario. Pro cuius claritate duo attendēda sunt. Primò attendendum est, necessariò deriuari à necessitate, sicut nigrū à nigredine, & vt docet D. Th. 5. Met. tex. 6 Causam seu causalitatem minimè sonat, verum potius causæ modum, dispositionem, & conditionem, idcircò ratio necessarij eiusquè cognitio ex causæ ratione desumenda est. Cum itaquè, causæ ratio, in esse effectus illatiuo consistat adeò, vt illatio ipsa sit in ea formale, hinc optimè sequitur, necessitatē esse istius modi illationis modum, dispositionem, & conditionem, & quoniā ista effectus illatio disponitur, & modificatur necessitate, contingentia, & libertate, ea propter cusatum quædam sunt necessariç quçdam contingentes, & quçdam liberè. A necessitate, itaquè, quæ est causæ modus dispositio, & condictio sumit necessariò. Secundū animaduertēdū est, cum causæ sint quatuor Formalis, materialis, efficiens, & finalis, vt docetur, 2. Phys & 5. Met. quatuor etiam erunt necessitates ab ipsis causis desumptæ, quæ tamē necessitates non eodem modo nominantur, & sunt; verū necessitates à causa formali, & materiali desumptæ appellantur necessitates simpliciter, & absolutè modoquè perfectissimo necessitates sunt, vt potè à causis intrinsecis desumptæ; aliç verò duæ nuncupantur necessitates secūdū quid. Hac in controuersia sermonē habemus de necessitate absolutè, & simpliciter.

Tertius teminus exponēdus est, principia, & duo sunt consideranda. Primū cum principiū, & causa, quasi sint idē, eundemquè ambitū habeant, vt docet Arist. 5. Met. tex. 1. causæ quæ sint in duplici discriminè, nam quædam sunt intrinsecè quædā verò extrinsecè, itā etiā principiorū, quædam erunt intrinseca, quædam verò extrinseca: Intrinseca se habebunt per modum formæ, & materiæ rem constituēntia. Extrinseca autem per modum efficientis, & finis se habebunt. Secundo considerandum est ista principia, tam intrinseca, quàm extrinseca in naturali inueniuntur Philosophia; principiā intrinseca sunt termini propositiones, & conclusiones Extrinseca sunt, intellectus agentis lumen, quod

agentis rationem habet, & scire, qđ est finis. At in difficultate intendimus de intrisecis principijs, sicut esse de necessitate absoluta ex intrinsecis principijs desumpta intendimus.

Quartus terminus explicandus est, naturalis Philosophia; Iste terminus, Philosophia naturalis, bifariam accipi potest; altero modo obiectiuè; quoniam suum obiectum est naturale, & hac de causa, appellatur naturalis Philosophia, & hoc modo sumpta sumitur pro Physica, quę est de ente mobili, & hoc modo, in pręsenti non sumitur naturalis Philosophia, quandoquidem non assumpsimus prouinciam demonstrandi rerum creationem ex Physicis terminis, verùm potius Metaphysicis, in rebus tamē sensibilibus fundamentum, & originem habentibus; altero modo effectiuè, quia secundum se, nata est à naturali scientiarum principio causare, quod est lumen intellectus agentis. Et hoc pacto Physicum distinguitur contrà super naturale, hocquè modo, Philosophia naturalis amplectitur Physicam, Mathematicam, Methaficā, & breuiter omnes scientias, quæ agentis intelllectus lumine acquiruntur, & hoc pacto, naturalis Philosophia, solummodo distinguitur contrà sacram Theologiam, quæ fidei lumine adiscitur, & ità ī proposito sumitur.

Sensus itàquè controuersiæ est. Num rerum creatio à Deo sit necessario, necessitate absolutè, & simpliciter ponenda, secundum principia, nō extrinseca, Phylosophiæ naturalis, idest, naturaliter acquisitæ amplectendo, non solum Physicam, verùm & Metaphysicam, & qualemcunquè aliam scientiam intellectus agentis lumine acquisitam. Hæc de primo.

Aureoli opinio de creatione cum suis fundamentis recitatur, nec non ipsa expugnatur.

Cap. 140.

QVò ad secundum principale. In hac secūda parte, quatuor opiniones falsæ, sunt adducendę, explicandæ, & expugnandæ, quarum prima hęc est. Aliquid fieri ex nihilo absolutè cōtradictionē implicat; idcircò creatio nō mō nō est necessaria, verū etiā ē impossibilis. Hanc opinionem sequitur Aureolus 4 sen. in principio, vt etiam colligit Caprėol. secundo sententiarum distinct. prima quæstio 2. conclus. 4. Circà q̃ opinionē tria agenda sunt. Primò recitāda sunt Aureoli argumēta pro ista opinione. Secūdò destruēda est. Tertiò Aureoli argumentis satisfaciendum est.

Quò ad primū Quatuor argumentis arguit Aureolus, quorum primum est. De formali ratione omnis productionis est, quod sit inter duos terminos: Nam productio terminatur ad aliquid, quia virtute productionis, aliquid accipit esse, quod prius non habebat, vt sit impossibile, concipere productionem, quin cōcipiatur terminus productus per eā, nec nō cōcipiatͬ oppositū termini, prius existentis virtute productionis exclusum; si ergo ex nihilo aliquid fit, terminus à quo ipsius productionis, est ipsum nihil, qđ excluditur, terminus verò ad quē est aliquid quod ponitur: nūc arguo sic. Si aliquid fit ex nihilo tanquam ex termino, aut fit ex nihilo per se, aut per accidens, sed non per se, quia ex opposito nō fit aliqđ per se, nisi illud mutaretur in ipsum, verbi gratia, cęcitas in visum, tenebra in lucē, nihileitas in entitatē, quod est impossibile, tùm quia n fieret aliqđ per se ex nihilo, tā nō fieret ex eo, tāquā ex termino, sed potius, tanq̃ ex subiecto; ergo oportet, vt fiat ex nihil per accidēs, esse autem per accidēs reducitur ad per se; ergo necesse ē, vt ipsū nihil cū aliquo adiūgatur, ex quo fiat aliqđ per se, si hęc sit vera p accidēs. Ex nihilo nihil fit, quarè illi nihilo aliqđ coniūgitur, & per cōsequēs, nō est nihil illud qđ ponebatur nihil. Cōtradictionē itaq; implicat dicere, qđ aliquid fit ex nihilo. Dicetur fortè, qđ ly, ex non notat habitudinē materię, nec termini, sed prioris, & posterioris, vt sit sensus, ex nihilo, i. post nihil ali-

aliqd fit, sicut ex nocte fit dies, i. post noctē, sed hoc dictū confirmat propositū; nā vbicūq; talis ordo ponitur succedēte posteriore tollitur prius, sed succedēte aliquo, non pōt eius oppositū, qd̄ est nihil tolli, nisi ponatur aliquod cōe substratū; ergo qd̄ prius erat nihil, nō erat nihil, & per cōsequēs, erit cōtradictio, qd̄ ex nihilo fiat aliquid. Probatur minor. Cū enim post nihil succedit esse lapidis, quęro à quo tollitur nihileitas, aut ab ipso lapide, & patet qd̄ non, qm̄ realitas lapidis nūquā fuit sub nihilo, sicut albedo nūquā fuit nigredo, sic lapis nunq̄ fuit nō lapis, nec ens, nūquā fuit nō ens; nūq̄ enim vnum contrariorū, vel contradictoriorū fuit aliud: non tollitur nihileitas absolutè, qn̄ producitur lapis, quia qd quid fuit nihil remanet nihil, nisi cōuertatur in ens, qd̄ est oīnò impossibile; aut ergo lapis, non fuit nihil, aut necesse est dicere, qd̄ nihileitas trāsierit, & sit versa in lapidē, aut necesse est qd̄ aliquid substratū cōcipiatur, qd̄ prius fuerit nihil, & postmodū ens, & sic habemus propositū. Et cōfirmatur, quia nunq̄ de die fit nox, nisi succederēt sibi in aliquo cōi.

Secundo arguitur cōtrà prædictā responsionē, si ly (ex) denotat habitudinē posterioris ad prius, non notat aliū ordinē, nisi illū, quē habet terminus ad quē, ad terminū à quo, sicut ex vno opposito fit aliud, sed virtute talis factionis primū excluditur, & ponitur secūdū, sed nisi ponatur aliqd substratum nihilo, cū dicitur lapis fit post nihil, non apparet, quod positio lapidis sit exclusio nihili; nam quæro à quo excluditur nihil, vel ab ipso lapide, & hoc non, ut determinatū est, vel à seipso, & hoc est impossibile; qm̄ quidquid nūquā fuit nihil modo est nihil, nec à toto vniuerso est exclusum, quia vniuersitas nihilorū (vt ita dicam) non est mutata, nisi nihil verteretur in ens, oportet ergo dare substratū à quo fuit exclusio nihil, adueniente eo, quod fit. Tertio arguitur contrà prædictā responsionē. Vbicūq; est ordo termini à quo ad terminū ad quē, oportet qd̄ aliquid trāseat à termino à quo ad terminum ad quem, postquam fuit sub termino à quo, sed hoc nō pōt poni, quod aliquid fuerit sub nihilo, cum dr̄ ex nihilo idest, post nihil nisi ponatur aliquid substratum: non enim ens prius fuit sub nihilo; ergo oportet, quod talis ordo includat substratum, & habetur propositum, & remanet ratio principalis. Et hanc innuit Philosophus primo Phys. text. 66. & Commen. 8. Physico. Comment. 8.

Secunda ratio principalis est hęc. Ista propositio est impossibilis, & implicans contradictionem, nihil fit aliquid; ergo & illa, ex nihilo aliquid fit. Antecedēs patet, quia prima non habet nisi duos sensus, primus est, quod nihil vertatur in aliquid primo, & per se; secundus quod per accidēs nihil fiat aliqd in rōne substrati, & tunc non esset nihil, & in vtroque sensu, implicat contradictionē. Cōsequentia probatur inductiuè, quia reperitur instantia, quando idem significet, ex hoc fit hoc, & hoc fit hoc, sicut cū dicitur, ex aere fit aqua conceditur, quod aer fit aqua, & ex puero fit vir, conceditur, quod puer fit vir. Similiter cū dicitur ex die fit nox, conceditur, quod dies fit nox. Dicetur forte, qd̄ tunc ęquipollent, qn̄ ly (ex) notat habitudinē causę materialis, quod nō est in proposito. Nam sensus est. Ex nihilo fit aliquid, idest de non aliquo. Sed hæc respon. nō valet; quoniam qualemcūque ordinem importet ly, ex nihilo, siuè termini, siuè subiecti, siuè termini oppositi succedentis, & posterius ad prius, semper ęquipollent, hoc fit hoc, & ex hoc fit hoc. Et confirmatur, quia vbi est habitudo materiæ, siuè subiecti tantum, conceditur hoc fit hoc, non tñ hoc, fit ex hoc, vt homo fit sanus, non tamen ex homine fit sanus, vt patet 7. Meth. tex. 25. semper ergo ista propositio, ex hoc fit hoc, infert istam hoc fit hoc, non tamen èconuerso, & ratio est, quia ly (ex) importat habitudinem termini à quo ad terminum ad quem, siuè prioris ad posterius, hoc autem necessariò exigit habitudinem subiecti recipientis ad vtrumque ter-

minorum,quæ importatur, quando dicitur,hoc fit hoc;terminus namquè non habet per se habitudinem ad terminũ, sed per accidens ratione subiecti,quia nulla connexio esset termini à quo ad terminum ad quem,nisi poneretur subiectũ,fortè aliter diceretur,quia ly (ex) non importat habitudinem termini à quo ad terminum ad quem,nec prioris sed est sensus,ex nihilo idest,non de aliquo. Sed hæc respon. non valet,quia secundum hoc,filius in diuinis esset creatus,cum sit productus non de aliquo,& ex nihilo,vt ly,ex nihilo,negat omnem habitudinem ad non esse procedens;ergo cum productio filij,in diuinis,non sit creatio, relinquitur, quod ly (ex) in proposito dicat aliquam habitudinem. Item Anselmus Monolo; dicit capit. 6. quod sine omni repugnantia,quæ facta sunt à creatrice substantia dici possunt omninò esse facta ex nihilo, eo modo, quo dici consueuit diuitem fieri ex paupere, quia prius erat pauper, modò est diues, & antea non erat. Et si recepisset, quis sanitatem, ex ægritudine, idest, qui prius habebat ægritudinem nunc habet sanitatem quam prius, non habebat, hoc modo potest intelligi creatrix essentia, cuncta de nihilo creasse,idest,quæ prius nihil erant per ipsam facta sunt aliquid. Hæc Anselmus Ex quibus patet,quod aliqua habitudo derelinquitur inter ens,& nihil,cum dicitur creatio est ex nihilo, & sic ratio constat.

Tertia ratio principalis est hæc.Anihilatio est impossibilis; ergo creatio est impossibilis,consequentia patet;sed antecedẽs probatur;quia anihilatio,nihil aliud est, quam entis ad nihilum reductio; sed manifestum est,quod hoc implicat contradictionẽ:in nullo enim genere oppositionis, vnum oppositorum reducitur in aliud,vt patet. inducendo in omnibus; sed talis reductio fit ratione subiecti,quod nunc est,sub vno opposito,nunc sub alio, cum igitur nihil opponatur contradictoriè enti, impossibile est quod ens reducatur in nihil,nisi ratione substrati,& sic non erit nihil.

Quarta ratio. Impossibile est intelligere aliquid factum,quin intelligatur id, quod habet esse post non esse: factum enim est id,quod est postquam non fuit, vnde de ratione termini producti, vt productus est,hoc est,quod intelligatur virtute productionis habere aliquod esse,quod ante non habebat; Tunc arguitur sic: Cum lapis dicitur temporaliter creatus, aut virtute productionis factũ est,quod prius erat,aut factũ est, quod omninò nihil erat,aut factum est,quod aliquo modo erat, & aliquo modo nõ erat,non primum,quia factum facere, nihil est facere;non secundum potest dari;quia si totum illud quod factum est, prius nihil erat sequitur,quod nihil sit versum in ens,quia quod prius nihil erat factum est ens,sed illud est omninò impossibile;ergo dari tertium necesse est,scilicet quod aliquo modo erat,& aliquo modo non erat Erat quidem in potentia non erat in actu,& sic non est creatio,seu productio ex nihilo. Fortè diceretur,quod licet lapis nullo modo esset,aut nihil esset, priusquam crearetur, non tamen sequitur,quod nihil sit conuersum in lapidem,sed quod lapis, qui prius erat nihil,modo est. Sed ista respõs. non valet. Cum enim dicitur lapis, qui prius erat nihil,aut intelligitur purum nihil,aut aliquid esse substratum nihileitati.Si purum nihil, habeo propositum, quia tunc purum nihil ponitur in esse: si verò detur, quod sit aliquid substratum nihileitati, habeo propositum, quia productio ista non est ex nõ ente simpliciter.

Quò ad secundũ. Hæc opinio ita improbatur,& expugnatur. Quod contradictionem inuoluit est impossibile secũdum quamuis potentiam,sed per hanc opinionem aliquid ex nihilo fieri contradictionem inuoluit;ergo aliquid fieri ex nihilo, non potest esse secundum quamcunquè potentiam etiam diuinã Cõclusio falsa apud Theo.& fidelẽ;ergo altera præmissarum, non maior cum sit ex terminis conspicua, eò quoniam quod

quod implicat verè, pprię, simpliciter, & absolutè impossibile est per quam uis potentiam, siuè naturalem, siuè super naturalen fieri; ergo minor est falsa, quæ est ista opinio: quæ tamen ex dicendis adhuc excludetur, & expugna bitur. Hæc de secundo.

Quadrifariam respondetur ad primum argumentum cap. praecedentis. Cap. 141.

QVò ad tertium in hac opinione. Ad primum argumentum capitis præcedentis, quadrupliciter respondetur.

Primò, negatur, omnem productionem duos reales terminos habere; itidem negatur, productionē oēm propriè terminum à quo virtute productionis, exclusum habere. Nam istæ duæ propositiones, verę sunt, quando productio est cum motu, aut mutatione, & hæc doctrina est D. Thom. de potentia Dei, q. 3. ar. primo ad vndecimum. Et art. 2. ad secundum. Et ideò ad argumentu formam respondetur. Cum asseritur; si aliquid fit ex nihilo, tanquam ex termino, aut fit per se, aut per accidens. Respondetur cum aliquid creatur, fit ex nihilo, non tamen tanquam ex termino, & ideò non potest dici fieri ex nihilo, vel per se, vel per accidens.

Secundò respondetur. Ista propositio (ex nihilo) potest materiam de notare negatiuè, verum modo negatur, vt dicamus sic creationem fieri (ex) vel de nihilo, idest, non de aliquo seu ex non aliquo Et dicitur illa propositio, creatio fit ex nihilo per se, tanquam ex materia negata tātum, non au tem supposita.

Tertiò respondetur. quandam D. Th. notādo doctrinam: Quodli. 8. ar. primo, q̄ est hęc, q̄libet natura puta lapidis natura, trib. modis cōsiderari pōt, primo modo, vt in diuino intellectu esse hēt, secū do modo absolutè, & secundum se, secundum prædicata, quę sibi per se conueniunt; tertio modo, vt est in ipsis rebus reipsa productis. Et id, quod est prius, est posterioris rō, & idcircò, quia diuinus ītellectus intelligit lapidis naturam esse (exēpli gratia) naturā corporeā grauē &c. Ideo natura lapidis absolutè sumpta, & cōsiderata est corporea, grauis &c. Et quia lapidis natura est sm̄ se corporea, & grauis; ideò etiam iste lapis in natura rerū, est corpore⁹, grauis &c. Hinc etiam fit, vt prius possit esse sinè posteriori, & non èconuerso.

Secundò animaduertendū est, ex doctrina nūc adducta, quālibet cuiuscūq; naturę quidditatem ab ęterno in intellectu diuino esse habuisse per suā ideā. Et cuilibet naturæ sm̄ suā absolutā cōsiderationē conueniebant omnia prædicata per se, siuè in primo, siuè in secūdo modo dicendi, per se.

Tertio notādū est. Hoc lapidis esse, vel cuiuscunq; naturę dr̄ essentiæ, & nō reipsa distinguit' ab ipsa essētia diuina, sed solúmodo sm̄ rationē. Essentia etenim diuina, quatenus est exēplar, & idea lapidis appellatur lapidis essentia, nō quidē in esse reali; verū in esse repræsentatiuo. Et hac de cā, oēs istę propositiones sunt veræ, videlicet essentia creaturę est ęterna, & oīa prædicata, quæ per se alicui naturę cōueniūt, semper ei cōueniūt, siuè sit, siuè nō sit illa natura in rerū natura. Et propositiones per se sunt sempiternę veritatis; hęc enim oīa vera sunt; qm̄ reipsa sunt idē cū diuina essentia, & rōne distinguūtur ab ipsa, vt ipsa, vt assertum est.

Quartò Notādū est ex affirmatis. Esse essentię cuiuscūq; rei createę antequā sit illa res producta propriè loquēdo, nō est ens reale, vt autumat D. Th. de potentia q. 3. art. 5. ad secundū; vbi habet ista aurea verba. Ex hoc ipso, quod' quidditati esse attribuitur, nō solū esse, sed ipsa quidditas creata dr̄, quia antequā esse habeat, nihil est nisi fortè in intellectu creātis, vbi non est creatura, sed creatrix essentia. Hæc Diu. Thom. Essentia; ergo & quidditas cuiuscunquè rei creatæ antequam producta sit erit

ens rationis, in diuina essentia habens fundamentum. Et hanc doctrinam sequitur Caprçolus 2.sen.d.2.q.2.ad quartum quasi in fine contrà quartam conclusionem primo loco, & Caiet. de ente & essentia cap. 4.

Quintò notandum est. Hoc esse essentiæ, antequam essentia ad extrà producta sit, non habet aliquod esse reale ad extrà, sed est tm̃ in diuino intellectu, per ideam diuinam habens esse, & in essendo est creatrix, nulloquè modo creatura, quia in essẽdo est diuina essẽtia, quæ est creatrix; verum in esse represẽtato, creatura est, sicut etiam domus in artificis mẽte, in essendo est spiritualis, & simplex; at in esse representato est materialis, & composita; quoniam domus in artificis mente est species intelligibilis, quæ est spiritualis, & simplex, quę tñ intelligibilis species domũ materiale, & compositam representat; idcircò, esse essentiæ creaturæ, antequam creatura producta sit, nil aliud est, quam esse per ideam representatum, & à Deo intellectum, quod quidem esse representatum, & intellectum dicit respectum, seu relationem rationis, cum in Deo tantũ relationes diuinas personas distinguentes, sint reales, vt docet D.Tho.1.p q.15. ar.2.ad quartum de his vide Caieta. in responsione ad secundum & tertium illius quæstionis.

Ex quibus omnibus colligitur, creaturæ essentiam, antequam sit producta, nõ esse ens reale, nequè nihil absolutè, sed medio modo se habens; quoniam est respectus rationis, seu ens rationis, in diuino intellectu habens fundamentum, & ista est Magni Alberti doctrina in tractatu de postpredicamentis c.9. vt recitat Caprçolus loco citato. Et hoc esse essentiæ, appellatur etiam terminorum habitudo, quæ non est realis sed rationis.

Sextò notandum est. Habitudo terminorũ, seu esse essentiæ, vel esse à Deo intellectum, vel respectus idealis, seu rõnis (nam ista idem prorsus significant) antequam res producta sit, nuncupatur ens nominaliter, significatq; essentiam non adhuc productam; & suum contrarium, & oppositum est nihil, vt nihil significat terminorum non repugnantiã, sicut ens, hoc modo sumptum, dicit habitudinem, seu non repugnantiam terminorum, licet etiam ens nominaliter significet essentiam productam, vt ab esse existentiæ distinguitur. Essentia autẽ producta, existens in natura rerum explicatur per ens participialiter; nam ens participialiter primariò existentiam dicit, secundariò autem essentiam productam; ens autem nominaliter dicit primariò essentiam, siuè productam, siuè producendam, secundariò autem dicit existentiam, vt in tractatu de transcẽdentibus (Deo dante) explanabitur, & suum oppositum est nihil, quod dicit non ens reale, seu nullum ens reale.

Istis supositis respondetur. Cum asserit, creationẽ esse ex nihilo productionem, si nihilo sumatur, vt opponitur enti reali, non autem, vt opponitur enti à Deo intellecto, quod est ens rationis, tunc danda est prima & secunda, respõsio. At si (ex nihilo) sumatur, vt opponitur enti, quod terminorum habitudinem dicit, seu non repugnantiam terminorum, tũc falsum est creationem ex nihilo fieri; quoniam quod creatur, non ipsi repugnat creari, ex consequenti, terminorum habitudinem habebat, quæ habitudo est ens rõnis, ex consequenti, factum fuit ex ente rationis, seu ex terminorum habitudinę, in diuino intellectu, esse intellectum habente, licet factũ sit, ex nihilo, vt enti reali opponitur, & creatum sit per se ex ista terminorum habitudine, quæ tamen habitudo non est in rerum natura in aliquo subiecto, sed est in potentia creantis actiua, existens secundum esse intellectum in diuina mente.

Quarta responsio ad mentem Diui Thom. de potentia, q.3.artic. primo ad 16. & prima parte quæstio.45. artic. primo ad tertium. Hæc præpositio, (ex) ordinem denotat, vt sensus sit. Creatio fit ex nihilo idest, post nihil, quia de re, negatur

gatur, omnē productionem inter duos reales fieri terminos; nam terminus à quo non est realis, etiam in productione physica. Ad primam improbationē huius responsionis dicitur primò, primam propositionem assumptam, scilicet, vbicunque talis ordo ponitur succedente posteriori tollitur prius, veram esse, quando ordo realis est, qui ordo realis extrema requirit realia, qualia non sunt ens, & non ens; vnde quod nō est minimè tolli potest: tale autem est nihil, & ideo non tollitur, qua de re, hoc argumentum vnum supponit falsum, scilicet (nihil) esse aliquid reale. Secūdò dicitur ad minorem: scilicet, sed succedēte aliquo, non pōt eius oppositum, qđ est nihil, tolli, nisi ponatur aliquid commune substratum veram esse, quādo illa duo sunt realia entia, non autem, quando vnum tantum est ens, & reliquum non ens, & ideò, in illius minoris probatione, vnum falsum supponitur, scilicet; nihileitas tollitur, & quæritā quo tollat, quod tamē falsum est. Tertiò dicitur, in creatione non reperiri aliquod commune substratum reale enti, & nihilo, sed tantum vnum commune, imaginarium subiectum, scilicet, tempus imaginarium, pro vt imaginamur, vnum tempus commune, dum tempus non erat, & postquam mundus in esse productus est, & ita in creatione vniuersi; supponitur temporis imaginarij continuitas. Et secundum hoc, creatio secūdum veritatem, propriè loquendo, mutationis rationem minimè habet, sed secundum quandam imaginationem similitudinariè, vt docet D. Tho. de Potētia, q. 3. ar. 2. Et ita possumus concedere nihileitatem tolli, modo quodam imaginariò, & tollitur à lapide in diuina mente existente secundum esse à Deo intellectum. Nam antequam esset lapis productus, non erat ens reale, verum habebat tātum esse intellectum, seu obiectiuum in diuino intellectu, productus autem esse reale habet. Et licet realiter, lapis, nunquam sub nihilo fuerit, sicut albedo nunquam fuit nigredo, lapis tamē secundum esse obiectiuum fuit sub nihilo, vt nihil realitati opponitur.

Quartò respon. Tollitur nihileitas absolutè, quando lapis producitur, & negatur hoc, scilicet, quidquid fuit nihil remanet nihil, nisi nihil in ens conuertatur, nam quod erat nihil, potest fieri ens, non per conuersionē nihili in ens, verum quia post nihil, factum est ens.

Ad confirmationē, negatur illud assertum, scilicet dum ex die fit nox, nox succedit in aliquo communi substrato, sed tantum post diem fit nox.

Ad secundam improbationem, primò dicitur, falsum esse primum assumptū, scilicet, si (ex) notat habitudinem posterius ad prius, non notat alium ordinē, nisi illum, quem habet terminus ad quem ad terminum a quo; quoniam in creatione (vt sępe fuit inculcatum) est tātum vnus terminus realis videlicet ad quem. Secundo rńdetur, falsam esse secundam propositionem, scilicet, virtute talis productionis, excluditur primū oppositum, & ponitur secundum; quoniam cum primū oppositum sit nihil, non potest excludi. Tertio asseritur, non esse ibi propriè transitum, nec propriè terminum à quo, nec propriè successionem, verum solummodo, ad esse successionem imaginariam, idcircò, astruendum est, non requiri ibi aliquod subiectum, in quo sibi succedant nihileitas, & entitas, quapropter dato, sed non concesso, entitatem nihileitati succedere, & nihileitatem ab entitate excludi, non est necessarium aliquod subiectum substratum; quoniam tūc subiectum substratum requiritur, quando est verus transitus, veraquè successio, & realis terminatio, non autem quando ista tantum imaginaria sunt.

Ad tertiam improbationem, simili modo respondetur. Nam ibi non est propriè terminus à quo realis, nec propriè transitus, & ideò subiectum substratum, minimè necessarium est.

Diluuntur alia tria Aureoli argumenta.

Cap. 142.

AD secundum principale, asserimus vtramquè responsionem ibi datam esse rationi consonam; nam primò autumamus istas duas propositiones mutuò se inferre, hoc fit hoc, & ex hoc fit hoc, & econuerso, quando preæpositio (ex) causę materialis habitudinem denotat, modo affirmatiuo, vt patet dum asseritur, ex aere fieri aquam, & similiter, dum dicimus aerem fieri aquam, rectè pronunciatur, quia præpositio (ex) materialis causæ denotat habitudinem, modo autem (ex nihilo) non ità accipitur. Secundò respondetur, illas propositiones mutuo se consequi quando (ex) habitudinem termini à quò modo positiuo ad terminum ad quem denotat. In nostro autem proposito (ex) talem habitudinem termini à quo, modo positiuo nequaquam denotat, sed negatiuo, vt sensus sit (ex) vel de nihilo fit creatio idest, non de aliquo. Ad primam primæ responsionis improbationem dicimus, falsum esse, illud assumptum videlicet, qualitercunquè sumatur (ex) & qualécunquè dicat ordinem, semper illę duæ propositiones æquipollét, hoc fit hoc, & ex hoc fit hoc. Etenim nullus affirmaret Martium fieri Aprilem, licet astrueret ex Martio fieri Aprilem; ideo valet semper, hoc fit hoc, ergo ex hoc fit hoc, sed non econtrà; quoniam ad hoc, vt aliquid dicatur, ex hoc, sufficit illud sequi post ipsum; vnde quia Aprilis sequitur Martium, rectè dicitur, ex Martio, fit Aprilis. Ad hoc autem, vt aliquid dicatur fieri illud necesse est, vt sit materia, vel subiectum, vel secundum se totum, vt cum dicitur lignum fit scamnum, vel secundum partem, vt cum dicitur aer fit aqua, hoc est, aeris materia fit materia aquæ; idcircò istæ mutuò se consequūtur, & æquipollent, aer fit aqua, qui aer, est materia aquæ, & ex aere, fit aqua, quia post aerem sequitur aqua, non autem æquipollent istæ ex nocte fit dies, qua vera est, & ista, nox fit dies, quæ e t falsa. Et si opinans instaret dicens, istam esse veram, Martius est Aprilis, nox fit dies. Respondeas, & tu, hanc esse veram, nihil fit aliquid, idest post nihil, attamen ex ista, nihil inferri potest, cum sit impropriíssima. Ad secundam huius primæ responsionis improbationem, seu ad confirmationem, asserimus, quotiescunquè terminus à quo dicit materiā, vel subiectum, semper vera est illa propositio, hoc fit hoc, & aer fit aqua, vel homo fit sanus; licet non valeat ex homine fit sanus, tamen falsum est, id quod postmodum assumit, scilicet. Hæc pręposítio (ex) semper subiectū, vel materiam denotat. Iidem falsum est (ex) semper habitudinem termini mutationis ad alium terminum, importare. Ad primam secundæ responsionis improbationem, negatur sequela; quoniam Dei filius est de aliquo genitus, scilicet, de Padris substantia, vt docent Theologi in tractatu de Trinitate, & præcipuè D. Thom. prima parte quæstione quadragesimaprima articulo tertio, & ideo, falsissimum est, filium Dei de nihilo, seu non de aliquo fuisse productum. Ad secundam improbationem ex D. Anselmo, affirmamus D. Anselmum esse in nostrum fauorem, quoniam ipse fatetur idem esse, hominem prius esse pauperem, postea fieri diuitem, sic etiam creaturam prius nihil existere, fieri autem postea existentem. Et cum dicitur Anselmum aliquam ponere habitudinem, inter ens, & nihil, cum affirmat creationem, esse ex nihilo, iàm responsum est, illam præpositionem (ex) negationem includere posse, & ipsam posse à negatione includi. Si includit negationem, dicit habitudinem, & ordiné ex nihilo, idest post nihil. Si autem, à negatione

gatione includitur, tunc etiam, nihileitatis ordo significatur, ita pronunciando, creatio est de nihilo, idest, non de aliquo. Tertiò possumus ad principalem rationem respondere negando, hanc esse impossibilem, videlicet nihil fit aliquid, immò astruendo eam esse veram, non illis duobus sensibus ab arguente allatis, sed in isto tertio sensu, videlicet essentia (verbi gratia) lapidis, seu non repugnatia terminorum, vel habitudo terminorum in mente diuina secundum esse obiectiuum, vel ab ipso Deo intellectum, quæ prius erat nihil in genere existentium, postea facta est aliquid in genere existentium realium.

Ad tertiam principalem rationem, bifariam respondetur. Primò antecedens negatur; & ad probationem; negatur inuoluere contradictionem, ens reduci in nihilum. Ad probationem, dicitur, vnum oppositorum, in aliud reduci, tribus modis intelligi posse; vno modo, vt suum oppositum fiat, & ita falsissimum est, vnum oppositum in aliud reduci: Secundò, vt subiectum vnius oppositi fit alterius oppositi subiectū, & hoc modo, verum est, in oppositis materiam, vel subiectum, habentibus; hocquę ens, non potest in nihilum reduci: Tertiò, vnum oppositorum in aliud reducitur, quia fit post aliud, & hoc modo esset verum; si ens anihilaretur, nam post ens, esset nihil.

Secundò respondetur, negando itidem antecedens, & ad eius probationem, negatur inuoluere contradictionem, ens in nihilum reduci, & cum dicitur, in nullo genere oppositionis, vnum oppositum reducitur in aliud. Respondetur, ens sumptum ab esse existentiæ opponitur nihilo existentiæ contradictoriè, & ens acceptum ab esse essentiæ opponitur nihilo essentię. Dicimus itaquè; quod ens essentię per anihilationem reducitur in nihil existentiæ, quod quidem nihil non opponitur enti existentię: & ista reductio est per accidens, idest ratione essentiæ, ens existentię reducitur in nihilum existentię per anihilationem. Modo autem, non est inconueniens, quod vnum oppositum reducatur in aliud per accidens ratione substrati subiecti. sic itaque ens existens reducitur in nihilum existentis, ratione essentiæ, quæ semper remanet in esse intelligibili, & in potentia; non quidem passiua, sed actiua Dei creantis.

Ad quartam rationem principalem, dicitur primò illud primum assumptum esse falsum, sermonem habendo de creatione sine nouitate essendi, verum autem est, de creatione cum nouitate essendi. Tunc ad argumentum damus secundum; & tertium membrum, & cum arguitur contra secundum, quoniam tunc nihil, esset conuersum in ens, negatur sequela, quia dum lapis creatur de nihilo, nihil, non conuertitur in ens; at ens fit post nihil. Et cum arguitur contrà tertium membrum, asserunt lapidem, antequam creatus esset aliquo modo fuisse, non quidem in potentia passiua, quia sic sequeretur suum argumentum. s. creationem non esse de nihilo, verum fuisse in potentia actiua creantis, nec non in potentia logica. Secundò respondemus iuxtà doctrinam ad primam rationem traditam, cum affirmatur, creationem esse productionem ex nihilo; hęc dictio (ex nihilo) excludit omne ens reale, quod in natura rerum existit; non autem rei essentiam, vt dicit terminorum habitudinem, excludit, quę essentia in mente diuina habet esse intelligibile, seu esse obiectiuum, quod quidem esse obiectiuum, nihil aliud est, quam rei intellectę idea ex eo modo, quo rerum ideę, in diuina mente, ab ęterno ponuntur, eo etiam modo, essentię rerum, sunt in mente diuina ponendę, secundum esse intelligibile, vel intellectiuum, seu secundum esse obiectiuum, & illud esse

essentię

essentiæ obiectiuum, est à Deo non efficienter, cum non sit reale creatum, verum est à Deo, vt est exemplaris causa dans per suum intelligere esse quidditatiuum, & intelligibile, cuilibet essentiæ creatæ existenti, & ista sufficiant de prima opinione.

Tres aliæ opiniones recitantur, explicanturq; cum suis fundamentis, necnon expugnantur.

Cap. 143.

Secunda opinio est. Licet ex nihilo aliquid fieri, absolutè non implicet contradictionem, tamē principijs naturalis scientiæ repugnat, quapropter etiā repugnat philosophiæ naturalis principijs, dari creationem. Et ista opinio Cōmētatori attribuitur, & rōnes suæ sunt, quas in sequenti quæstione adducemus.

Hanc opinionem destruemus in tertia huius quæstionis parte, quando probabimus ex principijs naturali lumine notis, creationem dari.

Tertia opinio est. Licet aliquid ex nihilo fieri, non implicet cōtradictionem absolutè, nec naturalis philosophiç principiis simpliciter repugnet; attamen ex ipsis principijs philosophicis creatio non potest necessario elici, & haberi. Hanc opinionem sequitur Gregorius Ariminensis secundo sent. d. prima, q. 2. ar. secundo. Et primarium istius opinionis fundamentum est, quia rationes quæ pro contraria parte adducuntur, vt puta, creationem haberi necessariò ex naturalis philosophiæ principiis solubiles existimantur. Secundū fundm̄ huius opinionis est hoc. Ea necessario ex philosophiæ naturalis principijs colliguntur, ad quæ per sensibilia necessariò peruenimus: at ex sensibilibus increationis cognitionem, nequaquam deuenire possumus: ergo &c. Maior videtur manifesta, minor, autem ità probatur. Oīa, quæ ex sensibilibus fiunt ex aliquo fiūt subiecto; ergo &c.

Verum hæc opinio est etiam falsa; nam primum huius opinionis fundamentum ex eo patens est falsum esse, quandoquidem fiunt multæ demonstrationes à Theologis, & præcipuè à D. T. secundo contra gent. cap. 16. & 1. p. q. 44. & 45. & pluribus alijs in locis, quæ nullo modo solubiles sunt. Ad secundū argumentum negatur secunda propositio absolutè, quia licet ex sensibilibus immediatè, in cognitionem creationis, non deducamur, deducimur tamen mediante motu meth. lumine naturæ explorato, & ideo sicut sufficienter, ex sensibilibus tamquam ex fundamentis, ad in sensibilia immaterialia, & spiritualia deducimur, ita ex sensibilib. deducimur ad productionem ex nihilo, medio tamen motu methaph. et ita falsa est absolutè secunda propositio: & ad eius probationem, negatur sequela, sicut enim non valet sequela ista, omnia sensibilia sunt cum materia: ergo ex illis ad intelligibilia, quç sunt sine materia peruenire non possumus: ita nec ista; quæcunq; in sensibilib. fiunt, ex subiecto fiunt, nulloquè modo fiunt ex nihilo: ergo ex sensibilibus ad creationem minimè duci possumus.

Quarta opinio est. Secundum philosophiæ naturalis principia, aliquid ex nihilo fieri; vno modo est necessarium; alio modo est impossibile. Est quidem necessarium aliquid fieri ex nihilo existentiæ; est autem impossibile aliquid fieri ex nihilo essentiæ. Et ista opinio est Henrici de Gandauo quodlib. primo q. quinta, & quodlib. 3. q. quarta, & quodlib. 6. q. 3. & hanc sequitur Capreolus secundo sent. d. prima q. secunda in responsionibus ad argumenta contrà quartam conclusionem primo loco & præsertim in responsione ad quartum.

Circà hanc opinionem, tria agenda sunt, primo declaranda; secundo exponendum est in quo sensu possit esse vera, & in quo non. Tertiò defendenda est

est Capræolus à Iacobi Naclanti calumnijs.

Quoad primum. Pro declaratione huius opinionis, tria consideranda sunt. Primò considerandum est, vt assertum fuit in libro de transcendentibus, ens bifariam sumi posse, vno modo pro ente participialiter, quod primariò significat existentiam secundariò autem essentiam; alio modo pro ente nominaliter, quod primariò essentiam significat; secundariò autem existentiā; cum his tamen, absolute dicitur a methaphisicis, ens participialiter significare existentiā; ens autem nominaliter essentiam. Et si cut ens sumitur duobus modis, scilicet pro essentia, & pro existentia, ita etiam non ens, seu nihil, istis duobus modis accipi potest; vno modo, vt opponitur enti, exprimenti essentiam; alio modo vt opponitur enti existentiam præseferenti.

Secundò considerandum est secundum Capręolum, loco citato per totam responsionem ad quartum argumētum cōtra quartam cōclusionem. Esse essentiæ est ab æterno in diuina mente, & ē increatum, & increabile, & est exemplariter à Deo in suo intellectu p suā ideā, ex consequenti, sicut idea in Deo diuina est essentia, vt fuit declaratum in tertia responsione ad primum argumentū pro prima opinione, ita esse essentiæ diuina essentia est.

Tertiò considerandum est ex his colligi opinionis claritatem, sensus itaquè huius opinionis est, dum dicimus creationem fieri ex nihilo intelligimus, de nihilo, esse existentiæ opposito, & hoc modo necessarium est; quoniam creatū est totum ens existens primo, licet per naturalem concomitantiam, etiam essētia creetur, quatenus est in existētia. Sumendo autē nihil: vt eē essentię opponitur, quæ essentia est rei ratio, impossibile est creationem ex nihilo fieri; quoniam nihil hoc modo sumptum, dicit terminorum repugnantiam, modo autem impossibile est, fieri seu creari id, quod repugnantiam dicit.

Quo ad secundum. Animaduertendum est: si opinio ista poneret, esse essentię esse ens obiectiuum in diuino intellectu, non identificatum diuinæ essētiæ, tunc erroneum poneret, & affirmaret ista opinio, vt potè, docens aliquod ens à Deo exemplariter ab æterno dependens, ab ipso Deo distinctum, & tamen ab ipso Deo, effectiuè minimè productum, tùm etiam, quia poneret aliquod ens, à Deo seiunctum, esse æternum, tum quia poneret aliqđ ens à Deo semotum, nequaquam ab ipso creatum, quæ duo hęreticalia sunt; si autem ista opinio doceat, & ponat, hoc esse essentię, esse obiectiuè in diuino intellectu, idem reipsa cum diuina essentia, solummodo ab ea secundum rationem distinctum, tunc veritatem dicit, & est conformis doctrinæ D. Tho. & Alberti Magni: Et quoniam in rei veritate ita ponit Capręolus, vt conspicuū est, tùm ex assertis, tùm ex asserendis, idcircò sustinendus est.

Quò ad tertium. Iacobus supradictus in sua quæstione de creatione rerum, in quarta opinione ipsi Capręolo imponit, quod posuerit illud esse essentię, qđ est esse obiectiuum in diuina mente, esse realiter distinctum à Deo: at reuera Capręolus nunquam hoc somniauit, vt intueri licet in illa responsione ad quartum contrà quartam conclusionem. Nā ibi Capręolus appellat illud esse essentię esse ideale, modo autem idea est eadem re cum diuina essentia. Secundò asserit, illud esse essentiæ dicere actum essēdi in diuino intellectu, modo autem per totam Capręoli doctrinam; omne quod est in diuino intellectu, esse idem realiter, quod Deus conspicuum est.

Verum posset esse tale argumentum contra hanc solutionem. Capræolus per totam illam responsionem, & pręsertim quasi in fine, asserit hoc esse essentiæ, à Deo in genere causę exemplaris, dependere, si ergo à Deo depēdet videtur, esse à Deo re ipsa distinctum; quoniam quod est Deus realiter, nullā, habet, in quocumquè genere ab aliquo

dependentium. Respondetur illam à Deo dependentia, non esse realem, quia, sic esse essentię, realiter, à Deo distingueretur, vt argumentum probat, verum solummodo esse formalem, secundum rationem, quemadmodum dicimus Dei immaterialitatem, esse eius sempiternitatis, & immortalitatis causã, non quidem realiter, cum in Deo nulla sit causa realis respectu sui ipsius, vel respectu in ipso existentium, verùm formaliter, secundum rationem, ità intelligere Dei est causa exemplaris esse essentiæ creaturarum, non causando formaliter, reipsa esse essentiæ creaturarum, sed tantum formaliter, secundum rationem, seu virtualiter, hoc est, si esse essentiæ creaturarum habens esse obiectiuũ in mente Dei, esset res ab essentia Dei distincta, causaretur re ipsa in genere causæ exemplaris ab ipsa Dei essentia, & ab ipsa dependeret, in genere exéplaris causæ, non tamen de facto re ipsa dependet. Perperam itaquè Capræolus Thomista doctissimus à supradicto Do. Iacobo de errore reprehenditur, & ista sufficiant de opinionibus.

Creationem rerum dari secundum naturalis philosophiæ principia demonstratur.

Cap. 144.

QVò ad tertium principale. Nostra sententia vnica conclusione, quæ talis est, explicatur. Secundum naturalis philosophiæ principia, necessarium est, aliquid ex nihilo fieri; idcircò, necessũ est, secundum eadem principia naturalia creationem admittere.

Quæ conclusio licet posset pluribus rationibus demonstrari, & demonstretur à D. Th. 1 p. q. 44. articulo primo, & secundo, & q. 45. ar. 2. & secundo contra gent. cap. 15. & 16. & de potentia, q. 3. ar. primo, quam pluribus demõstrationibus: duximus tamē (gratia breuitatis) solummodo sex rationibus demonstrãdam esse, quæ proculdubio conuincunt.

Prima ratio fundatur super duobus fundamentis, quorum primum tale est. In quacunquè coordinatione, quod est tale per essentiam, est causa effetrix omnium, quæ per participationem talia sunt. Quod fundamentum, est etiam verum in doctrina Aristo. secundo meth. tex. 4. vbi docet id, quod est maximè ens & maximè verum, omnis entis, omnisquè veri causam esse.

Circa hoc fundamentum duo peragẽda sunt, Primò duo termini exponendi sunt. s. tale per essentiam, & tale per participationem. Secundò eius veritas demonstranda est.

Quò ad primum. Pro euidentia termini per essentiam duo consideranda sunt.

Primò considerandum est, duobus modis intelligi posse, rem aliquam esse per essentiam talem, vt tradit D. Thom. primo meth. lectione duodecima, & qđ lib. secundo cap 2 quem sequuntur Ferrariensis primo contra gent. cap. 12. & Naclantes in secundo de creatione: vno modo vt idem sit rem aliquam esse talem per essentiam, & esse talem per quidditatem, sicut homo nuncupatur rationalis per essentiam, quia talis est essentialiter, & quidditatiuè, & hoc modo esse tale per essentiam, seiungitur contrà esse tale per accidens, & hoc modo, non sumitur in pręsenti instituto: Alio modo res aliqua, p essentiam talis nũcupatur; quoniam habet esse infinitum, & illimitatum, modo perfectissimo, & hoc modo tale per essẽtiam semouetur contrà esse tale per participationem, & hoc modo, nunc à nobis accipitur.

Secundò considerandum est, secundum doctrinam à Caietano traditam, 1. p. q. 44. ar. primo. Ad hoc vt res aliqua appelletur talis per essentiam isto secundò modo, tres exigit cõditiones, prima est, vt sit abstracta natura, vt puta bonitas, & albedo, defectu cuius album, vel albedo

albedo in pariete; non dicitur talis per essentiam. Secunda conditio, vt sit in abstractione illimitata nulloquè modo, contracta; defectu huius anima intellectiua, & albedo, vt quatuor, si fingeretur sinè subiecto, & in tali limitatione separata à Deo conseruaretur, nequaquam tamē, illa albedo diceretur talis per essentiam. Tertia conditio, vt sit subsistens per se, huius defectu, albedo in tota sua latitudine sumpta, & separata, non diceretur albedo per essentiam: Verum hæc tertia conditio explicatione indiget. Est itaquè attendendum, tunc, rem esse infinitam, talemquè per essentiam, si talis secundum suum ordinem est receptibilis; attamen ipsa in aliquo minimè recepta est, sed est per se subsistens; defectu cuius, substantia Angeli non est talis per essentiam, quoniam licet Angeli substantia sit per se subsistens, tamen quia substantia secundum suum ordinem non est in aliquo receptibilis, idcircò substantia Angeli non dicitur illo modo substantia per essentiam, nequè infinita substantia. Quia autem esse, est actus secundum ordinem suum in supposito receptibilis, si datur essendi actus per se subsistens, iste actus erit per essentiam actus, eritquè infinitus, & hoc modo est esse Dei. Et hæc omnia egregie explanat Caet. de ente, & essentia capit. 5. illa in quæstione vbi sciscitatur, an in rebus creatis, esse existentiæ reipsa, ab essentia distinguatur.

Pro dilucidatione termini, per participationem, considerandum est. Tunc res aliqua per participationem talis est, secundum Caet. doctrinam, loco citato, quæ est talis modo finito, seu limitato, & breuiter, quæ habet conditiones supradictis oppositas. Ex istis explanationibus, facilè colligitur quid sit ens per essentiam, & quid sit ens per participationem. Ens per essentiam est ens abstractum iuxtà primam conditionem, ens illimitatum, seu infinitum iuxtà secundam conditionem, & per se subsistens iuxtà conditionem tertiam. Ex opposito, ens per participationem est ens contractum, limitatum, in aliquo receptum, ac per hoc, per se minimè subsistens.

Quoad secundum D. Tho. secundo contra gent. capit. 15. secunda ratione, probat supradictum fundamentum, tali demōstratione naturali; Quod cōuenit alicui ex sua natura, in illo nō potest inueniri minoratum, & defficiens; ergo illud, quod alicui conuenit minus, quam alijs conueniat, non ei conuenit ex sua natura tātum, (licet aliquo pacto, ex sua natura ei cōuenire possit) verum, ex alia causa effectiua; ergo illud quod alicui conuenit, maximè erit causa omnium illius generis effectiua, sed maximū tale in aliquo ordine, est illud, quod est tale per essentiam; ergo tale per essentiā est causa omnium, quę sunt talia per participationē, effectrix. Antecedens probatur; quoniam, si alicui naturæ aliquid substrahitur, vel additur, iam non erit illa, sed altera natura; sicut & in numeris accidit, in quibus vnitas addita, vel subtracta, numeri speciem variat: Igitur, quod alicui naturę conuenit secundum se, non potest esse minoratum, vel defficiens, quemadmodum, quia esse rationale homini secundum se conuenit, rationale in homine, non potest esse defficiens, & minoratum.

Prima cōsequētia nota est ex opposito prędicati, quoniā, ex opposito prędicati, ad subiecti oppositū arguitur. Secunda autē consequentia, ità probatur; quoniā, quod conuenit aliquibus deficiēter, non conuenit illis ex sua natura tantū, sed ex alia causa sibi conuenire, necesse est, quam ex illa in qua, illud maximè reperitur; quoniā omne imperfectū ad perfectū reducitur, & omne per aliud ad per se tamquam ad causam, reducitur.

Secundum fundamentum est hoc. Deus solus est ens per essentiam; alia verò omnia sunt per participationem entia.

Hoc fundamētum duas habet partes. Prima est; Deus est ens per essentiam. Secunda est: Alia omnia creata sunt entia per participationem.

Prima

Prima pars ità demonstratur. Quęcũquè quidditas, vel natura, seu essentia quantumcunquè sit perfecta, relata ad suum esse existentiæ, ab ipsa, re ipsa distinctum, habet rationem potentiæ, & conspicua est ista propositio; quoniam esse existentiæ est vltima omnis formæ, & materiæ actualitas, sed in Deo nulla est potentia, cum sit purissimus actus: ergo in Deo esse existẽtiæ est idem, reipsa cum essentia. Tunc vltrà, sed essẽtia cum sit substantia, non est in aliquo recepta: ergo & Dei esse non est in aliquo receptum, sed est ens per se subsistẽs: at, vt probatum fuit in præcedenti fundamento ens non in aliquo receptum, & per se subsistens, est ens per essentiam; ergo Deus est ens per essentiam. Omnes propositiones patentes sunt, tùm ex concessis ab omnibus, tum ex demonstratis in primo fundamẽto. Hæc demonstratio colligitur ex D. Thom. prima parte q. 3. ar. quarto, & q. 7. art. primo, ad tertium, & ar. secundo, & primo contra gen. cap. duodecimo, ratione sexta.

Secunda pars ita demonstratur. Omne, quod habet esse in aliquo receptum, est ens per participationem: at omne creatum habet esse in aliquo receptum: ergo omne creatum est ens per participationem. Prima propositio nota est ex ratione eius, quod est tale per participationem, assignata in isto capite. Minor autem ità demonstratur. Quod habet esse irreceptum habet esse illimitatum, & infinitum simpliciter: Ista manifesta ex terminis, nã esse limitatur, seu finit; qa in aliquo recipitur per quod finitur: Illud ergo quod habet esse irreceptum, seu non receptum in aliquo habet esse simpliciter infinitum: at nullũ ens creatum est simpliciter infinitum, vt omnes fatentur: ergo nullum ens creatum habet esse irrẽceptum, quod probandum erat. Ista ratio accepta fuit à D. Thom. 1. p. quæstio. 7 ar. secundo. Hæc de fundamentis.

Ex his duobus fundamentis, prima ratio cõficitur. Omne, quod est tale per essentiam est causa effectrix omnium; quæ sunt talia per participationem: ex primo fundamento: at Deus est ens per essentiam; alia verò omnia entia sunt p participationem entia, ex secundo fundamento: ergo Deus omne ens producit: ergo dum causat ens, nihil in sua productione pręsupponit: ergo Deus creat. Prima sequela subsumpta suadetur ex hoc; quoniam omne agẽs, quod aliquid producit, ex aliquo pręsupposito, nõ causat illud, quod suæ actioni præsupponitur, sicut artifex operatur ex ligno, & terra, quæ ab ipso artifice nequaquam fiũt, sed sunt ab ipsa natura producta, similiter natura res producit naturales formã producendo, non autem producendo materiam: si ergo Deus produceret ens aliquod, præsupponendo subiectum, tunc Deus minimè causaret illud ens subiectum, & ita non esset totius entis causa, quod est contrà cõclusionem in isto argumento demõstratam. Cõsequẽtia autem comperta est ex creationis ratione. Et hæc ratio, quo ad primum sylogismum desumitur ex D. Thom. prima parte quæst. 44 ar. primo, quo autẽ ad duas consequentias subsumptas, collecta est ex prima parte q. 45. articulo 2. & secundo contra gent. cap. 16. ratione prima.

Quinque aliis rationibus demonstratur creationem dari secundum principia naturalis philosophiæ.

Cap. 145.

Secunda ratio principalis talis est. Cũ omnium entium effectrix, inquãtum entia sunt, causat omne illud, quod est de entis ratione: at Deus est causa entiũ inquantum entia sunt: ergo Deus causat omne illud, quod est de ratione entis; sed materia prima est de entis ratione materialis: ergo Deus primam causat materiam; at materia prima non potest ex alia materia fieri, quia tunc non esset prima; ergo materia prima fuit ex nihi-

nihilo creata: ergo creatio datur. Maior propositio ex eo manifesta est; quoniam quod est causa agens alicuius inquantum tale, est etiam causa omnis eius, quod est de illius ratione, alioquin non esset sufficiens causa, & propria illius. Secunda propositio patet ex dictis, aliæ verò consequentię, ab omnnibus terminos intelligentibus, conceduntur, & ista ratio desumitur ex D. Thom. 1. p. q. 44. articu. secundo, & secundo contra gent. cap. 16. ratione vndecima.

Tertia ratio. Ens per essẽtiam est causa effectiua entis per participationem, sed Deus est ens per essentiam, substantiæ separatę sunt entia per participationem; ergo substantię separatæ producũtur à Deo: at cum sint substantiæ simplices, non possunt ex aliqua materię subiecta produci; ergo ex nihilo fuerunt productæ: ergo creatę. Omnes propositiones assumptæ in ista ratione patent, tum ex terminis, tum ex supradictis.

Quarta ratio colligitur, ex D. Tho. secundo contra gent. cap. 16. ratione prima, & octaua, & de potentia q. 3. ar. primo, ratione tertia in argumentis in contrarium, & firmatur super tribus fundamentis.

Primum fundamentum est. In Deo sunt omnium creaturarũ perfectiones, non solum factarum, sed etiam factibilium. Hocquè fundamentum demonstratur à D. Th. 1 p q. 4. articulo secundo, & primo contra gent. cap. 28. pluribus rationibus, verũ ista erit satis. Deus est ipsum esse per se subsistens, vt ex dictis compertissimum est: ergo omnem essendi perfectionem in se, continet. Ista cõsequentia probatur: quoniam si Deus non omnem essendi perfectionem in se contineret hoc esset, quia perfectio essendi esset in aliquo recepta, non secundum totam suam latitudinem, sicut si aliquod calidum, totam calidi perfectionem non habet, hoc in causa est, quia calor secundum perfectã ipsius caloris rationem non participatur, & ideo, si calor esset per se subsistẽs, caloris plenitudinem in se haberet, vnde valet ista consequentia, Deus est per se subsistens: ergo omnem essendi perfectionem in se continet, tunc alia subsumitur propositio: at res nuncupãtur perfectæ quatenus esse habent: ergo Deus in se omnium rerum perfectiones continet. Ex ista demonstratione habetur non solum in Deo omnium perfectiones creaturarum contineri, verum etiam infinitas alias perfectiones contineri, eo quoniam esse per se subsistens infinitum est, & infinitè perfectum, idcircò infinitę perfectiones in Deo sunt; infinitæ autem perfectiones creaturis minime communicari possunt.

Secundum fundamentum est hoc: Omnes perfectiones creaturis communicabiles sunt in Dei essentia, in eius intellectu, in illius voluntate, & in ipsius potentia creatiua, quæcunquè illa sit, alia tamen, & alia ratione, & primo omnes huiusmodi perfectiones in essentia in intellectu, in voluntate, & potentia reperiri ex eo compertum est: quoniam omnia ista sunt reipsa vnum, & idem, & non est maior ratio, de vno, quàm de alio. Omnes huiuscemodi perfectiones, modo diuerso in illis esse, ex hoc cõstat; quoniam sunt in essentia in esse naturali ipsius Dei; & in intellectu sunt modo intellectiuo, seu cognito, in voluntate autem in esse volito, seu amato, in potentia autẽ creatiua in esse creabili.

Tertium fundametum in materia prima non sunt perfectiones absolutè, sed solum de ipsius potentia educibiles, cuiusmodi sunt formæ de eius potentia extrahibiles. Hoc fundamentum ab omnibus conceditur.

Ex his fundamentis, ità formatur ratio. In Dei potentia creatiua sunt plures perfectiones, quàm sint perfectiones ex materia prima educibiles: ergo Deus potest aliquem effectum, sine prima materia producere: ergo Deus ex nihilo effectum producere potest: ergo &c. Antecedens, & consequentiæ, ex iactis

actis fundamentis manifestæ sunt.

Quinta ratio desumpta est à D.Tho. secundo cont. gent. cap. 16. ratione tertia & hæc est. Illud agens quod res in esse non producit nisi ex materia præexistēte, agit solum mouendo, & transmutando, sed Deus non agit solum mouendo, & transmutando, verum etiā agit, producendo simpliciter sinè motu, & trāsmutatione: ergo non agit necessariò, ex præsupposita materia: ergo ex nihilo agere potest: ergo &c. Maior ità probatur; facere ex materia aliquid est per motū, & per mutationem agere. Minor autem ità demonstratur. Esse est vniuersalius, quam moueri. Vnde intelligentiæ habent esse, & tamē nō mouentur, sed quāto effectus est vniuersalior, tantò sua cā est vniuersalior, & altior per Arist. secūdo physicorū, & quinto methaphysicæ igitur, & causa ipsius esse, est vniuersalior, quam sit causa, quæ solum per motum, & trāsmutationem agit: ergo Deus sine motu, & transmutatione agere potest, quod probandum erat.

Sexta ratio, quæ est etiam ratio sexta D.Thom. loco citato, talis est. Materia ab aliquo agente requiritur, vt ipsius agentis actionem recipiat: at Deus non agit aliqua actione, quæ necessariò in materia recipienda sit ergo Deus &c. Maior declaratur hoc modo. Actio est actus agentis, ab ipso agente, & à sua forma productus, in ipso autem patiente receptus: vel actio est quædam formę inclinatio, dum ipsa forma est in fieri nondum esse habens completum in patiente: ergo materia requiritur, vt ipsius agentis actionem recipiat. Minor propositio ex eo euidens est; quoniam Dei actio sua est substantia.

Qua de re, cum omnes istæ rationes ex propositionibus naturali lumine euidentibus formatę, sint euidentissima tenanet nostra conclusio, & hæc sufficiant quo ad tertium principale.

Duodecim argumenta contrà sententiam nostram militantia dissoluuntur.

Cap. 146.

QVò ad quartum principale contrà nostram sententiam sunt duodecim argumenta in præsenti dissoluēda, quorum primum tale est.

Primum argumentum. Dei potentia ad contraria primorum principiorum non se extendit, vt Deū facere totum esse sua parte maius, sed istud est vnum primorum principiorum, ex nihilo nihil fit: ergo &c.

Ad hoc respondet D.Tho. 1. p. quæst. 45. ar. 2. ad primum, & de potentia, q. 3. ar. 1. ad primum: affirmans, illud principiū solūmodo verū esse de mutatione, seu factione particularium effectuum, à particularibus causis, quę in suis actionibus, aliquid supponunt, non autem verum esse, de vniuersali emanatione à principio vniuersali.

Secundum. Si creare est aliquid ex nihilo facere: ergo creari est aliquid fieri: at omne fieri ē mutari: ergo creatio est mutatio, sed oīs mutatio est ex aliquo subiecto, vt ex motus diffinitione cōstat cum motus sit actus existentis in potentia: ergo creatio etiam ex aliquo subiecto est: ergo impossibile est aliquid ex nihilo à Deo fieri.

Huic argumento satisfacit D.Thom. prima parte quæst. 45. artic. secundo, ad 2. & negatur propriè loquendo minor propositio, scilicet omne fieri est mutari, ex consequenti, negatur etiam propriè loquendo, creationem esse mutationem, nisi secundum nostrum intelligendi modum, quandoquidem de mutationis, & mutare ratione est, vt aliquod idē numero aliter se habeat nunc, quā prius se habebat: hoc autem a creatione alienum est, cum per ipsam, tota substantia producatur, ideircò non potest accipi aliquid idem aliter, & aliter se habere, nisi secundum nostrum intelligendi modum, veluti si à nobis apprehēdatur aliquod

quod prius non fuisse totaliter, & postea esse, & quoniam modus significandi esse̅di modu̅ sequitur, hinc fit, vt creatio significetur per modum mutationis; quamuis secundum rem non sit mutatio, nec omne fieri sit mutari.

Tertium. Quod creatum est necesse est aliquando fieri, sed non potest dici illud quod creatur simul & semel fit, & factum est; cum in permane̅tibus, quod fit non est, & quod factum est iam est; ex consequenti, si in permanentibus qđ fit esset, idem simul esset, & non esset; ergo si aliquid fit, eius fieri præcedit factu̅ esse; at hoc non potest esse, nisi aliquod præexistat subiectum, in quo illud fieri sustentetur; ergo impossibile est aliquid ex nihilo fieri.

Respondetur de mente D. Thom. articulo proximè adducto ad tertium, & de potentia q 3. art. primo, ad vndecimum: in his quæ sine motu producuntur, simul est fieri, & factum esse, siuè talis factio sit terminus motus, vt illuminatio, & formæ substa̅tialis introductio: nam ista duo simul & semel fiunt, & facta sunt; siuè non sit terminus motus, sicut verbum in corde simul formatur, & formatum est: idcircò in istis quod fit est, cum fieri dicitur. Et quoniam creatio est sine motu productio, simul aliqđ creatur, & creatu̅ est; qua de re ad argm̅ formaliter respondendo, imus inficias vniuersaliter, In permanentibus id qđ fit, non est; immò omnia permanentia, quæ sine motu fiunt, dum fiunt, sunt.

Quartum. Infinita distantia non est pertransire; at inter ens & nihil infinita est distantia; ergo aliquid ex nihilo fieri impossibile est.

Ad hoc bifariam respondemus. Primò asserimus ad mentem D. Thom. locis citatis, hoc argumentum ex falsa procedere imaginatione, ac si aliquod medium infinitum esset inter ens, & nihil, quod maximè falsum est: tu̅c enim si ibi esset aliquod medium infinitum, puta linea, vel superficies infinita non posset per modum infiniti pertransiri, hoc est, tra̅secundo partem post partem: verum negatur, inter ens & nihil huiuscemodi medium reperiri.

Secundò respondemus, admittendo inter ens & non ens, seu nihil esse infinitam distantiam, & hoc duobus modis. Vno modo inuenitur infinita dista̅tia ex vtraque parte, sicut cum comparatur non ens ad esse diuinum, quod est simpliciter infinitum, sicut si comparetur albedo infinita ad nigredinem infinitam; & in hoc esse infinitum non potest fieri transitus ex non esse, vt notum est. Alio modo, reperitur infinita distantia, ex vna parte tantum, quia (inquam) vna pars est finita, altera infinita, veluti cum comparatur albedo finita ad infinitam nigredinem, & cum comparatur non ens, ad ens creatum, nam ex parte entis creati distantia finita est, ex parte autem non entis, infinita est distantia; & hoc modo, potest fieri transitus, de non esse, ad ens creatum per potentiam infinitam, quamuis, vt assertum est, hoc loci, transitus propriè minimè reperitur.

Quintum. Secundum Aristot. primo de generatione, omnifariam dissimile, non agit in omnifariam dissimile; quoniam necessum est, agens, & patiens in genere conuenire, & in materia, sed no̅ ens simpliciter, & Deus nullo modo co̅ueniunt: ergo Deus non potest agere in non ens simpliciter.

Respondemus, propositionem prima̅ esse intelligendam, de agente particulari, producente ens particulare; non autem de agente vniuersali, totum ens producente.

Sextum. Aut hęc propositio (ex) denotat causam, aut ordinem: at causam non potest denotare, nisi efficiente̅, vel materiale̅, sed nihil no̅ pōt denotare ca̅m efficie̅te̅ entis, nec causam materiale̅: ergo non denotat causam, nec etiam ordine̅; quoniam secundum Boetium, entis ad non ens non potest esse ordo, ergo &c.

Respondemus, hanc præpositionem (ex) posse denotare causam materialem,

verum modo negatiuo, vt superius assertum fuit, & ideò negatur non ens, non posse esse causam materialē negatiuè. Deindè asserimus (ex) ordinem præseferre. Ad Boetium duo dicimus. Primò ipsum loqui de ordine proportionis determinatæ. Secundò dicimus, ipsum loqui de ordine, qui est realis relatio, quæ non potest esse inter ens, & non ens.

Septimum. Esse rationis consequitur esse naturæ; sed ex nihilo nihil concluditur, quod est quoddam fieri rationis; ergo etiam in natura ex nihilo nihil fieri potest.

Respondemus. Concludi, se habere in actibus rationis, sicut moueri in actibus naturæ; eo quoniam in concludendo, ratio ab vno in aliud discurrit; idcircò sicut motus omnis naturalis est ex aliquo, ita & omnis rationis cōclusio. Et sicut intelligere principia quæ sunt principia concludendi, non est hoc intelligere ex aliquo, ex quo concludatur; ita creatio quæ est omnis motus principiū non est ex aliquo. Et formaliter respondendo ad argumentum, dicitur ad secūdam propositionem. Licet ex nihilo nihil concludatur, ex nihilo tamen principia omnis discursus intelliguntur.

Octauum. In rebus inuenitur diuersitas, prout vna res est alia perfectior; at ipsius diuersitatis causa ex parte Dei minimè esse potest; cum ipse sit vnus, et simplex; ergo huius diuersitatis causa erit materia; ergo necessum fuit, res esse ex materia productas.

Respondemus, secundam negando propositionem; quoniam rerum diuersitas ex ordine diuinæ sapientię prouenit.

Nonum. Quod ex nihilo factum est habet esse post non esse; est ergo considerare aliquod instans in quo vltimo non est, ex quo non esse desinit, & aliquod in quo primo est, ex quo incipit esse; aut est ergo vnum, & idem instans, aut diuersum; si vnum, sequitur duo cōtradictoria esse in eodem instanti; si diuersa, cum inter duo instātia sit tempus medium, sequitur aliquod esse medium inter affirmationem, & negationem; quod est falsum.

Respondetur. Cum aliquid fit ex nihilo, esse quidem eius quod fit, est primo in aliquo instanti, non esse autem nō est in illo instanti, quia duo cōtradictoria essent simul; nec in aliquo instāti reali, sed imaginario tantum, sicut etiam extrà vniuersum non est aliqua dimensio realis, sed imaginata tantum, secundū q̄ possumus dicere: Deum posse facere aliquid extra vniuersum, tantum distās ab vniuerso: ita ante principiū mundi, non fuit aliquod tempus reale, sed solū imaginatum, & in illo tempore imaginario possibile est, imaginari aliquod instans imaginatum, in quo vltimo fuit nō ens. Nec est necesse, inter ista duo instantia, esse tempus mediū; q̄m tempus verum, & tempus imaginatum non continuantur.

Decimum. Omne agens, sibi simile agit: at agit in quantum est in actu: ergo nihil fit, nisi quod est in actu, sed materia non est in actu: ergo materia prima nō potest à Deo fieri, qui est purissimus actus, & ita quæcunquè fiunt, fiunt ex præsupposita materia.

Respondemus bifariam. Primò negamus, materiam propriè fieri, propriéq; creaturam esse, verum propriè concreatur, cum fieri, & creari propriè ad esse terminētur; & ideò illud propriè fit, & creatur, quod propriè esse habet; hoc autem propriè est per se subsistens; idcircò nec materia, nec forma, nec accidentia dicuntur propriè fieri, vel creari; verum propriè appellantur concreari, & confieri. Ad argumentum formaliter respondendo asserimus, materiam propriè non fieri, vt argumentum concludit; attamē dicimus, materiā cōcreari. Et si fiat instātia: Cū materia sit Dei effectus, necesse est, ipsam aliquo modo ipsi Deo assimilari; ex cōsequenti necesse est habere aliquo modo esse, ac p hoc fit, & creatur. Respondemus bifariā. Primò vt iam affirmatū est, satis est effectū suę causæ assimilari ratione alicuius coniuncti: & ita materia ipsi Deo assimila-

imitatur, ratione esse compositi, cui coniuncta est intrinsecè, tamquam eius intrinseca pars. Secundò affirmamus, materiam primam, aliquam similitudinem analogam cum ipso Deo habere, inquãtum materia secundum se, de ente participat, non quidem est ens in actu, sed in potentia, & ens in potentia est ens, cum ens sit quodammodo commune potentię, & actui: ex qua respõsione, quæ est D. Thom. colligitur materiam primam esse actum entitatiuum, cum dicat, ipsam de ente participare

Vndecimum. Quidquid facit Deus, p ideam facit: at prima materia minimè in Deo habet ideam, cum idea sit forma & similitudo ideati: materia autem prima cum intelligitur secundum suam essentiam, absquè omni forma intelligitur, ac per hoc, idea non potest esse forma, vel similitudo materię: ergo materia prima à Deo fieri minimè potest: ergo & cæt.

Respondetur bifariam. Primò asserimus, propriè loquendo, materiam non habere ideam, sed solum compositum ideam habere, & ità satis est, materiam esse similem ideę, in diuina mente existenti, ratione compositi. Secundò negamus materiam non habere in mente diuina ideam, aliquo modo, quatenus aliquo pacto, diuinam imitatur essentiam.

Duodecimum. Omne, quod est per accidens, ad per se reducitur, sed ex opposito fit aliquid per accidens, ex subiecto aũt per se, sicut statua, p accidẽs fit ex infigurato, ex ære aũt per se; si ergo aliqd fit ex non ente, cum sit oppositũ enti, illud erit per accidens factũ; ergo oportet vt illud per se fiat ex aliquo subiecto, & ità non erit ex nihilo.

Rñdemus. Si ista præpositio (ex) cãm denotet, non fit aliquid ex opposito, nisi per accidẽs rõne subiecti, & hoc mõ nõ sumitur hic, nisi negatiuo mõ, vt superius assertũ est. Si aũt (ex) ordinẽ denotet, tũc aliquid fit ex opposito per se; vnde & priuatio appellatur principiũ fiendi per se, licet nõ sit principiũ per se esse di, & hoc modo sumitur ista præpositio (ex) ac per hoc, creatio fit per se ex nihilo, hoc est, post nihil.

AN DETVR Creatio ad mentem Aristotel.

Recitantur sexdecim argumenta Commentatoris creationem negantis ad mentem Arist.

Cap. 147.

Circà hanc controuersiam quatuor agenda sunt. Primò vna distinctio proponitur de creatione. Secundò ostẽdemus, Commentatorem fuisse variũ, & sibi ipsi incõstantem hac in difficultate, adducentes suas rationes, quib. creationem negauit. Tertiò adducenda est D. Tho. sententia. Quartò argumentis Commentatoris satisfaciemus.

Quo ad primum, Distinctio hęc est. Creatio est in duplici differentia; altera cum nouitate essendi, qua in dies animę humanæ creantur; altera sine nouitate essendi, qua ad mentem Arist. (vt demõstratum fuit in præcedentibus) Mũdus fuit ab æterno productus de facto, & de possibili secundum D. Tho. & eius asseclas mundus ab æterno potuisset produci, & de vtraquè sermonem habemus in hac controuersia.

Quò ad secundũ. Aduertendum est, Commentatorẽ hac in difficultate non fuisse sibi constantẽ; etenim, vt probant Capræolus 1. sent. d. 1. q. 1. Caiet. de ente & essentia q. 10. Paulus Soncinas 12. metaph. q. 15. & 16. Iacobus Naclãtes ord. prædic. episc. Clugiensis in sua quæstio. de creatione rerum à Deo: Deus ad mentem Commentatoris est causa substantiarum separatarum effectrix, sed substantiæ separatę nõ possunt produci,

nisi per creationem; ergo de mente Cõmentatoris creatio datur; & magis explicant hoc Capreo. & Naclantes, & quoniam ista opinio est sententia nostra, scilicet dari creationem secundum Aristo. idcircò non sunt reprobandæ rationes, hanc suadentes veritatem, verũ quia alias rationes habemus euidentiores ad mentẽ Arist. ideò eas, hac in quæstione adducemus.

Ex alia parte est D. Thom. octauo phys. lectione secunda particula prima, qui asseuerat Commentatorem negare creationem, & hoc probat tribus rationibus, quæ secundo libro cap. tertio fuerunt adductæ, & solutæ. Quapropter debemus nos astruere Commentatorẽ fuisse varium sibique inconstantem, quemadmodum etiam supra cap. 134. tetigimus, Commẽtatorem ipsũm, sibi fuisse in constantem circa primi motoris infinitatem, & nõ affirmare, illos summos Thomistas, videlicet Caietanũ Capręo. & Paulum Soncinantem, dissentire à D. Tho. asserente Comm. creationem reiecisse, veluti dixit Iauellus duodecimo meth. q. quinta astruens supradictos Thomistas à D. Th. discrepasse; Namq; vtrumquè verum. In aliquibus enim locis concessit Commentator creationẽ, vt multis eius auctoritatib. demonstrãt supradicti Thomistę, & præcipuè Capreolus. in multis autem aliis locis creationem inficiatur.

Est tamen animaduertendum, Commentatorem clarius negasse creationẽ, vt nunc, nunc ostendemus quam ipsã concesserit, tamen licet (non ità clare) creationem concesserit, quemadmodũ ipsam negauit: supradicti tamen Thomistę, ex suis fundamentis colligunt Cõm tenuisse creationem.

Et in præsenti capite adducendæ sũt omnes rationes ex Commentatore excerptę, suadentes non dari creationem, quæ sunt sexdecim, quæ omnes in quarta huius quæstionis parte, soluentur.

Prima ratio est desumpta ex quarto phys. Comm. 6. & primo de cœlo Com. nonagesimosecundo, quæ est talis. Si mundus creatus est: ergo vacuum fuit, consequens est falsum: ergo & antecedens. Sequela probatur, quoniam vbi nũc est mundus, ibi nullum corpus fuit; sed vacuum est vbi nullum est corpus: ergo &c.

Secunda ratio desumitur ex primo de cœlo Commento vigesimosecundo. Si mũdus creatus est; ergo ante mũdi generationem fuit aliquod corpus, consequens est falsum: ergo & antecedens. Sequela probatur, quod de nouo fit, non potest immediatè à Deo fieri, tum quia fit de nouo; & quod est tale ab eo, quod semper eodem modo se habet, non põt proximè effici, Deus aũt sẽper eodem modo se habet; ergo &c. Tũ quia, quod generatur, debet prius ab altero alterari, sed Deus est immutabilis, & incorporeus: ergo non potest immediatè aliquid noui facere, vel aliquid alterare: ergo illud a quo mundus factus est, debet esse corporeum, vt subiectum alterare possit, ex quo mundus generari debuit: ergo ante mundum erat aliqđ corporeum.

Tertiò arguit octauo physicorũ Cõmẽ. quarto. Quidquid fit ex subiecto, & opposito determinato fit: ergo impossibile est, aliquid ex nihilo fieri. Cõsequẽtia nota. Antecedens suadetur ex sensuũ euidentia, patet etiam, ex vi demõstrationis, ab Arist. factæ, primo physicorum & contrarium huius, non potest probari ratione, vel sensuum testimonio. Et cõfirmatur. Omnis actio necessario est cum motu cõiuncta, sed omnis motus, est in subiecto, vt patet ex motus diffinitione: ergo omnis actio aliquod supponit subiectum. Confirmatur secundo. Actio, & passio sunt correlatiua, pari modo agens, & patiens; ergo omne agẽs, supponit aliquod subiectum, quod est passum.

Quarto arguit eodem libro Commento decimoquinto. Si mundus de nouo creatus est à Deo; ergo aliqua mutatio in Deo de nouo facta est, consequens falsum; ergo & antecedens. Suadetur sequela. Deus, aut eodem modo se habuit

ab

ab æterno circa mundi productionem, sicut se habuit, quando mundum produxit, aut diuersimodè: si eodem modo se habuit Deus ab æterno, sicut se habuit, quando de nouo mundum produxit: ergo pari modo, ab æterno mundum produxit, sicut in tempore: si autem diuerso modo se habuit ab æterno, & quando mundum produxit: ergò Deus mutatus fuit.

Quintò sic arguit. Sicut se habet voluntas noua, ad actionem nouam, ità se habet voluntas antiqua ad actionem antiquam: ergo à commutata proportione sicut se habet voluntas noua ad actionē antiquam, ità voluntas antiqua ad actionem nouam, & econuerso, sic se habet voluntas antiqua ad actionem nouam, sicut voluntas noua ad actionem antiquam, sed impossibile est, à volūtate noua prodire actionem antiquam: ergo impossibile est à voluntate antiqua prodire actionem nouam.

Sextò. Si voluntas æterna suum dicitur producere effectum de nouo, & non ab æterno, hoc est, vel ob aliquod impedimentum, vel ob defectuum rei, ad illum effectum producendum necessariæ; ergo necesse est ante mundi productionem, vel impedimentum illud remoueri, vel adesse illam rem necessariam: at neutrum potest fieri sine motu; ergo ante motum, esset motus.

Septimò. ille qui differt facere aliquid, præsentiam illius temporis expectat, & facit præterire aliud tempus, in quo nō vult effectum producere; ergo ante mundi generationem fuit aliqua temporis duratio.

Octauò. Deindè recentiores Auerroistæ ità arguunt. Si Deus ab æterno omnes conditiones, quæ ad producendum mundum requirūtur haberet, qua ergo de causa noluit producere mundū ab ęterno?

Nono ità arguunt. Quod est nō genetatum, necesse est, esse incorruptibile; cum ergo antè mundi generationem fuerit possibile, mundum generari, alioquin non fuisset generatus: ergo talis possibilitas, cum sit æterna à parte ante, erit ingenerabilis; ergo & erit incorruptibilis: si autem talis possibilitas non potest corrumpi: ergo mundus non potest fieri. Sequela ista suadetur, si mundus fit, illa corrumpitur possibilitas; cum ergo illa possibilitas non possit corrumpi cum sit ingenerabilis, in tempore fieri non potuit.

Decimò. Ante mundi generationem, possibile fuit mundum fieri: at omnis possibilitas ī aliquo subiecto fundatur, quod dicitur esse possibile; ergo &c. Maior nota minor ità suadetur omni agenti correspondet patiens, cum sint correlatiua: ergo sicut possibilitas actiua non potest esse nisi in aliquo agente, pari passu possibilitas passiua non poterit esse, nisi in aliquo patiente: ergo ante mundi generationem fuit aliquod subiectum, quod est maximum inconueniens; ergo inconueniens est ponere Deum esse causam mundi effectricem: ergo Arist. qui lumine processit naturali, creationem minimè agnouit.

Vndecimò. Deindè alij ità arguunt. Si Deus posset ex nihilo res creare, aut crearet libere, & contingenter, aut ex naturę necessitate; si primo modo, cum Deus sit infinitæ virtutis, non posset philosophus vllam causam, & rationem reddere de magnitudine, numero, perfectione, & ordine earum rerum, quæ in vniuerso existunt; quoniam hæc omnia à libera Dei voluntate dependerent, qui si voluisset multò plura, & multò perfectiora produxisset: si autem ex naturæ necessitate crearet, cum Deus infinitam, ad creandum ex nihilo, habeat virtutem, & in ipso nihilo nullus sit terminus, nullusquè modus: ergo in infinitum, nouas crearet species, Sequela suadetur; quoniam agens de naturæ necessitate agit, quidquid potest,

& quantum potest: ergo cum possit in infinitum, in infinitum etiam producere debuit.

Duodecimo. Creatio est quædam actio: ergo creans est quoddam agẽs, sed agẽs nõ potest esse sine patiente, cũ sint correlatiua: ergo creatio non erit sine patiente: ergo non erit ex nihilo.

Decimotertio. Si creatio est ex nihilo: ergo non potest ratio assignari, quare potius hoc creatur, quàm illud. Sequela probatur; quoniam nihil est per se indeterminatum, & indifferens, vt ex eo, hoc, vel aliud creetur. Itidem Deus cum sit vniuersale agens, est per se indifferens ad producendum hoc, vel illud: ergo non potest reddi aliqua ratio, cur potius hoc: quam illud creetur, sed hoc est maximum inconueniens: ergo inconueniens est, vt detur creatio.

Decimoquarto. Aut Deus creat per actionem transeuntem, aut per actionem immanentem si per actionem trãseuntẽ: ergo creatio nõ ẽ ex nihilo. Cõsequentia suadetur, quoniã actio transiens subiectum supponit; si autem per actionem immanentem: ergo omnia ab æterno creata sunt, & nihil de nouo creari potest. Sequela probatur hoc modo. Cuius actio est æterna, eius effectus est æternus, sed immanens Dei actio est æterna, cum sit eius substãtia, quæ est æterna; ergo omnia ab æterno creata sunt.

Decimoquinto. Si Deus ex nihilo oĩa immediatè creare põt: ergo frustra sunt naturalia agẽtia. Sequela suadetur; Frustrà fit per plura, quod potest fieri per pauciora æquè, & bene: at Deus sine causis secundis omnia creare potest: ergo &c.

Decimosexto. Arist. in tota sua doctrina nullam fecit mentionem de creatione, & præcipuè in 5. libro meth. vbi tradidit nominum significationes; nullum de creatione verbum fecit: ergo signum est, Arist. creationem minimè agnouisse. Ex omnibus illis auctoritatibus, & rationibus Commentatoris vna cum illis tribus rationibus collectis à D. Tho. 8. phys. lect. 2. ad mentẽ ipsius Cõmentatoris, & à nobis recitatis, & expugnatis 2. libro cap. 3. apertissimè constat ipsum negare creationẽ, seu productionem ex nihilo, vt illi imponit D. Tho. 8. phys. lect. 2. & ideo in hoc non est sustinendus Magister Georgius Bustus Vercellensis affirmans in sua quæstione de creatione in fine, Commentatorem negasse creationem cum nouitate essendi, non aũt creationẽ sine nouitate essendi. Et ità intelligendus est D. Th. quando asserit, Commentatorem negasse creationem, & ratio sua est, quia ait D. Tho. Commentatorem sumpsisse occasionẽ contra id, quod fide tenemus de creatione: Tunc subsumit minorem: at nos fide tenemus creationem cũ nouitate essendi; ergo hanc Commentator impugnat. Verum respondetur de facili, nos duo fide tenere, alterum est creatio cum nouitate essendi, alterum est creationẽ ex nihilo fieri, & Commentator impugnat vtrũquè, sed præsertim impugnat secundum, scilicet creationem esse productionem ex nihilo, vt apertissimè constat ex rationibus, nunc adductis, & præsertim ex rationibus à D. Th. collectis 8. phys. lectione 2. & à nobis suprà lib. 2. ca. 3. expugnatis. Et illa sint satis quo ad secundum principale.

Datur creatio ad mentem Aristotelis.

Cap. 148.

QVo ad tertium principale. Respondetur præsenti difficultati tribus conclusionibus, quarum prima hæc est. Datur creatio ad mentem Arist. Ad fundandam, & aperiendam, determinandã què Arist. intentionem ad memoriam reuocãda est ipsius doctrina primo physicorum tex. 76. collecta à D. Tho. 1. p. q. 45. ar. 1. & 8. phys. lectione secũda partic. 1. & à Caiet. 1. p. q. 44. ar. 2. in dubiorum ab ipso motorum expositione, & q. 45. ar. 1. quę talis est. Duobus modis aliqd fieri cõtingit, altero per se, altero per acci-

cidens: per se appellatur aliquid fieri, tũ cuius antè illud immediatè non fuit, & hoc pacto, coloratum dicitur fieri per se, quando fit ex non colorato. (etenim dum coloratum fit ex non colorato, ratio colorati immediatè non erat, ac per hoc, coloratum nuncupatur fieri per se.) Per accidens autem dicitur aliquid fieri, quando ipsius ratio immediatè præfuit, & hoc modo quando coloratũ fit ex albo, coloratum fit per accidens, quoniam colorati ratio immediatè erat in albo, ante ipsius colorati factionem. Et istorum rationem docet Arist. eo loci, & est, quoniam nullum agens per se facere intendit id, quod est, sed quod nõ est. Et si est, & iterum fiat, hoc est per accidens; quando ergo aliquod agens facit aliquid, cuius ratio non erat, per se illud facit; quando autem illud prius erat, illud per accidens causat.

Deinde considerandũ est id, quod et superius fuit consideratum. Ista præpositio (ex) non solum denotat ordinẽ post non esse, vt affirmat Caiet. locis citatis; sed etiam denotat subiectum, vt postmodum ostendemus, etiam ad mentem Caiet. contra Caiet.

Ex qua doctrina colligit D. Thom. locis citatis, hanc propositionem, secũdũ Arist. sententiam, si fit per se hoc animal, inquantum est hoc animal, non est necesse fieri ex non animali, verum necesse est ipsum fieri ex nõ hoc animali v. g. si fit homo per se, necesse est ipsum fieri ex non homine: Si autẽ fiat animal in quantum animal, necessum est, ipsum animal fieri ex nõ aiali, idcirco D. T. 1. p. q. 45. ar. 1. hanc colligebat propositionẽ, quod procedit secundum particularem emanationem, emanationi non præsupponitur ex qua doctrina D. Tho. locis citatis, hãc aliam deducit propositionẽ, si fit totum ens, necessum est ipsum fieri ex penitus non ente; seu cum totum ens procedat secundum vniuersalem emanationem impossibile est, aliquod subiectum præsupponi, quæ, procul dubio manifestissima est ex cõfactionis ratione, applicata proportionaliter.

Ista Arist. doctrina supposita subsumitur minor propositio, ex Arist. sed totũ ens factum est effectiuè à primo principio Deo, vt demonstrabitur, in quæstione sequenti, quæ est de efficientia omniũ rerum à Deo ad mentem Arist. ergo ad mentem Arist. totum ens factum est ex penitus non ente. Tunc vltra; at penitus non ens, & nihil sunt omnino idem; ergo ad mentem Arist. totum ens ex nihilo productum fuit: at creatio exprimit totius entis emanationem ab vniuersalissima causa, vt ex nomine creationis, conspicuum est: ergo datur creatio ad mentem Arist. Quæ conclusio vniuersalis ẽ, ad creationẽ cũ nouitate essẽdi, & sine essendi nouitate, ac per hoc præmissæ ipsam probantes necessariò sunt cões ad omnem creationẽ, cum vniuersalis conclusio non possit ex præmissis particularib. deduci. Et ex hoc habemus contra Caiet. 1. p. q. 45. ar. 1. hanc præpositionem (ex) denotare, non solum ordinem, vt vult Caie. verum ẽt subiectũ negatum; tũ, quia in creatione sine nouitate essendi hæc præpositio (ex) solum subiectũ negatum denotat, vt docuit D. Tho. 1. p. q. 46. art. 1. ad 2. nullo autẽ modo, ordinẽ. Et quod possit ista præpositio (ex) sumi vtroquè modo superius docuimus ad mentem D. Th. 1. p. q. 45. ar. 1. ad tertium. Nec valet Caie. ratio, quæ est si (ex) subiectum denotaret, nihil ratio concluderet; quoniam diceretur, totum ens fieri ex non ente, quod est ens in potentia, sicut album fit ex non albo, quod est album in potẽtia, & homo fit ex nõ homine, quod est homo in potentia. Subindè, D. Th. 1. p. q. 45. ar. 1. hanc creationem declarans, ex proportionalitate emanationis particularis dicit hæc verba: si generatur homo, nõ prius fuit homo sed homo fit ex non homine: ecce quod D. Th. distinguit ex non homine contra prius hominẽ, manifestè insinuans (ex) denotare post.

Ad hæc respondetur, & primò ad primam ex eiusdem Caiet. doctrina 1. p. q. 44. ar. 2. ad primum dubium. Aliud est fieri ens simpliciter, & aliud fieri per se

ens,inquantum ens. Ens quidem simpliciter fit ex ente,quod est pura potentia: Ens autem inquantum ens, fit per se ex non ente simpliciter,& ideò falsum est id,quod affirmat Caiet. si(ex) subiectum denotaret,ratio nihil concluderet, immò asserimus illam rationem optime cócludere. Et non potest dici,si fit totum ens per se,inquantum ens,ex ente in potentia fiat,vt ipsemet fassus est;cum necessariò fiat ex non ente penitus,& vt ipse dicit,, ista ratio est demonstratiua, hoc ens fit per se ex non hoc ente: ergo totum ens,inquantum ens,fit per se, ex penitus non ente, ex communi factionum ratione,proportionaliter applicata. Ad secúdum,scilicet,ad verba D. Th. dicimus primò. In productione particulari verum est(ex)sumi, vt dicit post,nó tamé solum,sed etiam vt dicit subiectú, vt optimè declarat D.Tho. primo phys. tex.78 ad mentem Arist. Nam dum dicimus,homo fit per se ex non homine in potentia,hæc præpositio (ex)subiectum denotat; ideo falsum est, in productione particulari(ex) semper,& solum denotare post. Secundò dicimus; Aliud est sermonem habere de particulari productione, & aliud de vniuersali emanatione. De emanatione particulari,detur, sed non admittatur(ex)dicere post, non tamen concedendum est sermonem habendo de vniuersali totius entis emanatione. Nam ista præpositio, ex, potest denotare,& ordinem,& subiectum, negatum tamen, vt superius in hac quæstione asseruimus.

Secúda conclusio. Datur creatio sine nouitate essendi ad mentem Arist. quæ ita suadetur Mundus est æternus, & à Deo factus ad mentem Arist. sed vtrúque nó potest esse nisi per creationem æternam: ergo &c. Prima propositio quo ad vtramquè partem pro nunc supponitur,quoad primam partem, iã probata est in quæstionibus de mundi æternitate,quo ad secundam partem,in quæstione de efficientia rerum à Deo, ad mentem Arist. demonstrabitur, & hęc quæstio erit sequens. Minor etiam quo ad vtramquè partem,notissima est ex rationibus terminorum.

Tertia conclusio. Datur creatio cum nouitate essendi ad mentem Arist. Verú antequàm demonstretur tria supponéda sút,ad aures ipsius Arist. Primú est: Anima intellectiua est immortalis, humaniquè corporis est vera forma,ei có ferens esse; Hocquè probatum est in q̃stione de immortalitate animę ad aures Arist. Secundum est: Animæ humanæ non fuerunt ante corpora; hoc suppositum docet Arist. 12. meth. tex. 16. Tertiú suppositum. Cum asserimus per creationem totum ens produci,nomine totius entis intelligimus non solum totum vniuersum,verum etiã totum aliquod ens particulare,quod dicitur creari, quãdo fit ex nihilo,idest, post sui nihil, seu fit non ex aliquo,vel non de aliquo sui. Et quoniam formæ corruptibiles, quæ de materię potentia educuntur, fiunt vel ex materia,quæ est aliquid formæ, ab ipsa eductæ, cum ipsa forma in potentia materię contineatur,non dicuntur creari. Anima autem intellectiua,quia non est in potentia materiæ; idcircò nó educitur de eius potentia; quapropter fit de nihilo,idest fit post sui nihil,seu fit non de aliquo sui; idcircò ppriè dicitur creari,licet in materia fiat, sicut,etiã oés aliæ formæ substantiales fiunt in materia, & ex materia. Istis suppositis ità conclusio demonstratur: Anima intellectiua est immortalis ad aures Aristo. vt patet ex primo supposito ad aures Aris. ergo non educitur de potentia materiæ: ergo de nihilo fit: ergo creatur, sed non creatur ante corpus, ex secundò supposito: ergo creatur de nouo quando corpus generatur. Prima sequela nota est ex consequentis opposito,quia cum omnis forma,quæ de potétia materiæ educitur fit mortalis; si anima intellectiua de potentia materię educeretur, esset mortalis; hoc autem repugnat antecedéti. Secunda sequela suadetur à sufficienti diuisione. Anima intellectiua, aut fit ex nihilo, aut educitur de materię potentia; non enim datur aliud medium: si ergo

si ergo non educitur de potentia materiæ; ergo fit ex nihilo. Tertia sequela nota é ex creationis ratione. Reliqua aperta sunt ex suppositis; & ista sufficiant, quo ad tertium principale.

Octo diluuntur argumenta contrà præfatam veritatem.

Cap. 149.

QVò ad quartum principale, in quo Auer. & Auerroistarum argumenta diluenda sunt.

Ad primum itaquè respondet D. Th. 1.p.q.46.ar. primo ad quartum negãdo sequelam, eo quoniam ad vacui rationé nequaquam sufficit in quo nihil est, verum requiritur etiam vt spacium sit in rerum natura corporis capax, in quo non sit corpus, & hoc docet Arist. quarto phys. & ideò ad probationem secũda negatur propositio, scilicet vacuũ est, vbi nullum est corpus, nam omittitur spacium in illa vacui diffinitione, quod tamen est necessariò ponendum, ad mẽtem Arist. dicit itaquè D. Tho. vbi nunc est Mundus, licet nullus adesset corpus, tamen ibi non erat vacuum, cum nec etiam ibi esset spacium.

Ad 2. & 4. simul respondetur à D. Thom. 3.p. q.1.ar.1.ad primũ, astruens talem doctrinam: Incarnationis mysterium non est impletũ per hoc, vt Deus sit aliquo modo à suo statu, in quo ab æterno fuit, immutatus, verum per hoc, qm̃ nouo mdo se creaturæ uniuit, vel potius eã sibi. Est autem conueniens vt creatura, quæ secũdũ sui rationem, mutabilis est, non semper eodem modo, se habeat, & ideò, sicut creatura incœpit esse, cum prius non esset, ità conueniẽter cum prius non esset vnita Deo in persona, postmodum ei fuit vnita. Hæc D. Thom. ex quibus colligitur hæc propositio conspicua: Deus eodem modo se habens creaturã produxit & producit, secundum Aristo. nulla facta in Deo mutatione, verum increatura. Et formaliter dando responsum ad secundum, negatur sequela, & ad eius probationem, negatur assumptum, & ad primam probationem, negatur illud, quod fit de nouo, nõ possit proximè creari ab eo, quod eodem modo se habet. Ad secundã probationem dicitur, licet illud, quod generatur prius ab aliquo corporeo alteretur; non tamen quod creatur prius ab aliquo alteratur. Similiter ex his patet responsio ad quartum; negatur enim consequentia, & ad probationem dicitur, Deum semper eodem modo se habuisse ab æterno, quo etiam modo se habuit, quando Mundum creauit, & semper se habebit, cum impossibile sit Deũ aliquo modo mutari, sed negatur illa sequela; ergo ab æterno nõ creauit Mũdum, cũ Deus absquè sui mutatione voluerit ab æterno mundum producere.

Ad tertium asserimus, primam propositioné verã esse de particulari factione, seu de physica productione, quæ est per motum, non autem veram esse de tótius entis factione, vel de Methaphysica productione, quæ est sine motu physico, qualis est creatio, vt docet D. Tho. prima parte q.45.ar.2.ad secundum. Nã ibi docet, creationem non esse propriè mutationem, nequè cum motu actioné eo quoniam, quod mutatur nunc aliter se habet, quã prius se habebat: Similiter, quod mouetur, nũc aliter se habet, quã prius se habebat, & ita, quod propriè mouetur, propriè què mutatur, est aliqđ subiectum suppositum, quod mouetur, & mutatur: at in creatione, (cum tota fiat substantia) non potest aliquod subiectum accipi, quod aliter, & aliter se habeat, ex consequenti creatio non est mutatio, vel actio cum motu, nisi secũdũ nostrum modum intelligendi; quoniã, creatio per modum mutationis significatur: sic itaquè primam negamus propositionem, & ad probationem, asserimus, licet, ex sensibus cognoscere exordiũ sumamus, cũ omnis nostra cognitio à sensu ortũ habeat: Verumtñ, sicut noster intellectus ex sensibilib. singula-

gularibus elicit vniuersalia, ità intellectus, ex particularibus productionibus deduxit productionem vniuersalem, quæ est totius entis, sicut etiam ex accidentibus, & motibus particularibus deuenit in substantiarum separatarum cognitionem, necnó ipsius Dei, quę secundum se, nullo modo sub sensu cadunt; idcircò, negamus, nos ratione, non posse illius oppositum intelligere; nam dum fit totum ens necessario fit ex nullo præsupposito, & hoc demonstratum fuit ad mentem Arist. Ad primam confirmationem, negamus, metaphysicam actionem, (qualis est creatio) esse cum motu; licet verum sit de physica actione. Ad secundam conceditur rationem & passionem esse correlatiua. itidem conceditur, agens, & patiēs esse correlatiua, verum negatur dum totum patiens producitur, aliquod subiectum supponi, & ideò falsa est vltima consequentia.

Ad quintum trifariam respondetur. Primò totum conceditur argumentum; quoniam verissimum est, sicut à voluntate noua, non potest prouenire actio antiqua, ità à voluntate antiqua nō potest prouenire actio noua, verum nihil contra nos; quoniam non autumamus mundum fuisse preductum per nouā actionem (nam actio, qua Deus mundū produxit in temporis principio, est æterna, vt magis infrà explicabitur;) at actio antiqua, nouum produxit effectū: hoc autem nullum est inconueniens, quoniam vt docet D. Th. 1. p. q. 45. ar. 1. ad nonum, & ad decimum. Effectus voluntarius sequitur agens, & eius actionem, secundum quod ab ipso agente prædiffinitum est, modo autem Deus ab æterno prædiffiniuit, mundum esse in tēpore; vndè consequentia subinferenda, negatur; videlicet à voluntate antiqua non potest prouenire actio noua: ergo neque effectus nouus, seu neque passio noua, negatur inquam ista sequela, & rationem assignauimus. Et quia ità posset aliquis conficere argumentum sub eadem forma. s. sicut se habet actio noua, ad effectum nouum, ità actio antiqua ad effectum antiquum, & mutata proportione, sicut se habet actio noua ad effectum antiquum, ità actio antiqua ad effectum nouum, sed actio noua non potest causare effectum antiquum ergo nec actio antiqua potest causare effectum nouum; Idcircò secundo respōdetur, & conceditur, actionem antiquā, vt antiqua est, hoc est, pro antiquo non posse causare effectū nouum, & hoc tātum concludit argumentum, actio autē antiqua, nō vt antiqua, sed vt noua, hoc est pro tempore, tum potest causare effectum nouum, quæ quidē actio antiqua, non pro æterno, sed pro tempore, potest dici noua virtualiter; licet formaliter sit antiqua, idest ęterna, ideo Tertio pōt responderi, primam propositionem, verum esse de actione antiqua, & de actione noua, quando ambæ actiones, tales sunt formaliter, & virtualiter: Si autem vna sit talis formaliter, & virtualiter, alia verò sit talis solum formaliter, non valet proportio, & sic, quoniam antiqua, est antiqua formaliter, virtualiter autem noua, noua autem actio, est noua simul formaliter, & virtualiter, tunc non valet similitudo proportionalis, & ità, accidit in proposito, vt iam explanatum est.

Ad sextum, & septimum, simul respōdetur ad mentem D. Tho. 1. p. q. 45. ar. 1. ad sextum: Agēs particulare differt suū producere effectum, vel propter aliquod impedimentum, vel ob defectum rei, ad illum effectum producendum, necessariæ, cum formam producat materiam autem supponat; idcircò necesse est, formam introduci ab ipso agente particulari, secundum proportionem ad debitam materiam; idcircò aliquando differt formam in materia introducere propter aliquod impedimētum, vel propter defectum rei, ad huiuscemodi introductionem necessariæ; Agens autem vniuersale, quia totum ens, materiam scilicet, & formam producit, non differt suum producere effectum, propter aliquod impedimentum, vel ob defe-

ctum

ctum alicuius rei, sed quia ita voluit tamquam conuenientius ad suam potentiam demonstrandam: Etenim mundus ducit nos apertius in diuinæ potentiæ creantis notitiam, si non semper extitisset, quam si fuisset semper, nã quod semper non fuit apertissimè constat causam habuisse; at nõ ita compertum est, illud, quod semper extitisset causam habuisse. itidem dicimus ad septimum. Agens particulare, quod tempus supponit necessario, aliquod expectat tempus: at agens vniuersale, quod non supponit tẽpus, verum ipsum tempus creat, non opus est, vt tempus expectet, verũ simul cum mundo tempus concrearet: Similiter D. Thom. octauo physicorum textu decimotertio, supradictam affert respõsionem.

Ad octauum. iam responsum nunc est de mente D. Thom. tum prima parte, tum octauo physicorum locis citatis, & assertum fuit, Deum ab æterno omnes conditiones, quæ ad producendum mundum requiruntur habentem, noluit ab æterno producere mundum, tum quia eius potentia magis manifestatur, vt nunc assertum est, tum quia eius sufficientia, lucidiori modo notificatur: etenim omnibus alijs non existentibus, ipse in seipso omnimodam perfectionem, beatitudinisquè sufficientiam, perfectissimamquè virtutem ad producendum omnia habuit. Et ista astruimus, inquantum altissima Dei mysteria humana ratione penetrare possumus, quæ de re possunt esse aliæ infinitæ rationes sub secreto suæ sapientiæ inuestigabilis, ob quas mundum creare distulit.

Octo alia argumenta, Auerr. contra præfatam veritatem diluuntur.
Cap. 150.

AD nonum respondet D. Tho. 1. p. q. 45. a. 1. ad 1. Antequam Mũdus esset, possibile fuit esse, verumtamen ista potentia non fuit realis potentia Phys. passiua, sed fuit possibile esse secundum potentiam Dei actiuam. Secundò dicitur per se possibile non secundum aliquam potentiam, verùm ex sola terminorum habitudine, qui sibi non repugnant; quemadmodum possibile opponitur impossibili, vt docet Arist. 1. Met. formaliter itaque respondendo ad nonum affirmamus primò, loquendo de potentia Dei actiua, secundum quam Mundus dicitur fuisse possibilis, antequam esset, vltimam negamus consequentiam, & ad probationem dicimus transitum fieri à potentia Dei actiua, ad quãdam possibilitatẽ physicam: nam dũ Mundus factus est, non fuit corrupta actiua Dei potentia, verùm fuisset corrupta passiua potentia, si in ista potentia fuisset, quod tamen negatum est. Secundò autumamus, sermonem habendo de potentia, quæ dicit terminorum non repugnantiam; cum nõ sit aliquod reale re ipsa, non potest dici ipsam esse ingenerabilem, vel generabilem, corruptibilem, vel incorruptibilem; cum ista prædicata de ente reali tãtum vera sint, idcircò quando Mundus fuit productus, aliqua potentia minimè corrupta fuit, sed tamen non repugnaret, Mundum esse, & de facto, per diuinam omnipotentiam creatus fuit.

Ad decimum. Negamus possibilitatẽ non repugnantiam terminorum dicentem, in aliquo subiecto fundari. Id idem affirmamus de possibilitate in actiua Dei potentia fundata. Ad probationem, autumamus, assumptũ de particulari agente verum esse, non autẽ de vniuersali; cum vniuersali agenti correspõdeat solum potentia, quæ terminorum non repugnantiã præsefert. Et ad huius

probationem, quoniam agens, & patiẽs sunt correlatiua, &c. affirmamus, patiẽs agenti infinitæ virtutis correspondens esse omne, cui non repugnat esse.

Ad vndecimum asserimus, Deum liberè res omnes produxisse, & negatur consequentia: Ad probationem iterum consequentia negatur; quoniam licet Deus, res in maiori numero, maioriq; perfectione producere possit; attamen rerum productarum à Deo volitarum, causam assignare possumus, non ex parte actus volendi diuini, sed ex parte rerum volitarum, vt docet D. Th. 1. p. q. 19. ad 3. Et ibi Caiet. explanat, exempli gratia: Deus vult hominem manus habere, vt deseruiant intellectui diuersa opera per agenti, & vult habere intellectũ, ad hoc vt sit, & vult esse hominem ad vniuersi perfectionem, & vt ipso Deo fruetur: & ideo Caiet. vultq. istæ ꝑpōnes sunt veræ, & propriæ. Hoc est propter hoc, & Deus vult hoc esse propter hoc, & hoc est à Deo volitum propter aliud ab ipso volitum.

Ad duodecimum dicitur, creationẽ non esse propriè actionem, vt dictũ est, quia actio est cum motu, creatio autẽ est sine motu. Secundò admisso, creationem esse actionem, & creans esse agẽs; negatur agens vniuersale nõ posse creare, sine patiente Physic. & reali, quod est subiectum; & ad probationem, quia sunt correlatiua, iam dictum est correlatiuum agentis vniuersalis, non esse patiens Physicum, & reale, sed esse nõ repugnantiam terminorum.

Ad decimumtertiũ respõdetur, Deũ determinare se ad producendum hoc & illud, secundum quod condecet bonitatem suam, vt docet D. Th. 1. p. q. 19. ar. 2. & 2. cont. gent. cap. 26. & 27.

Ad decimumquartum respondetur dupliciter: Primò secundum Caiet. 1. p. q. 25. a. 1. Creationem esse actionem transeuntem formaliter, in Deoq; subiectiuè esse, sicut & omnis actio in suo est agente, & negatur, actionem transeuntẽ vniuersalis agentis aliquod supponere subiectum. Secundò respondetur, Creationem formaliter esse actionem immanentem, verum virtualiter esse transeuntẽ, hoc est, ista actio immanẽs hẽt actionis trãseuntis efficaciã, iuxtà illud, dixit, & facta sunt. Et hanc responsionem sequitur Caiet. loco nunc citato, Ferr. secũdo contra gent. cap. primo, 16. & 23. & Dominicus Bannes 1. p. q. 45. ar. 3. & ante omnes Capræolus secundo sent. d. 1. q. 1. Verum negatur, si Dei actio, sit æterna modum effectum esse æternum, & ad probationem respondet D. Th. 1. p. q. 46. ar. 1. ad 10 affirmans, istã propositionem: Cuius actio est æterna, eius effectus est æternus, non esse veram de agente voluntario, licet possit esse vera de agente naturali, vt affirmat in responsione ad nonum. Et ratio est, quia effectus sequitur agentis actionem secundum exigentiam formæ, quæ est actionis principium: Hæc autẽ forma, quæ est actionis principium, in agentibus per voluntatem, est id, quod conceptum, & prædiffinitum est: idcircò ex æterna Dei actione, nequaquam sequitur æternus effectus, verum qualem Deus voluit, videlicet vt in tempore esse habeat, & ideo illa propositio absoluté vera est de agẽte naturali; non autem de libero.

Aduertendum est, hanc propositionẽ ita formaliter à quibusdã Thomistis distingui: Actio ęterna duplex, altera æterna, & pro æterno, altera æterna, sed non pro æterno verũ pro tpe: Tũc aiũt, actionẽ æternã, & pro æterno, effectũ habere æternũ, actionẽ aũt æternã, sed nõ pro æterno, minimè æternũ habere effectũ: At cõtra hanc responsionẽ, quocũq; mõ formetur, ità ab aliquibus arguitur. Istę responsiones concedunt, Dei actionẽ ęternã esse; Tũc sic, aut actio formaliter, vt actio est, ab ęterno est, aut actio materialiter hoc est, vt res quędã est, ab ęterno est, si, ut actio, est formaliter, sequitur Deũ eẽ ab ęterno agẽtẽ, & creatorẽ, tũc sic: ergo ab ęterno est aliqd creatũ, actu què cãtum, cõsequẽtia nota ex Arist. docente 2. phys. & 5. met. causas singulares in actu, inquantum causę sunt, & effectus, simul esse, & nõ eẽ: si aũt Dei actio

non vt actio formaliter sed vt res quædam est, ab æterno est; ergo Deus ab æterno est causa agens in potentia, & postmodum, in tempore factus est formaliter, causa agens in actu, quod est valde absonum.

Respondet Caet. loco adducto, & asseuerat, cum magno iudicio, esse respondendum, ne astruamus, vel Deū ab æterno extitisse causam tantum in potentia, quod explodit D. Th. 2. contra gent. ca. 5. vel asseramus, Deum esse creantem mundum ab æterno, quod est erroneū, quoniā tunc mūdus esset ab æterno qđ etiam esset hæreticum, quia sicut creatiuum, dicitur ad creabile, ità creans ad creatū, & ità; sicut creans, vt creans esset æternū, ità creatū, esset æternū: quapropter media via incedendum est, & affirmandum distinguendo, Dei actioné formaliter sumptam, duobus modis, cōsiderari posse; altero modo, quātum ad id, quod actio, vt actio, in ipso agente, ponit; altero modo secundum id quod actio, in quantum actio ex se passioné, vel effectum infert. Primo modo, Dei actio, actu est in Deo ab æterno, & propter hoc, Deus non est causa in potētia, sed in actu ab æterno: Secundo modo autem actio, vt actio, ab æterno minimè in Deo est, & propter hoc, Deus ab æterno, nullo mó est creans, vnde nec mūdum creauit ab æterno nec modo, hominis futuri creat animam. Et si sciscitaris, quomodo illatio effectus, vel passionis in Deo est ab æterno, est ne actu, vel potentia? Respondetur hanc illationem nunquam esse in Deo formaliter, quia de re, hæc illatio non fuit, nec erit in eo formaliter, verum in Deo est, in actiua potentia. Etenim, inconueniens est, ponere in Deo aliquid in potentia, de illis, quæ in eo formaliter existunt. Sed illa omnia ab æterno, actu in ipso fuerunt, & hac de causa asseruimus, actionem secundum totum id, quod in agente formaliter ponit, in Deo ab æterno fuisse.

Ad decimumquintum negatur sequela. Et ad probationem negatur, si Deus omnia immediatè produceret, omnia æquè, & bene se haberent, vt docet Di. Thom. tertio contra gent. capi. 77. & prima parte quæstione centesimatertia, articulo sexto. Et inter alias rationes hęc vna est; quoniam maior perfectio est, aliquid esse in se bonum, & esse etiam, in alijs bonitatis causam, quam, si esset solūmodo in se bonum; idcircò, Deum alijs conferre causandi potentiā ipsum esse maximè bonum ostenditur.

Ad decimūsextū respondetur. Arist. in illo libro 5. Met. explanasse solum nomina famosa inter quæ non est creationis nomeū, & non assumpsit prouinciā distinguēdi, & explanādi oīa nomina, sicut neq; etiam distinxit ista nomina, experimentum, à disciplina &c.

AN DEVS, AD MENtem Arist. sit causa efficiens, nedum finalis omnium entium, tám incorruptibiliū quám corruptibilium.

Quædam falsa quorundam Auerroistarum opinio, cum suis fundamentis recitatur.

Cap. 151.

Circà hanc difficultatem, quatuor agenda sunt. Primò duo animaduertenda sunt pro huiusmodi dilucidatione. Secundò adducēda est falsa opinio aliquorum Commentistarum cum suis fundamentis. Tertiò adducēda est vera Thomistarum opinio, cum suis rationibus. Quarto aduersariorum argumenta diluenda sunt.

Quòad

Quò ad primum. Duo animaduertenda sunt. Primò aduertendum est, Thomistas, & Commentistas conuenire in hoc, quod est, Deum esse causam finalem omnium entium tam incorruptibilium, quàm corruptibilium: dissentire in hoc, an Deus sit causa efficiens istorum omnium. Nam aliqui Commentistæ negant Deum esse omnium entiũ effectricem causam ad mentem Aristo. Thomistæ autem deffendunt, Deum esse omnium entium causam effectricẽ, nedum finalem, & hoc est, quod instituimus inquirere, & determinare.

Secundò aduertendum est, Thomistas & Commentistas in hoc ẽt conuenire, Deum esse causam effectricẽ, & finalem omnium entium generabilium, & corruptibilium: Discrepare aũt in hoc; nã Thomistæ affirmãt Deũ esse causam ẽt omnium incorruptibilium effectricem. Commentistę autem hoc negant: Inter quos est Gregorius Ariminensis 2. sen. d. 1. sectans Commentatorem. 12. Met. Com. 41.

Quò ad secundum principale. Commentistæ confecerunt vndecim argumenta desumpta ex auctoritatibus Aristo. quorum primum, tale est. Arist. in 8. Phys. & in libro de Cęlo, & mundo, & 12. Met. sustinet motum perpetuum nec fieri, nec corrumpi; & per consequens, non habere causam efficientem. Tunc vltrà, ergo nec Cęlum, nec intelligentia ipsum Cęlum mouens, causam habebunt efficientem, sequela probatur; quoniam minus videtur habere causam effectricem, mobile æternum, quam eius motum, & adhuc minus motus, quàm mobile. Si ergo motus perpetuus causam effectricem minimè habet, multò minus mobile; & mouens æterna, huius mobili causam habebunt.

Secundum. Habet Aris. primò de Cęlo, quod omne genitũ, & corruptibile potest non esse, vt patet in text. 124. sed omnia incorruptibilia non possunt nõ esse; ergo non sunt facta ad mentem Aristo. Et si responsum detur Aristo. loqui de genito, & facto cum duplici conditione, scilicet, in tempore, & per transmutationem, adeò, ut maior propositio ità intelligatur: Omne genitum, & factum in tempore, & per transmutationem est corruptibile, & potest non esse, tunc negatur minor subsumenda; sed entia incorruptibilia, vt sunt intelligẽtię, & corpora cęlestia, secundum Aris. sunt in tempore per trãsmutationem genita, & facta. Verum hoc responsum non videtur Arist. intentioni, illis in locis satisfacere, eò quoniam Arist. lib. 1. de Cęlo, & mundo tex. 120 & 122 & 124. accipit genitum, & corruptibile, quatenus ingenito, & incorruptibili, opponit. Sed apud ipsum, vt patet in text. nunc citatis ingenitum dicitur, quod nullo modo incępit, & de quo non potest dici; nunc est, & prius non fuit: Incorruptibile autem nuncupatur, quod nullo modo desinere potest, & de quo, non potest dici, nunc est, & posterius non erit: ergo apud Aris. genitum appellatur, quod incępit esse, quomodocunquè incęperit, corruptibile autem quod aliquando desinit esse, quomodocunquè hoc fiat.

Tertium. Arist. 2. Met tex. Comm. 4. habet ista verba. *Quapropter semper entium principia semper esse verissima, necesse est; non enim quandoquè sunt vera & quandoquè non, nec illis causa, aliquid est vera, vt sint, sed illa aliis* Ex his verbis colligitur prima principia corporũ cœlestium, quæ sunt intelligentiæ, non habere aliquam causam, vt sint; ergo non sunt à prima causa producta.

Quartum. Aristot. quinto Metaphy. text. sexto, in fine hæc verba scribit, *Horum quidem*; scilicet, necessariorum; *altera causa, essendi necessaria est*, *aliorum vero nulla*. Ecce; ergo ad mentem Arist. esse multa necessaria nullam causam habentia, dum asserit; aliorum vero nulla.

Quintum. Aristo. duodecimo Metaphysi. text. trigesimo ostendit, substantias separatas esse sinè materia, nullam in se passiuam, habere potentiam, ita contestans. *Oportebit ergo esse principium*

ripium tale, cuius substantia est actus. Amplius ergo tales oportet esse substantias sine materia. Ex quibus verbis ita arguitur; si omnes substantiæ separatæ aliquam potentiam passiuam in se minimè habent; ergo sunt suũ esse; ergo habent esse per essentiam, & non per participationem; ergo non habent causam sui esse; ergo &c. Prima cõsequentia suadetur ex opposito consequentis. Nam non sunt suum esse, sed esse est distinctum ab essentia; ergo esse actus rationem habebit, & essentia passiuæ potentiæ rationem, hoc autem est contrà Aris. quapropter necesse est, si in substantijs separatis non est aliqua potentia passiua ipsas, substantias separatas omnes esse suum esse: aliæ verò consequentiç notç sunt ex doctrina D. Thom. prima parte quæst 44. art. primo.

Sextum. Postquam Aris. duodecimo diuinorum. tex. 41. concludit, dari substãtiam sinè magnitudine impassibilem, & inalterabilem, mouentem tempore infinito, & infinitę virtutis; postmodum, in tex. 42. mouet quæstionem, an talis substantia sit vna, vel plures. Et determinat in tex. 43. esse plures tales substantias: ergo ad mentem Aris. sunt plures substãtiæ infinitæ virtutis; ergo plures substantiæ dantur ad mentem Arist. independentes, seu non productę, sequela probatur: quoniam hac de causa affirmamus Deum esse infinitæ virtutis, quia virtutem suam habet independentem, & sine causa. Et cõfirmatur. Aris. in tex. 44. fatetur plures esse substantias, natura sempiternas, & immobiles secundũ se, sine magnitudine, propter dictam causam, quam causam exponit D. Tho loco superius assignato, quia scilicet, mouẽt tempore infinito, & per consequens, virtute infinita. Ex quib. verbis colligitur, omnes substantias separatas esse infinitæ virtutis, ac per hoc, infinitę perfectionis: ergo non effectiuè ab aliquo fuerũt productę. Sequela probatur: quoniam quod est effectiuè ab aliquo, nequaquã infinitam perfectionem habet.

Septimum. Aris. 9. Met. tex. 21. & 22. & 12. Met. tex. 41. 42. & 43. ait: Ecce quædam entia in se formaliter incorruptibilia, & necessaria, vt sunt omnes intelligẽtiæ: sed implicat aliquid esse intrinsecè necessarium, & ab alio habere esse effectiuè; ergo intelligentię non habẽt causam effectricem. Minor propositio suadetur: quoniam necessarium formaliter semper est, & non põt nõ esse, quod autem causam habet effectiuam, & ab alio fit, potest non esse, tùm per subtractionem causæ efficientis, tum quia non habet in seipsum principium sui esse necessarium.

Octauum. Arist. 9. Meta. textu 18. ait, in perfectis idem est esse, & posse, & qd in eis nõ est potẽtia ad esse distincta ab ipso esse: at si perpetua effectiuè sunt à Deo, habent potentiam ad esse, & nõ esse: ergo perpetua non sunt ab alio effectiuè.

Nonum probat materiam primam non esse productam. Arist. primo Phy. tex. 34. sequens communem Philosophorum sententiam affirmat, ex nihilo nihil fieri. Ex quo infert, in omni factione aliquam substantiam esse supponendam. Hæc autem prima substantia nuncupatur materia prima, ex qua omnia fiunt; ergo materia prima nõ fit à Deo.

Decimum. Si mundus totus esset factus, secundum simplicem emanationem factus esset: at ad mentem Aristo. similis emanatio minimè da': ergo totus mundus non est factus. Quod autem simplex emanatio, ad mentem Aristot. non detur ostenditur ex hoc, quia tunc processus Arist. quo probat. 8. Phys. motus æternitatem esset frustrà: quoniam data illa simplici emanatione, nullum sequitur inconueniẽs, vt patet, illum processum intuentibus.

Vndecimum. Arist. vbicunquè causam agentem diffinit, eam per esse principiũ motus diffinit, vt patet secundo Physicorum, & quinto Metaphy. ergo secundum ipsum, omne efficiens per motũ agit, sed æterna non possunt esse per motum producta, alioquin non essent

sent æterna: ergo &c. Hæc quò ad secundm.

Deum esse omniumu entium causam effectricem, ad mentem Aristotelis demonstratur à D. Tho.
Cap. 152.

QVò ad tertium principale. D. Th. prima parte q. 44. art. 1. de potentia Dei. q. 3. ar. 5. 2. contra gen. capite 15. quem sequuntur oẽs penè Thomistę, inter quos est Capręolus 2. sen. d. prima q. 2. conclusione quarta, Caiet. 1. parte q. 44. ar. primo Paulus Soncinas. duodecimo Metaphysic. quæstione decimasexta Ferr. 2. contra gent cap. 15. in fine. Iauellus. 12. Met. tex. 28. Bãnes 1. p. q. 44. ar. primo. Isti omnes vna cum D. Th. sustinent, & deffendunt ad mentem Arist. Deum esse entium omnium, tàm incorruptibilium, quam corruptibiliũ causam effectricem, & hanc suam sententiam septem rationibus ex Aristote. auctoritatibus collectis demonstrant.

Prima ratio. Arist. 8. Phys. text. 15. reprehendens Democritum, & Empedoclem existimantes nulli rei sempiternæ aliquam causam esse assignandam, sed tantum his, quæ de nouo incipiunt esse ita contestatur. *Quod autem in omnibus, non rectè, etenim trigonum semper habet duobus rectis, æquales angulos, sed tamen ex perpetuitate huiusmodi altera causa*; hæc Arist. Ex quib. verbis manifestè patet, aliqua semper entia, vt sunt corpora cœlestia, & substantiæ separatæ, sui esse causam habere, quę non potest assignari nisi primum principiũ, vt ibi exponit D. Tho.

Ad hanc rationem Commentistę triplex afferunt respõsum, vt patet in Gregorio Ariminensi. 2. sent. d. prima articulo primo, & primũ responsum est. Aristot. intendit de complexis, quæ sunt sempiternæ veritatis, & sunt conclusiones demonstrabiles, & ideo dat exemplum de hoc complexo demonstrabili: Triangulus habet tres angulos &c. hoc autem in loco inuestigamus de incomplexis æternis incorruptibilus, vt de Cęlo, & intelligentijs.

Secundum responsum. Admisso Arist. sermonem habere de incomplexo, hæc consequentia nihil valet. Hoc incomplexum habet causam; ergo causam efficiẽtem; potest enim causam habere finalẽ, & hoc pacto Aristo. concedit; Entia incorruptibilia, & prima principia habere causam finalem.

Tertium responsum. Admisso Arist. sermonem habuisse de æterno incomplexo, & de causa efficiente, non tamen intendit loqui de æterno permanente, sed successiuo, vt patet in text. allegato; nam ibi sermonem instituit de motu æterno, siuè continuo, siuè interpolato, de quo constat esse æternum successiuum, & concedimus, hoc æternum successiuum habere causam effectricem secundum Arist. scilicet, intelligentiam æternam mouentem.

Primam responsionem reprehendit Caieta. loco citato, quem postmodum sequuntur alij Thomistæ Iauellus, & Bannes tali ratione Arist. eò loci, loquitur cõtra Democritum, & de principio motus æterni, volens, rei æternæ quęrẽdam, & assignandam esse causam, & ad hoc manifestandum, exemplum adduxit de Triangulo tres angulos habente, modo constat, æternum motum non esse quid complexum, sed incomplexũ.

Secundò. Caiet. peculiari rõne hanc redarguit respõsionem tali modo. Causa complexorum in essendo est causa illius esse in rerum natura, quod affirmationi, vel negationi subiacet, hoc autem esse, non est nisi in anima, quod cõstat esse incomplexum. Nam species intelligibilis complexum representans est simplex, & incomplexum, cum sit quoddam accidens particulare, & valdè simplex.

Contrà secundam respõsionem trifariam instatur. Primò licet absolutè, & formaliter, non valeat ista sequela; hoc habet causam; ergo causam effectricem, valet tamen in subiecta materia

materia etenim complexum, quod est demonstrationis conclusio, vt trigonū habet tres, hēt cām; ergo habet cām effe ctiuam; quoniam propositiones, ex qui bus conclusiones deducuntur, sunt cau sę conclusionum effectrices, vt habetur secūdo Phy. Secūdò Aris. in loco pdicto de æterno motu non continuo sermonem habet, sed per quietis interpositionem, vt astruebat Empedocles, & Aris. quærebat causam mouentem litem, & amicitiam, ad causandum motum æter num interpolatum. Hanc autem constat esse causam effectricem.

Tertiò. Aduersarij concedunt, omne ens habere causam finalem; ergo ne cesse est, vt fateantur omne ens habere etiam causam effectricem. Quòd probatur ab Herueo quodli. 2. q. 1. Omne quod habet causam finalem, habet id cuius gratia, factum est. Hæc propositio patet ex causæ finalis diffinitione 2. Phys. & 5. Met. habita; nam causa fina lis est illa, gratia cuius aliquid fit; at secundum prædictam responsioné, Cœlum, & intelligentiæ causam habent fi nalem; ergo Cęlum, & intelligentiæ habent illud, cuius gratia facta sunt, & ita habent causam productricem, ex eò quoniam finalem causam habent.

Contra tertiam responsionem ità instatur: Aristo. illo in loco, assumit hāc vniuersalem ad reprehendendum Democritum, & Empedoclem existimātes aliquid esse principium, & cām, & tamē habere causam, hac ratione, qa sem per est, ac semper fit; quæ quidem propositio potest applicari ad æternum per manens, & successiuum, cum sit vniuer salis: In signum huius Arist. illam appli cauit ad triangulū tres angulos haben tem. Triangulus autem connumerat inter permanentia, & non inter successiua entia: falsum est ergo Arist. tantum ibi loqui de æterno successiuo.

Secunda rō. Aris. 2. Met. tex. 4. scribit hęc verba. *Vnumquodq. verò maximè ipsum, aliorum dicitur, secundum quod & in aliis inest vniuocatio, vt puta ignis calidissimus etenim est causa aliis, hic ca loris quare, & verissimum, quod posterioribus causa est, vt sint vera.* Sed per eū dem Aris. 12. Meth. tex. 37. Deus est ma ximè ens, & verum; ergo Deus est cau sa omnium effectiua. Hanc etiam rationem adduxit D. Tho. 1. p. q. 44. ar. 1. in corpore.

Ad hanc rationem respondēt Commē tistę, vt videre est in Gregorio Ariminē si, dicentes Deum esse quidem maximū ens, ex consequenti esse omnium entiū causam, verum negatur ista sequela; ergo est causa effectiua.

Verum hæc responsio ostenditur nō esse ad mentem Aristo. ex quadruplici capite. Primò Aris. in isto tex. comparat primum ens primo calido, in vniuersa li caliditate; at notissimum est, ignem esse omnis caloris causam effectiuam; ergo primum, & maxime ens est omnis entis effectrix causa, aliter comparatio nulla esset.

Secundò. Falsum dicunt Commentistæ, intentionem Philosophi esse, primū ens esse tantum causam finalem, omniū entium conseruatiuam, cum in illo tex. Aris. nullam faciat mētionē de finali cā.

Tertiò, vt iam in superioribus asser tum fuit. Si Deus est omniū entium finalis causa, necessarium est etiam, vt sit omnium entium causa effectiua.

Quartò, vt probat D. Thom. de potentia, q. 5. ar. 1. in corpore, & in responsione ad argumēta, & præcipuè ad primū. Eadē est cā, quę est cōseruatiua, & effectus productiua in esse; si ergo oīa s m Cōmentatorē à Deo dependent, in esse conseruatiuo, pari rōne, in esse effectiuo depēdēt; cū itaq; ipsi fateantur, Deū esse cām oīum entiū cōseruatiuam, necesse est, vt etiam fateantur, Deum esse causam omnium effectricem.

Tertia ratio. Aris. in supradicto text. iuxta oīum aliorum interpretationē in tendit tale axioma: Omne qd est tale per essentiā, est omniū aliorū causa, quę sunt talia p participationē; vt manifestū est in exemplo adducto de maximo ca lido, & de alijs calidis: Nam maxime calidum est tale per essentiam, alia

verò

vero per participationé, sed illud, quod est maximè tale est causa omnium effectiua, vt optimè exponit Caiet. 1. p. q. 44. articu. primo, quoniam cum naturalissimum sit vnicuique agenti, agere sibi simile efficiéter, multò magis quod erit tale per essentiam aget effectiuè. Ex his omnibus conspicuum est, illam propositionem intelligendam esse, de causa effectiua, & non solum de causa finali. Et hanc rationem docuit D. Th. 1. p. q. 44. ar. 1. & de his vide Caiet. eo loci.

Quarta ratio. Arist. 5. Met. cap. de necessariò tex. 6. hæc habet verba. *Horum itaquè quidem altera causæ esse di necessaria, horum autē nullas; sed propter hæc alia sunt ex necessitate.* Ex quib. verbis colligitur, vt docet Caiet. loco citato duplex esse necessarium; alterum necessarium ex se, alterum ab alio; & vult necessarium ex se esse omnino simplex; & vt ibi videre est, hoc necessarium simplex est Deus, quod quidem necessarium est ex se necessarium, vt contéstantur etiam Theologi, omnia verò alia necessaria à Deo effectiuè esse habent.

Ad hanc rationem bifariam respondet Gregorius Ariminensis vbi supra affirmans Philosophum loqui de necessarijs complexis, quæ sunt demonstrabiles conclusiones, quarum causæ sunt principia complexa: ut huius conclusionis causa: homo est risibilis, est hæc; Homo est rationalis.

Secundo dicit, hanc consequentiam non valere: Necessaria habent causam; ergo habent effectricem causam; nam habent tantum causam finalem.

Contrà primam responsionem arguitur ostendēdo ipsam esse falsam; ex eo, quoniā licet Aris. de necessarijs complexis mentionem fecerit, non tamen stetit solum in illis, verum etiam sermonem habuit, de incomplexis. *Etenim postquā asseruit horum quidem, alteram esse causam, &c.* statim subintulit. *Quare primum, & propriè necessarium quidem simplex est.* Hæc Arist. & secundùm vniuersalem interpretationem Aristot. loquitur de prima causa, quæ est Deus; quoniam esse primum necesse, & absolutè simplex sūt ipsius Dei proprietates.

Secunda respon. destruitur ex duplici capite, vt & in superiorib. probatum fuit, tùm quia licet illa sequela non valeat formaliter, valet tñ in subiecta materia: qm̄ præmissæ sunt ipsius conclusionis effectrices causæ, tum quia valet ista consequētia formalis, habent causam finalem; ergo etiā habent cām effectiuā, vt sup. demonstratum fuit.

Quinta ratio. Arist. primo Met. c. 2. aperte cōtestatur, Deum esse omnium tùm causa, tùm principium; ergo &c.

Sexta ratio. 12 Met. tex. 38 asserit Aris. à Deo dependere Cœlum, & naturā; sed Cœlum est incorruptibile; ergo &c.

Istis duabus auctoritatibus Auerroistæ non posũt alio modo respondere, nisi affirmare, Deum esse cām omnium finalem, Celumquè; & naturam à Deo pendere in genere finalis causæ, non autem in genere effectricis causæ; verum illud responsum iam fuit explosum.

Septima rō. Secundum Aristo. 12. Met. 52. Deus est cā ordinis vniuersi, nam ibi appellat Deum vniuersi Ducem; ergo Deus est ipsarum rerum effectiua causa, ex quib. vniuersum constituitur. Sequela probatur: quoniam quod est passionis causa, est etiam subiecti causa; at vniuersi ordo est potiū ipsius passio; ergo si Deus est ordinis effectiua causa, erit etiam omnium rerum, ex quibus vniuersum constat, causa effectrix.

In præsenti controuersia Auerr. sententiam relinquimus, tanquam omnino incertam, etenim, vt refert D. Thom. 8. Phys. tex. 21. & 12. Meth. tex. 41. Auer. tenet contra Alexandrum comēto 41. Cœlum non habere esse perpetuum ab altero, licet eius motus sit perpetuus ex altero. In libro autem de orbis substantia, confitetur Auer. Deum esse Celi causam, non solum quantum ad eius motum, verum etiam quantum ad ipsius substātiam, quia à Deo habet esse perpetuum.

Ex quibus exploratum habemus Auer. in

in hac controuersia fuisse sibi inconstan tem, Hæc quò ad tertium principale.

Diluuntur omnia Auerroistarum argumenta, contrà sententiam nostram militantia.

Cap. 153.

QVò ad quartum principale. Ad primum argumentum respō det Herueus quodl. 1.q 1.fieri duobus modis accipi: altero modo pro eo, quod est habere esse ab alio effectiuè cum nouitate essendi,& hoc modo, nec motus est æternus, nec aliquid aliud æternum potest dici fieri;quoniam habere esse ab alio effectiuè cum nouitate essendi,& esse æternum contradicunt. Altero modo sumitur fieri pro eo,quod habet ab alio esse effectiuè sine nouitate essendi, & isto modo certum est apud Arist. motum æternum habere causam effectricem;& ideo Aristo. probat 12.Meta. intelligentias semper actu mouere ab æterno suos orbes.

Secundo respond. communissima,sed verissima respon Motum æternum non causari per transmutationem, vt probāt rationes Arist.8.Phy.causatur tamen per simplicem emanationem.

Ad secundum dicitur,responsionem adductam esse rationi consonam. Ad improbationem respō.illos terminos genitum,& ingenitum, corruptibile,& incorruptibile esse quidem accipiendos ad mentem Aristo.eo modo,quo argumentum probat,veruntamen; quoniam aliqui Poetę Theologizantes,contrà quos arguebant Arist.& Plato,vt Platonis verba in Timeo præseferre videbantur,dum volunt vniuersi ordinem esse ex elementis inordinatis factum, non probant nisi productionem,& desitionem,quæ sunt per transmutationē; idcircò apud ipsos Theologizantes, idem erat nullo modo incipere esse,& non incipere esse per transmutationem; & idem erat incipere esse absolutè, & incipere esse per transmutationem, & eodem modo asserendum est de desitione,qua de re Aristo.contra ipsos arguit, nō posse esse aliquod genitū, & incorruptibile.

Ad tertium responde. quintupliciter. Primò respond. Herueus loco citato. Illa verba, scilicet, nec illis aliqua causa est,vera vt sint, sed,illa alijs,esse intelligenda cum reduplicatione,vt sensus sit; Non habent causam; inquantum talia, idest,inquantum causæ, sed sunt causæ alijs;quoniam inquantum talia, idest, inquantum sunt principia,& causæ,nō habent causam,non autem intelligenda esse simpliciter, ita vt sint plura principia semper existentia, quę non habeant causam.

Secundò respon. Accipi ibi plurale pro singulari. Sicut aliquid quod vni soli cō uenit accipitur cum signo distributiuo, & significatur, quod omnis causa prima est talis conditionis, vt nihil ante se habeat,& ista est Aristo consuetudo,quā do loquitur de separatis,sępe se transfert à plurali ad singulare,& econuerso, vt conspicuum est.12.Met.tex.30. vbi ostē dit substantias separatas esse sempiternas,& sinè materia,& semper actu mouentes. Et ratio huius ab Herueo assignatur,quoniam Aristot.sermonem habet de omnibus separatis tanquam de vno genere,parum distinguēs inter ea, propter maximam à sensatis elongationem. Et quod oporteat,illam auctoritatem intelligi modo explanato, in ista secūda respon.ex eò patet;quoniam aut intelligitur de principijs in cognoscendo,quæ sunt propositiones, aut de principijs in essendo; si primo modo non est ad propositum,quia non quærimus nisi de principijs in essendo; si secūdo modo,quando dicitur plura esse principia semper existentia,quæ non habent causam,& ipsa sunt causa alijs,si intelligitur de causa efficiente, & plurali, accipitur pluraliter;ergo aliqua semper entia habent causam efficientem secundum Aristo.quod est contrà ipsos: si de causa finali;ergo sunt plura semper existentia, quæ non habent causam finalem,

ens,inquantum ens. Ens quidem simpliciter fit ex ente,quod est pura potentia: Ens autem inquantum ens, fit per se ex non ente simpliciter,& idcò falsum est id,quod affirmat Caiet. si(ex) subiectum denotaret,ratio nihil concluderet, imò asserimus illam rationem optimè côcludere. Et non potest dici,si fit totum ens per se,inquantum ens,ex ente in potentia fiat,vt ipsemet fassus est;cum necessariò fiat ex non ente penitus,& vt ipse dicit, , ista ratio est demonstratiua, hoc ens fit per se ex non hoc ente: ergo totum ens,inquantum ens,fit per se, ex penitus non ente, ex communi factionum ratione;proportionaliter applicata. Ad secũdum,scilicet,ad verba D.Th. dicimus primò. In productione particulari verum est(ex)sumi, vt dicit post,nô tamẽ solum,sed etiam vt dicit subiectũ, vt optimè declarat D.Tho. primo phys. tex.78.ad mentem Arist.Nam dum dicimus,homo fit per se ex non homine in potentia,hæc præpositio (ex)subiectum denotat;ideo falsum est, in productione particulari(ex) semper,& solum denotare post. Secundò dicimus;Aliud est sermonem habere de particulari productione, & aliud de vniuersali emanatione. De emanatione particulari,detur, sed non admittatur(ex)dicere post, non tamen concedendum est sermonem habendo de vniuersali totius entis emanatione. Nam ista præpositio, ex, potest denotare,& ordinem,& subiectum, negatum tamen, vt superius in hac quæstione asseruimus.

Secũda conclusio. Datur creatio sine nouitate essendi ad mentem Arist. quæ ita suadetur Mundus est æternus, & à Deo factus ad mentem Arist. sed vtrũquè nô potest esse nisi per creationem æternam: ergo &c. Prima propositio quo ad vtramquè partem pro nunc supponitur,quoad primam partem, iã probata est in quæstionibus de mundi æternitate,quo ad secundam partem,in quæstione de efficientia rerum à Deo, ad mentem Arist.demonstrabitur, & hęc quæstio erit sequens. Minor etiam quo ad vtramquè partem,notissima est ex rationibus terminorum.

Tertia conclusio. Datur creatio cum nouitate essendi ad mentem Arist. Verũ antequàm demonstretur tria supponẽda sũt,ad aures ipsius Arist. Primũ est: Anima intellectiua est immortalis, humaniquè corporis est vera forma,ei cõferens esse; Hocquè probatum est in quęstione de immortalitate animę ad aures Arist. Secundum est: Animæ humanæ non fuerunt ante corpora; hoc suppositum docet Arist.12.meth.tex.16. Tertiũ suppositum. Cum asserimus per creationem totum ens produci,nomine totius entis intelligimus non solum totum vniuersum,verum etiã totum aliquod ens particulare,quod dicitur creari, quãdo fit ex nihilo,idest, post sui nihil, seu fit non ex aliquo,vel non de aliquo sui. Et quoniam formæ corruptibiles, quæ de materię potentia educuntur, fiunt vel ex materia,quæ est aliquid formæ, ab ipsa eductæ, cum ipsa forma in potentia materię contineatur,non dicuntur creari. Anima autem intellectiua,quia non est in potentia materiæ; idcircò nõ educitur de eius potentia; quapropter fit de nihilo,idest fit post sui nihil,seu fit non de aliquo sui; idcircò pprìè dicitur creatio,licet in materia fiat, sicut,etiã oẽs alię formæ substantiales fiunt in materia, & ex materia. Istis suppositis ità conclusio demonstratur:Anima intellectiua est immortalis ad aures Aristo.vt patet ex primo supposito ad aures Aris. ergo non educitur de potentia materiæ: ergo de nihilo fit:ergo creatur, sed non creatur ante corpus, ex secundò supposito:ergo creatur de nouo quando corpus generatur. Prima sequela nota est ex consequentis opposito,quia cum omnis forma,quæ de potẽtia materiæ educitur fit mortalis; si anima intellectiua de potentia materię educeretur, esset mortalis;hoc autem repugnat antecedẽti. Secunda sequela suadetur à sufficienti diuisione. Anima intellectiua, aut fit ex nihilo, aut educitur de materię potentia;non enim datur aliud medium: si ergo

si ergo non educitur de potentia materiæ; ergo fit ex nihilo. Tertia sequela nota é ex creationis ratione. Reliqua aperta sunt ex suppositis; & ista sufficiant, quo ad tertium principale.

Octo diluuntur argumenta contrà præfatam veritatem.

Cap. 149.

QVò ad quartum principale, in quo Auer. & Auerroistarum argumenta diluenda sunt.

Ad primum itaquè respondet D. Th. 1. p. q. 46. ar. primo ad quartum negãdo sequelam, eo quoniam ad vacui rationẽ nequaquam sufficit in quo nihil est, verum requiritur etiam vt spacium sit in rerum natura corporis capax, in quo non sit corpus, & hoc docet Arist. quarto phys. & ideò ad probationem secũda negatur propositio, scilicet vacuũ est, vbi nullum est corpus, nam omittitur spacium in illa vacui diffinitione, quod tamen est necessariò ponendum, ad mẽtem Arist. dicit itaquè D. Tho. vbi nunc est Mundus, licet nullus adesset corpus, tamen ibi non erat vacuum, cum nec etiam ibi esset spacium.

Ad 2. & 4. simul respondetur à D. Thom. 3. p. q. 1. ar. 1. ad primũ, astruens talem doctrinam: Incarnationis mysterium non est impletũ per hoc, vt Deus sit aliquo modo à suo statu, in quo ab æterno fuit, immutatus, verum per hoc, qm̃ nouo mdo se creaturæ vniuit, vel potius eã sibi. Est autem conueniens vt creatura, quæ secũdũ sui rationem, mutabilis est, non semper eodem modo, se habeat, & ideò, sicut creatura incœpit esse, cum prius non esset, ità conueniẽter cum prius non esset vnita Deo in ꝑsona, postmodum ei fuit vnita. Hæc D. Thom. ex quibus colligitur hæc propositio conspicua: Deus eodem modo se habens creaturã produxit & ꝓducit, secundum Aristo. nulla facta in Deo mutatione, verum increatura. Et formaliter dando responsum ad secundum, negatur sequela, & ad eius probationem, negatur assumptum, & ad primam probationem, negatur illud, quod fit de nouo, nõ possit proximè creari ab eo, quod eodem modo se habet. Ad secundã probationem dicitur, licet illud, quod generatur prius ab aliquo corporeo alteret; non tamen quod creatur prius ab aliquo alteratur. Similiter ex his patet responsio ad quartum; negatur enim consequentia, & ad probationem dicitur, Deum semper eodem modo se habuisse ab æterno, quo etiam modo, se habuit, quando Mundum creauit, & semper se habebit, cum impossibile sitq; Deũ aliquo modo mutari, sed negatur illa sequela; ergo ab æterno nõ creauit Mũdum, cũ Deus absquè sui mutatione voluerit ab æterno mundum producere.

Ad tertium asserimus, primam propositionẽ verã esse de particulari factione, seu de physica productione, quæ est per motum, non autem veram esse de totius entis factione, vel de Methaphysica productione, quæ est sine motu physico, qualis est creatio, vt docet D. Tho. prima parte q. 45. ar. 2. ad secundum Nã ibi docet, creationem non esse propriè mutationem, nequè cum motu actionẽ eo quoniam, quod mutatur nunc aliter se habet, quã prius se habebat: Similiter, quod mouetur, nũc aliter se habet, quã prius se habebat, & ita, quod propriè mouetur, propriè què mutatur, est aliqd̃ subiectum suppositum, quod mouetur, & mutatur: at in creatione, (cum tota fiat substantia) non potest aliquod subiectum accipi, quod aliter, & aliter se habeat, ex consequenti creatio non est mutatio, vel actio cum motu, nisi secundũ nostrum modum intelligendi; quoniã, creatio per modum mutationis significatur: sic itaquè primam negamus propositionem, & ad probationem, asserimus, licet, ex sensibus cognoscere exordiũ sumamus, cũ omnis nostra cognitio à sensu ortũ habeat: Verumtñ, sicut noster intellectus ex sensibilib. singula-

gularibus elicit vniuersalia, ità intellectus, ex particularibus productionibus deduxit productionem vniuersalem, quæ est totius entis, sicut etiam ex accidentibus, & motibus particularibus deuenit in substantiarum separatarum cognitionem, necnò ipsius Dei, quę secundum se, nullo modo sub sensu cadunt; idcircò, negamus, nos ratione, non posse illius oppositum intelligere; nam dum fit totum ens necessario fit ex nullo præsupposito, & hoc demonstratum fuit ad mentem Arist. Ad primam confirmationem, negamus, methaphysicam actionem, (qualis est creatio) esse cum motu; licet verum sit de physica actione. Ad secundam conceditur rationem & passionem esse correlatiua. itidem conceditur, agens, & patiēs esse correlatiua, verum negatur dum totum patiens producitur, aliquod subiectum supponi, & ideò falsa est vltima consequentia.

Ad quintum trifariam respondetur. Primò totum conceditur argumentum; quoniam verissimum est, sicut à voluntate noua, non potest prouenire actio antiqua, ità à voluntate antiqua nō potest prouenire actio noua, verum nihil contra nos; quoniam non autumamus mundum fuisse productum per nouā actionem (nam actio, qua Deus mundū produxit in temporis principio, est æterna, vt magis infrà explicabitur;) at actio antiqua, nouum produxit effectū: hoc autem nullum est inconueniens, quoniam vt docet D.Th. 1. p. q. 45. ar. 1. ad nonum, & ad decimum. Effectus voluntarius sequitur agens, & eius actionem, secundum quod ab ipso agente prædiffinitum est, modo autem Deus ab æterno prædiffiniuit, mundum esse in tēpore; vndè consequentia subinferenda, negatur; videlicet à voluntate antiqua non potest prouenire actio noua: ergo neque effectus nouus, seu neque passio noua, negatur inquam ista sequela, & rationem assignauimus. Et quia ità posset aliquis conficere argumentum sub eadem forma. s. sicut se habet actio noua ad effectum nouum, ità actio antiqua ad effectum antiquum, & mutata proportione, sicut se habet actio noua ad effectum antiquum, ità actio antiqua ad effectum nouum, sed actio noua non potest causare effectum antiquum ergo nec actio antiqua potest causare effectum nouum; Idcircò secundo respōdetur, & conceditur, actionem antiquā, vt antiqua est, hoc est, pro antiquo non posse causare effectū nouum, & hoc tātum concludit argumentum, actio autē antiqua, nō vt antiqua, sed vt noua, hoc est pro tempore, tum potest causare effectum nouum, quæ quidē actio antiqua, non pro æterno, sed pro tempore, potest dici noua virtualiter; licet formaliter sit antiqua, idest ęterna, ideo Tertio pōt responderi, primam propositionem, verum esse de actione antiqua, & de actione noua, quando ambæ actiones, tales sunt formaliter, & virtualiter: Si autem vna sit talis formaliter, & virtualiter, alia verò sit talis solum formaliter, non valet proportio, & sic, quoniam antiqua, est antiqua formaliter, virtualiter autem noua, noua autem actio, est noua simul formaliter, & virtualiter, tunc non valet similitudo proportionalis, & ità, accidit in proposito, vt iam explanatum est.

Ad sextum, & septimum, simul respōdetur ad mentem D.Tho. 1. p. q. 45. ar. 1. ad sextum: Agēs particulare differt suū producere effectum, vel propter aliqd impedimentum, vel ob defectum rei, ad illum effectum producendum, necessariæ, cum formam producat materiam autem supponat; idcircò necesse est, formam introduci ab ipso agente particulari, secundum proportionem ad debitam materiam; idcircò aliquando differt formam in materia introducere propter aliquod impedimētum, vel propter defectum rei, ad huiuscemodi introductionem necessariæ; Agens autem vniuersale, quia totum ens, materiam scilicet, & formam producit, non differt suum producere effectum, propter aliquod impedimentum, vel ob defe-

ctum

ctum alicuius rei, sed quia ita voluit tamquam conuenientius ad suam potentiam demonstrandam: Etenim mundus ducit nos apertius in diuinæ potentiæ creantis notitiam, si non semper extitisset, quam si fuisset semper, nā quod semper non fuit apertissimè constat causam habuisse; at nō ita compertum est, illud, quod semper extitisset causam habuisse. itidem dicimus ad septimum. Agens particulare, quod tempus supponit necessario, al. quod expectat tempus: at agens vniuersale, quod non supponit tēpus, verum ipsum tempus creat, non opus est, vt tempus expectet, verū simul cum mundo tempus concrearet: Similiter D. Thom. octauo physicorum textu decimotertio, supradictam affert respōsionem.

Ad octauum. iam responsum nunc est de mente D. Thom. tum prima parte, tum octauo physicorum locis citatis, & assertum fuit, Deum ab æterno omnes conditiones, quæ ad producendum mundum requiruntur habentem, noluit ab æterno producere mundum, tum quia eius potentia magis manifestatur, vt nunc assertum est, tum quia eius sufficientia, lucidiori modo notificatur: etenim omnibus alijs non existentibus, ipse in seipso omnimodam perfectionem, beatitudinisquè sufficientiam, perfectissimamquè virtutem ad producendum omnia habuit. Et ista astruimus, inquantum altissima Dei mysteria humana ratione penetrare possumus, quia de re possunt esse aliæ infinitæ rationes sub secreto suæ sapientiæ in inuestigabilis, ob quas mundum creare distulit.

Octo alia argumenta, Auerr. contra præfatam veritatem diluuntur.

Cap. 150.

AD nonum respondet D. Tho. 1. p. q. 45. a. 1. ad 1. Antequam Mūdus esset, possibile fuit esse, verumtamen ista potentia non fuit realis potentia Physica passiua, sed fuit possibile esse secundum potentiam Dei actiuam. Secundò dicitur per se possibile non secundum aliquam potentiam, verùm ex sola terminorum habitudine, qui sibi non repugnant; quemadmodum possibile opponitur impossibili, vt docet Arist. 1. Met. formaliter itaque respondendo ad nonum affirmamus primò, loquendo de potentia Dei actiua, secundum quam Mundus dicitur fuisse possibilis, antequam esset, vltimam negamus consequentiam, & ad probationem dicimus transitum fieri à potentia Dei actiua, ad quādam possibilitatē physicam: nam dū Mundus factus est, non fuit corrupta actiua Dei potentia, verùm fuisset corrupta passiua potentia, si in ista potentia fuisset, quod tamen negatum est. Secundò autumamus, sermonem habendo de potentia, quæ dicit terminorum non repugnantiam; cum nō sit aliquod reale re ipsa, non potest dici ipsam esse ingenerabilem, vel generabilem, corruptibilem, vel incorruptibilem; cum ista prædicata de ente reali tātum vera sint; idcircò quando Mundus fuit productus, aliqua potentia minimè corrupta fuit, sed tamen non repugnaret, Mundum esse, & de facto, per diuinam omnipotentiam creatus fuit.

Ad decimum. Negamus possibilitatē non repugnantiam terminorum dicentem, in aliquo subiecto fundari. Id idem affirmamus de possibilitate in actiua Dei potentia fundata. Ad probationem, autumamus, assumptū de particulari agente verum esse, non autē de vniuersali; cum vniuersali agenti correspōdeat solum potentia, quæ terminorum non repugnantiā præsefert. Et ad huius

probationem, quoniam agens, & patiẽs sunt correlatiua, &c. affirmamus, patiẽs agenti infinitæ virtutis correspondens esse omne, cui non repugnat esse.

Ad vndecimum asserimus, Deum liberè res omnes produxisse, & negatur consequentia: Ad probationem iterum consequentia negatur; quoniam licet Deus, res in maiori numero, maioriq; perfectione producere possit; attamen rerum productarum à Deo volitarum, causam assignare possumus, non ex parte actus volendi diuini, sed ex parte rerum volitarum, vt docet D. Th. 1. p. q. 19. ad 3. Et ibi Caiet. explanat, exempli gratia: Deus vult hominem manus habere, vt deseruiant intellectui diuersa opera per agenti, & vult habere intellectũ, ad hoc vt sit, & vult esse hominem ad vniuersi perfectionem, & vt ipso Deo frueretur: & ideo Caiet. vultq; istæ ꝓpõnes sint veræ, & propriæ. Hoc est propter hoc, & Deus vult hoc esse propter hoc, & hoc est à Deo volitum propter aliud ab ipso volitum.

Ad duodecimum dicitur, creationẽ non esse propriè actionem, vt dictũ est, quia actio est cum motu, creatio autẽ est sine motu. Secundò admisso, creationem esse actionem, & creans esse agẽs; negatur agens vniuersale nõ posse creare, sine patiente Physic. & reali, quod est subiectum; & ad probationem, quia sunt correlatiua, iam dictum est correlatiuum agentis vniuersalis, non esse patiens Physicum, & reale, sed esse nõ repugnantiam terminorum.

Ad decimumtertiũ respõdetur, Deũ determinare se ad producendum hoc & & illud, secundum quod condecet bonitatem suam, vt docet D. Th. 1. p. q. 19. ar. 2. & 2. cont. gent. cap. 26. & 27.

Ad decimumquartum respondetur dupliciter. Primò secundum Caiet. 1. p. q. 25. a. 1. Creationem esse actionem transeuntem formaliter, in Deoq; subiectiuè esse, sicut & omnis actio in suo est agente, & negatur, actionem transeuntẽ vniuersalis agentis aliquod supponere subiectum. Secundò respondetur, Creationem formaliter esse actionem immanentem, verum virtualiter esse transeuntẽ, hoc est, ista actio immanẽs hẽt actionis trãseuntis efficaciã, iuxtà illud, dixit, & facta sunt. Et hanc responsionem sequitur Caiet. loco nunc citato, Ferr. secũdo contra gent. cap. primo, 16. & 23. & Dominicus Bannes 1. p. q. 45. ar. 3. & ante omnes Capræolus secundo sent. d. 1. q. 1. Verum negatur, si Dei actio, sit æterna modum effectum esse æternum, & ad probationem respondet D. Th. 1. p. q. 46. ar. 1. ad 10 affirmans, istã propositionem: Cuius actio est æterna, eius effectus est æternus, non esse veram de agente voluntario, licet possit esse vera de agente naturali, vt affirmat in responsione ad nonum. Et ratio est, quia effectus sequitur agentis actionem secundum exigentiam formæ, quæ est actionis principium: Hæc autẽ forma, quæ est actionis principium, in agentibus per voluntatem, est id, quod conceptum, & prædiffinitum est: idcircò ex æterna Dei actione, nequaquam sequitur æternus effectus, verum qualem Deus voluit, videlicet vt in tempore esse habeat, & ideo illa propositio absoluè vera est de agẽte naturali; non autem delibero.

Aduertendum est, hanc propositionẽ ita formaliter à quibusdã Thomistis distingui: Actio ęterna duplex, altera æterna, & pro æterno, altera æterna, sed non pro æterno verũ pro tpe: Tũc aiũt, actionẽ æternã, & pro æterno, effectũ habere æternũ, actionẽ aũt æternã, sed nõ pro æterno, minimè æternũ habere effectũ. At cõtra hanc responsionẽ, quocũq; mõ formetur, ità ab aliquibus arguitur. Istę responsiones concedunt, Dei actionẽ ęternã esse; Tũc sic, aut actio formaliter, vt actio est, ab ęterno est, aut actio materialiter hoc est, vt res quędã est, ab ęterno est, si, vt actio, est formaliter, sequitur Deũ eẽ ab ęterno agẽtẽ, & creatorẽ, tũc sic ergo ab ęterno est aliqd creatũ, actu quod cãtum, ꝯñequẽtia nota ex Arist. docente 2. phys. & 5. met. causas singulares in actu, inquantum causę sunt, & effectus, simul esse, & nõ eẽ: si aũt Dei actio non

non vt actio formaliter sed vt res quædam est, ab æterno est; ergo Deus ab æterno est causa agens in potentia, & post modum, in tempore factus est formaliter, causa agens in actu, quod est valdè absonum.

Respondet Caet. loco adducto, & asseuerat, cum magno iudicio, esse respondendum, ne astruamus, vel Deũ ab æterno extitisse causam tantum in potentia, quod explodit D. Th. 2. contra gent. ca. 5. vel asseramus, Deum esse creantem mundum ab æterno, quod est erroneũ, quoniã tunc mũdus esset ab æterno qđ etiam esset hæreticum, quia sicut creatiuum, dicitur ad creabile, ità creans ad creatũ, & ità; sicut creans, vt creans esset æternũ, ità creatũ, esset æternũ: quapropter media via incedendum est, & affirmandum distinguendo, Dei actioné formaliter sumptam, duobus modis, cõsiderari posse; altero modo, quãtum ad id, quod actio, vt actio, in ipso agente, ponit; altero modo secundum id quod actio, in quantum actio ex se passioné, vel effectum infert: Primo modo, Dei actio, actu est in Deo ab æterno, & propter hoc, Deus non est causa in potẽtia, sed in actu ab æterno: Secundo modo autem actio, vt actio, ab æterno minimè in Deo est, & propter hoc, Deus ab æterno, nullo mõ est creans, vnde nec mũdum creauit ab æterno nec modo, hominis futuri creat animam. Et si sciscitaris, quomodo illatio effectus, vel passionis in Deo est ab æterno, est ne actu, vel potentia? Respondetur hanc illationem nunquam esse in Deo formaliter, quia secus, hæc illatio non fuit, nec erit in eo formaliter, verum in Deo est, in actu in potentia. Etenim inconueniens est, ponere in Deo aliquid in potentia, de illis, quæ in eo formaliter existunt. Sed illa omnia ab æterno, actu in ipso fuerunt, & hac de causa asseruimus, actionem secundum totum id, quod in agente formaliter ponit, in Deo ab æterno fuisse.

Ad decimumquintum negatur sequela. Et ad probationem negatur, si Deus omnia immediatè produceret, omnia çquè, & bene se haberent, vt docet Di. Thom. tertio contra gent. capi. 77. & prima parte quæstione centesimatertia, articulo sexto. Et inter alias rationes hęc vna est; quoniam maior perfectio est, aliquid esse in se bonum, & esse etiam, in alijs bonitatis causam; quam, si esset solũmodo in se bonum; idcircò, Deum alijs conferre causandi potentiã ipsum esse maximè bonum ostenditur.

Ad decimũsextũ respondetur. Arist. in illo libro 5. Met. explanasse solum nomina famosa inter quæ non est creationis nomen, & non assumpsit prouinciã distinguẽdi, & explanãdi oĩa nomina, sicut neq; etiam distinxit ista nomina, experimentum, à disciplina &c.

AN DEVS, AD MENtem Arist. sit causa efficiens, nedum finalis omnium entium, tám incorruptibiliũ quám corruptibilium.

Quædam falsa quorundam Auerroistarum opinio, cum suis fundamentis recitatur.

Cap. 151.

CIrcà hanc difficultatem, quatuor agenda sunt. Primò duo animaduertenda sunt pro huiusmodi dilucidatione. Secundò adducẽda est falsa opinio aliquorum Commentistarum cum suis fundamentis. Tertiò adducẽda est vera Thomistarum opinio, cum suis rationibus. Quartò aduersariorum argumenta diluenda sunt.

Quòad

Quò ad primum. Duo animaduertenda sunt. Primò aduertendum est, Thomistas, & Commentistas conuenire in hoc, quod est, Deum esse causam finalem omnium entium tam incorruptibilium, quàm corruptibilium: dissentire in hoc, an Deus sit causa efficiens istorum omnium. Nam aliqui Commẽtistæ negant Deum esse omnium entiũ effectricem causam ad mentem Aristo. Thomistæ autem deffendunt, Deum esse omnium entium causam effectricẽ, nedum finalem, & hoc est, quod instituimus inquirere, & determinare.

Secundò aduertendum est, Thomistas & Commentistas in hoc ẽt conuenire, Deum esse causam effectricẽ, & finalem omnium entium generabilium, & corruptibilium: Discrepare aũt in hoc; nã Thomistæ affirmãt Deũ esse causam ẽt omnium incorruptibilium effectricem. Commentistę autem hoc negant: Inter quos est Gregorius Ariminensis 2. sen. d. 1. sectans Commentatorem. 12. Met. Com. 41.

Quò ad secundum principale. Commentistæ confecerunt vndecim argumenta desumpta ex auctoritatibus Aristo. quorum primum, tale est. Arist. in 8. Phys. & in libro de Cęlo, & mundo, & 12. Met. sustinet motum perpetuum nec fieri, nec corrumpi; & per consequens, non habere causam efficientem. Tunc vltrà, ergo nec Cęlum, nec intelligentia ipsum Cęlum mouens, causam habebunt efficientem, sequela probatur; quoniam minus videtur habere causam effectricem, mobile æternum, quam eius motum, & adhuc minus motus, quàm mobile. Si ergo motus perpetuus causam effectricem minimè habet, multò minus mobile, & mouens æterna, huius motus causam habebunt.

Secundum. Habet Aris. primò de Cęlo, quod omne genitũ, & corruptibile potest non esse, vt patet in text. 124. sed omnia incorruptibilia non possunt nõ esse; ergo non sunt facta ad mentem Aristo. Et si responsum detur Aristo loqui de genito, & facto cum duplici conditione, scilicet, in tempore, & per transmutationem, adeò, ut maior propositio itá intelligatur: Omne genitum, & factum in tempore, & per transmutationem est corruptibile, & potest non esse, tunc negatur minor subsumenda; sed entia incorruptibilia, vt sunt intelligẽtię, & corpora cęlestia, secundum Aris. sunt in tempore per trãsmutationem genita, & facta. Verum hoc responsum non videtur Arist. intentioni, illis in locis satisfacere, eò quoniam Arist. lib. 1. de Cęlo, & mundo tex. 120. & 122. & 124. accipit genitum, & corruptibile, quatenus ingenito, & incorruptibili, opponit. Sed apud ipsum, vt patet in text. nunc entis ingenitum dicitur, quod nullo modo incępit, & de quo non potest dici; nunc est, & prius non fuit: Incorruptibile autem nuncupatur, quod nullo modo desinere potest, & de quo, non potest dici, nunc est, & posterius non erit: ergo apud Aris. genitum appellatur, quod incępit esse, quomodocunquè incęperit, corruptibile autem quod aliquando desinit esse, quomodocunquè hoc fiat.

Tertium. Arist. 2. Met tex. Comm. 4. habet ista verba. *Quapropter semper entium principia semper esse verissima, necesse est, non enim quandoquè sunt vera & quandoquè non, nec illis causa, aliquid est vera, vt sint, sed illa aliis* Ex his verbis colligitur prima principia corporũ cœlestium, quæ sunt intelligentiæ, non habere aliquam causam, vt sint; ergo non sunt à prima causa producta.

Quartum. Aristot. quinto Metaphy. text. sexto, in fine hæc verba scribit, *Horum quidem*; scilicet, necessariorum; *altera causa, essendi necessaria est, aliorum vero nulla.* Ecce; ergo ad mentem Arist. esse multa necessaria nullam causam habentia, dum asserit; aliorum vero nulla.

Quintum. Aristo. duodecimo Metaphysi. text. trigesimo ostendit, substantias separatas esse sinè materia, nullam in se passiuam, habere potentiam, ita contestans. *Oportebit ergo esse principium*

cipium tale, cuius substantia est actus. *Amplius ergo tales oportet esse substantias sine materia*. Ex quibus verbis ita arguitur; si omnes substantiæ separatæ aliquam potentiam passiuam in se minimè habent; ergo sunt suũ esse; ergo habent esse per essentiam, & non per participationem; ergo non habent causam sui esse; ergo &c. Prima cõsequentia suadetur ex opposito consequentis. Nam non sunt suum esse, sed esse est distinctum ab essentia; ergo esse actus rationem habebit, & essentia passiuæ potentiæ rationem, hoc autem est contrà Aris. quapropter necesse est, si in substantijs separatis non est aliqua potentia passiua ipsas, substantias separatas omnes esse suum esse: aliæ verò consequentię notę sunt ex doctrina D. Thom. prima parte quæst 44. art. primo.

Sextum. Postquam Aris. duodecimo diuinorum. tex. 41. concludit, dari substãtiam sinè magnitudine impassibilem, & inalterabilem, mouentem tempore infinito, & infinitę virtutis; postmodum, in tex. 42. mouet quæstionem, an talis substantia sit vna, vel plures. Et determinat in tex. 43. esse plures tales substantias: ergo ad mentem Aris. sunt plures substãtiæ infinitæ virtutis; ergo plures substantiæ dantur ad mentem Arist. independentes, seu non productę, sequela probatur: quoniam hac de causa affirmamus Deum esse infinitæ virtutis, quia virtutem suam habet independentem, & sinè causa. Et cõfirmatur. Aris. in tex. 44. fatetur plures esse substantias, natura sempiternas, & immobiles secundũ se, sine magnitudine, propter dictam causam, quam causam exponit D. Tho loco superius assignato, quia scilicet, mouẽt tempore infinito, & per consequens, virtutem finita. Ex quib. verbis colligitur, omnes substantias separatas esse infinitæ virtutis, ac per hoc, infinitę perfectionis: ergo non effectiuè ab aliquo fuerũt productę. Sequela probatur: quoniam quod est effectiuè ab aliquo, nequaquã infinitam perfectionem habet.

Septimum. Aris. 9. Met. tex. 21. & 22. & 12. Met. tex. 41. 42. & 43. ait: Ecce quædam entia in se formaliter incorruptibilia, & necessaria, vt sunt omnes intelligẽtiæ: sed implicat aliquid esse intrinsecè necessarium, & ab alio habere esse effectiuè; ergo intelligentię non habẽt causam effectricem. Minor propositio suadetur: quoniam necessarium formaliter semper est, & non põt nõ esse, quod autem causam habet effectiuam, & ab alio fit, potest non esse, tùm per subtractionem causæ efficientis, tum quia non habet in seipsum principium sui esse necessarium.

Octauum. Arist. 9. Meta. textu 18. ait, in perfectis idem est esse, & posse, & qd in eis nõ est potẽtia ad esse distincta ab ipso esse: at si perpetua effectiuè sunt à Deo, habent potentiam ad esse, & nõ esse; ergo perpetua non sunt ab alio effectiuè.

Nonum probat materiam primam non esse productam. Arist. primo Phy. tex. 34. sequens communem Philosophorum sententiam affirmat, ex nihilo nihil fieri. Ex quo infert, in omni factione aliquam substantiam esse supponendam. Hæc autem prima substantia nuncupatur materia prima, ex qua omnia fiunt; ergo materia prima nõ fit à Deo.

Decimum. Si mundus totus esset factus, secundum simplicem emanationem factus esset: at ad mentem Aristo. similis emanatio minimè dat: ergo totus mundus non est factus. Quod autem simplex emanatio, ad mentem Aristot. non detur ostenditur ex hoc, quia tunc processus Arist. quo probat. 8. Phys. motus æternitatem esset frustrà: quoniam data illa simplici emanatione, nullum sequitur inconueniẽs, vt patet, illum processum intuentibus.

Vndecimum. Arist. vbicunquè causam agentem diffinit, eam per esse principiũ motus diffinit, vt patet secundo Physicorum, & quinto Metaphy. ergo secundum ipsum, omne efficiens per motũ agit, sed æterna non possunt esse per motum producta, alioquin non essent

sent æterna; ergo &c. Hæc quò ad secundm.

Deum esse omnium entium causam effectricem, ad mentem Aristotelis demonstratur à D. Tho. Cap. 152.

QVò ad tertium principale. D. Th. prima parte q. 44. art. 1. de potentia Dei. q. 3. ar. 5. 2. contra gen. capite 15. quem sequuntur oēs penè Thomistę, inter quos est Caprçolus 2. sen. d. prima q. 2. conclusione quarta; Caiet. 1. parte q. 44. ar. primo Paulus Soncinas. duodecimo Metaphysic. quæstione decimasexta Ferr. 2. contra gent cap. 15. in fine. Iauellus. 12. Met. tex. 28. Bānes 1 p. q. 44. ar. primo. Isti omnes vna cum D. Th. sustinent, & deffendunt ad mentem Arist. Deum esse entium omnium, tàm incorruptibilium, quam corruptibiliū causam effectricem, & hanc suam sententiam septem rationibus ex Aristote. auctoritatibus collectis demonstrant.

Prima ratio. Arist. 8. Phys. text. 15. reprehendens Democritum, & Empedoclem existimantes nulli rei sempiternæ aliquam causam esse assignandam, sed tantum his, quæ de nouo incipiunt esse ita contestatur. *Quod autem in omnibus, non rectè, etenim trigonum semper habet duobus rectis, æquales angulos, sed tamen ex perpetuitate huiusmodi altera causa*; hæc Arist. Ex quib. verbis manifestè patet, aliqua semper entia, vt sunt corpora cœlestia, & substantiæ separatæ, sui esse causam habere, quę non potest assignari nisi primum principiū, vt ibi exponit D. Tho.

Ad hanc rationem Commentistę triplex afferunt respōsum, vt patet in Gregorio Ariminensi. 2. sent. d. prima articulo primo, & primū responsum est. Aristot. intendit de complexis, quæ sunt sempiternæ veritatis, & sunt conclusiones demonstrabiles, & ideo dat exemplum de hoc complexo demonstrabili: Triangulus habet tres angulos &c. hoc autem in loco inuestigamus de incomplexis æternis incorruptilibus, vt de Cęlo, & intelligentijs.

Secundum responsum. Admisso Arist. sermonem habere de incomplexo, hæc consequentia nihil valet. Hoc incomplexum habet causam; ergo causam efficiētem; potest enim causam habere finalē, & hoc pacto Aristo. concedit; Entia incorruptibilia, & prima principia habere causam finalem.

Tertium responsum. Admisso Arist. sermonem habuisse de æterno incomplexo, & de causa efficiente, non tamen intendit loqui de æterno permanente, sed successiuo, vt patet in text. allegato; nam ibi sermonem instituit de motu æterno, siuè continuo, siuè interpolato, de quo constat esse æternum successiuum, & concedimus, hoc æternum successiuum habere causam effectricem secundum Arist. scilicet, intelligentiam æternam mouentem.

Primam responsionem reprehendit Caieta. loco citato, quem postmodum sequuntur alij Thomistæ Iauellus, & Bannes tali ratione Arist. eò loci, loquitur cōtra Democritum, & de principio motus æterni, volens, rei æternæ quęrēdam, & assignandam esse causam, & ad hoc manifestandum, exemplum adduxit de Triangulo tres angulos habente, modo constat, æternum motum non esse quid complexum, sed incomplexū.

Secundò. Caiet. peculiari rōne hanc redarguit respōsionem tali modo. Causa complexorum in essendo est causa illius esse in rerum natura, quod affirmationi, vel negationi subiacet, hoc autem esse, non est nisi in anima, quod cōstat esse incomplexum. Nam species intelligibilis complexum representans est simplex, & incomplexum, cum sit quoddam accidens particulare, & valdè simplex.

Contrà secundam responsionem trifariam instatur. Primò licet absolutè, & formaliter, non valeat ista sequela; hoc habet causam; ergo causam effectricem, valet tamen in subiecta materia

materia etenim complexum, quod est demonstrationis conclusio, vt trigonũ habet tres, hẽt cãm; ergo habet cãm effectiuam; quoniam propositiones, ex quibus conclusiones deducuntur, sunt causæ conclusionum effectrices, vt habetur secũdo Phy. Secũdò Aris. in loco pdicto de æterno motu non continuo sermonem habet, sed per quietis interpositionem, vt astruebat Empedocles, & Aris. quærebat causam mouentem litem, & amicitiam, ad causandum motum æternum interpolatum. Hanc autem constat esse causam effectricem.

Tertiò. Aduersarij concedunt, omne ens habere causam finalem; ergo necesse est, vt fateantur omne ens habere etiam causam effectricem. Quòd probatur ab Herueo quodli. 2. q. 1. Omne quod habet causam finalem, habet id cuius gratia, factum est. Hæc propositio patet ex causæ finalis diffinitione: 2. Phys. & 5. Met. habita; nam causa finalis est illa, gratia cuius aliquid fit; at secundum prædictam responsioně, Cœlum, & intelligentiæ causam habent finalem; ergo Cœlum, & intelligentiæ habent illud, cuius gratia facta sunt, & ita habent causam productricem, ex eo quoniam finalem causam habent.

Contra tertiam responsionem ità instatur: Aristo. illo in loco, assumit hãc vniuersalem ad reprehendendum Democritum, & Empedoclem existimãtes aliquid esse principium, & cãm, & tamẽ habere causam, hac ratione, qa semper est, ac semper fit; quæ quidem propositio potest applicari ad æternum permanens, & successiuum, cum sit vniuersalis: In signum huius Arist. illam applicauit ad triangulũ tres angulos habentem. Triangulus autem connumeratur inter permanentia, & non inter successiua entia: falsum est ergo Arist. tantum ibi loqui de æterno successiuo.

Secunda rõ. Aris. 2. Met. tex. 4. scribit hęc verba. *Unumquodq. verò maximè ipsum, aliorum dicitur, secundum quod & in alijs inest vniuocatio, vt puta ignis calidissimus etenim est causa alijs, hic caloris quare, & verissimum, quod posterioribus causa est, vt sint vera.* Sed per eũdem Aris. 12. Meth. tex. 37. Deus est maximè ens, & verum; ergo Deus est causa omnium effectiua. Hanc etiam rationem adduxit D. Tho. 1. p. q. 44. ar. 1. in corpore.

Ad hanc rationem respondẽt Commẽtistę, vt videre est in Gregorio Arimĩnensi, dicentes Deum esse quidem maximũ ens, ex consequenti esse omnium entiũ causam, verum negatur ista sequela; ergo est causa effectiua.

Verum hæc responsio ostenditur nõ esse ad mentem Aristo. ex quadruplici capite. Primò Aris. in isto tex. comparat primum ens primo calido, in vniuersali caliditate; at notissimum est, ignem esse omnis caloris causam effectiuam; ergo primum, & maxime ens est omnis entis effectrix causa, aliter comparatio nulla esset.

Secundò. Falsum dicunt Commentistæ, intentionem Philosophi esse, primũ ens esse tantum causam finalem, omniũ entium conseruatiuam, cum in illo tex. Aris. nullam faciat mẽtionẽ de finali cã.

Tertiò, vt iam in superioribus assertum fuit. Si Deus est omniũ entium finalis causa, necessarium est etiam, vt sit omnium entium causa effectiua.

Quartò, vt probat D. Thom. de potentia, q. 5. ar. 1. in corpore, & in responsione ad argumẽta, & præcipuè ad primũ. Eadẽ est cã, quę est cõseruatiua, & effectus productiua in esse; si ergo oĩa sm̃ Cõmentatorẽ à Deo dependent, in esse conseruatiuo, pari rõne, in esse effectiuo depẽdẽt; cũ itaq; ipsi fateantur, Deũ esse cãm oĩum entiũ cõseruatiuam, necesse est, vt etiam fateantur, Deum esse causam omnium effectricem.

Tertia ratio. Aris. in supradicto text. iuxta oĩum aliorum interpretationẽ intendit tale axioma: Omne qd est tale per essentiã, est omniũ aliorũ causa, quę sunt talia p participationẽ; vt manifestũ est in exemplo adducto de maximo calido, & de alijs calidis: Nam maxime calidum est tale per essentiam, alia

vero per participationé, sed illud, quod est maximè tale est causa omnium effectiua, vt optimè exponit Caiet. 1.p.q. 44. articu. primo, quoniam cum naturalissimum sit vnicuique agenti, agere sibi simile efficiéter, multò magis quod erit tale per essentiam aget effectiuè. Ex his omnibus conspicuum est, illam propositionem intelligendam esse, de causa effectiua, & non solum de causa finali. Et hanc rationem docuit D.Th 1.p.q. 44. ar.1.& de his videè Caiet. eo loci.

Quarta ratio. Arist. 5. Met. cap. de necessariò tex. 6. hæc habet verba. *Horum itaque quidem altera causa esse dinecessaria, horum autē nulla, sed propter hæc alia sunt ex necessitate.* Ex quib. verbis colligitur, vt docet Caiet. loco citato duplex esse necessarium; alterum necessarium ex se, alterum ab alio; & vult necessarium ex se esse omnino simplex, & vt ibi videre est, hoc necessarium simplex est Deus, quod quidem necessarium est ex se necessarium, vt contestantur etiam Theologi, omnia verò alia necessaria à Deo effectiuè esse habent.

Ad hanc rationem bifariam respondet Gregorius Ariminensis vbi supra affirmans Philosophum loqui de necessarijs complexis, quæ sunt demonstrabiles conclusiones, quarū causæ sunt principia complexa: ut huius conclusionis causa: homo est risibilis, est hæc; Homo est rationalis.

Secundo dicit, hanc consequentiam non valere: Necessaria habent causam; ergo habent effectricem causam; nam habent tantum causam finalem.

Contra primam respōsionem arguitur ostendēdo ipsam esse falsam, ex eo, quoniā licet Aris. de necessarijs complexis mentionem fecerit, non tamen stetit solum in illis, verum etiam sermonem habuit, de incomplexis. *Etenim postquā asseruit horum quidem, alteram esse causam,* &c. statim subintulit. *Quare primum, & propriè necessarium quidem simplex est.* Hæc Arist. & secundum vniuersalem interpretationem Aristot. loquitur de prima causa, quæ est Deus; quoniam esse primum necesse, & absolutè simplex sūt ipsius Dei proprietates.

Secunda respon. destruitur ex duplici capite, vt ēt in superiorib. probatum fuit, tùm quia licet illa sequela non valeat formaliter, valet tñ in subiecta materia: qm præmissæ sunt ipsius conclusionis effectrices causæ, tum quia valet ista consequētia formalis, habent causam finalem; ergo etiā habent cāā effectiuā, vt sup. demonstratum fuit.

Quinta ratio Aris. primo Met. c. 2. aperte cōtestatur, Deum esse omnium tūm causā, tūm principium; ergo &c.

Sexta ratio. 12 Met. tex. 38 asserit Aris. à Deo dependere Cœlum, & naturā; sed Cœlum est incorruptibile; ergo &c.

Istis duabus auctoritatibus Auerrois non posuit alio modo responsum dare, nisi affirmare, Deum esse cām omnium finalem, Cœlumque; & naturam à Deo pendere in genere finalis causæ, non autem in genere effectricis causæ; verum illud responsum iam fuit explosum.

Septima rō. Secundum Aristo. 12. Met. 52. Deus est cā ordinis vniuersi, nam ibi appellat Deum vniuersi Ducem; ergo Deus est ipsarum rerum effectiua causa, ex quib. vniuersum construitur. Sequela probatur; quoniam quod est passionis causa, est etiā ipsius passionis subiecti causa; at vniuersi ordo est propria ipsius passio; ergo si Deus est ordinis effectiua causa, erit etiam omnium rerum, ex quibus vniuersum constat, causa effectrix.

In præsenti controuersia Auerr. sententiam relinquimus, tanquam omnino incertam, etenim, vt refert D. Thom. 8. Phys. tex. 21. & 12. Meth. tex. 41. Auer. tenet contra Alexandrum cōmēto 41. Cœlum non habere esse perpetuum ab altero, licet eius motus sit perpetuus ex altero. In libro autem de orbis substantia, confitetur Auer. Deum esse Cœli causam, non solum quantum ad eius motū, verum etiam quantum ad ipsius substātiam, quia à Deo habet esse perpetuum. Ex quibus exploratum habemus Auer. in

in hac controuersia fuisse sibi inconstantem. Hæc quò ad tertium principale.

Diluuntur omnia Auerroistarum argumenta, contrà sententiam nostram militantia.

Cap. 153.

QVò ad quartum principale. Ad primum argumentum respódet Herueus quodl 1.q 1. fieri duobus modis accipi: altero modo pro eo, quod est habere esse ab alio effectiuè cum nouitate essendi, & hoc modo, nec motus est æternus, nec aliquid aliud æternum potest dici fieri; quoniam habere esse ab alio effectiuè cum nouitate essendi, & esse æternum contradicunt. Altero modo sumitur fieri pro eo, quod habet ab alio esse effectiuè sine nouitate essendi, & isto modo certum est apud Arist. motum æternum habere causam effectricem; & ideo Aristo. probat 12. Meta. intelligentias semper actu mouere ab æterno suos orbes.

Secundo respond. communissima, sed verissima respon. Motum æternum non causari per transmutationem, vt probát rationes Arist. 8. Phy. causatur tamen per simplicem emanationem.

Ad secundum dicitur, responsionem adductam esse rationi consonam. Ad improbationem respó. illos terminos genitum, & ingenitum, corruptibile, & incorruptibile esse quidem accipiendos ad mentem Aristo. eo modo, quo argumentum probat, veruntamen; quoniam aliqui Poetę Theologizantes, contrà quos arguebant Arist. & Plato, vt Platonis verba in Timeo præseferre videbantur, dum volunt vniuersi ordinem esse ex elementis inordinatis factum, non probant nisi productionem, & desitionem, quæ sunt per transmutationē; idcircò apud ipsos Theologizantes, idem erat nullo modo incipere esse, & non incipere esse per transmutationem; & idem erat incipere esse absolutè, & incipere esse per transmutationem, & eodem modo asserendum est de desitione, qua de re Aristo. contra ipsos arguit, nō posse esse aliquod genitū, & incorruptibile.

Ad tertium responde. quintupliciter. Primò respond. Herueus loco citato. Illa verba, scilicet, nec illis aliqua causa est, vera vt sint, sed, illa alijs, esse intelligenda cum reduplicatione, vt sensus sit; Non habent causam, inquantum talia, idest, inquantum causæ, sed sunt causæ alijs; quoniam inquantum talia, idest, inquantum sunt principia, & causæ, nō habent causam, non autem intelligenda esse simpliciter, ita vt sint plura principia semper existentia, quę non habeant causam.

Secundò respon. Accipi ibi plurale pro singulari. Sicut aliquid quod vni soli cōuenit accipitur cum signo distributiuo, & significatur, quod omnis causa prima est talis conditionis, vt nihil ante se habeat, & ista est Aristo consuetudo, quādo loquitur de separatis, sępe se transfert à plurali ad singulare, & econuerso, vt conspicuum est 12. Met. tex. 30. vbi ostēdit substantias separatas esse sempiternas, & sinè materia, & semper actu mouentes. Et ratio huius ab Herueo assignatur, quoniam Aristot. sermonem habet de omnibus separatis tanquam de vno genere, parum distinguēs inter ea, propter maximam à sensatis elongationem. Et quod oporteat, illam auctoritatem intelligi modo explanato, in ista secūda respon. ex eò patet; quoniam aut intelligitur de principijs in cognoscendo, quæ sunt propositiones, aut de principijs in essendo; si primo modo non est ad propositum, quia non quærimus nisi de principijs in essendo; si secūdo modo, quando dicitur plura esse principia semper existentia, quæ non habent causam, & ipsa sunt causa alijs, si intelligitur de causa efficiente, & plurali, accipitur pluraliter; ergo aliqua semper entia habent causam efficientem secundum Aristo, quod est contrà ipsos: si de causa finali; ergo sunt plura semper existentia, quæ non habent causam finalem,

lem, quod similiter est contrà eos, omnia entia incorruptibilia ponentes (dempto primo) ordinari ad vnum finem; ergo impossibile est, vt in dicta propositione, seu in dictis verbis numerum pluralem accipi pro plurali; ergo relinquitur vt numerus pluralis accipiatur pro singulari.

Tertiò respondetur. Illam propositionem ità esse intelligendam. Principia semper existentium cum sint semper non habent aliquam causam, vt sint aliquo tempore, & aliquo non, verum illa sunt causa alijs, idest istis inferioribus per Cœli motum, vt aliquando sint, & aliquando non sint, cum hoc tamen stat, ipsa principia semper recipere esse æternum à primo increato.

Quartò respondetur. Illam propositionem, ità esse interpretandam. Principia semper existentia, idest intelligentiæ non habent causam, vt sint mobilia, vel vt moueantur, quia ipsa sunt principia corporum cœlestium motiua, verum sunt causa alijs, vt moueãtur: habent tamen causam effectiuã, vt sint.

Quinto respondetur hanc propositionem: Principia semper &c. intelligẽdam esse, non repugnanter, non autem positiuè; modo autem maximum discrimen est inter prædicatum alicuius subiecto conueniens positiuè, & conueniens non repugnanter, vt docet Caietanus de ente, & essentia capite quarto conclusione quarta, & in illa sua quæstione de infinitate Dei, quandoquidem, illud prædicatum, quod alicui subiecto, positiuè conuenit omni contento sub subiecto conuenit. Illud autem prædicatum, quod alicui subiecto conuenit, non repugnanter, non conuenit omni contento sub illo subiecto, verum satis est, vt alicui, sub illo subiecto contento conueniat. Et de his vide Caietan. Cum ergo ista propositio, non repugnanter intelligatur, non est necesse, vt hoc prædicatum, scilicet, non habere causam, omnibus conueniat intelligentijs; at satis est, vt vni conueniat, & ità conuenit primæ intelligentiæ, quæ est Deus, & ista glossa conformis est Aristot. septimo Metaphysic. text. quadragesimoprimo, asserenti, in substantijs separatis quod quid est esse idem cum eo cuius est. Hoc est natura, & suppositum sunt vnum, & idem in substantijs separatis, quæ tamen propositio intelligitur non repugnanter, eò quia in solo Deo, quod quid est, seu natura est idem, cum eo cuius est, hoc est cum supposito. Et hæc omnia etiam a nobis in superiorib. fuerunt explicata.

Ad quartum respond. illa quintuplici rñsione data ad tertium, & pręcipuè applicandę sunt secũda, & quinta rñsiones. Vnde sensus propositionis Aris. est, quò ad illa verba, *aliorum verò nulla*; vt aliorum, sumatur pro singulari, vt dictũ fuit in secunda rñsione, aliorum, hoc est alicuius, quod est primũ necessariũ independens, quod est Deus, vt explanatum fuit in prædicta secunda responsione. Et aliorum nulla est causa, hoc est non repugnat aliquib. necessarijs nullam habere causam.

Ad quintum bifariam respondetur; Primò quando asserit Aristote. substantiam esse actum purum intelligitur hæc propositio non repugnanter, non autem positiuè, ex consequenti, substantiam esse actum purum, non est vera de omni substantia separata, sed satis est, vt vera sit de prima, s. de Deo.

Secundo respondetur. Datur duplex potentia passiua, altera quæ respicit materiam propriè dictam, & ista remouetur à substantijs separatis; altera est potentia passiua, quæ essentiam respicit, per comparationem ad esse existentiæ: nam in omnibus creatis esse existentiæ habet rationem actus, essentia verò potentię rationem habet, & huiusmodi potentia ab istis substantijs separatis creatis minimè remouetur, ex consequenti; quando Aristotel. asseruit, substantias separatas esse actus, excludit

excludit solum potentiam materiæ passiuam, non autem potentiam passiuam essentiæ. Et formaliter respondeno ad ipsam rationem, imus inficias antecedens, scilicet, substantiæ separatæ ad mentem Aristot. nullam potentiam in se passiuam habent. Et de hac responsione etiam superius sermonem habuimus.

Ad sextum iam responsum est supra capite 137. in principio capitis.

Ad septimum respondet D. Thom. prima parte quæstione quadragesima quarta artic. primo ad secundum, negādo secundam propositionem, quia indigere causa efficiente contingit duob. modis; vno modo, ex eo, quod potest esse, & non esse, & ità quæ necessaria sunt, semper sunt, & non habent causam. Alio modo, quia non essent necessaria, si causa inquantum causa non esset, & hoc modo, necessaria habent causā suę necessitatis. Et de ista materia videndus est Caiet. illo in loco, & prima par. quæstio. 49. articu. secundo, & Ferrar. secundo contra gentes, capite trigesimo.

Ad octauum respondetur, negando ad mentem Aristotel. si perpetua esse à Deo haberent, potentiam, ad esse, & non esse haberent, quia possunt esse perpetua, & incorruptibilia, ac per hoc, non habent potentiam ad esse, & non esse, & tamen habent suæ necessitatis, incorruptibilitatis, & perpetuitatis causam.

Ad nonum respondet Diu. Thom. prima parte quæstione quadragesima quarta articulo secundo, ad primum. Philos. primo Physicor. habere sermonem de fieri particulari, quod est de forma in formam, siuè substantialem, siuè accidentalem, nunc autem loquimur de rebus secundum simplicem earum emanationem ab vniuersali, & primo essendi principio, à qua emanatione prima materia procedit.

Ad decimum. Imus inficias ad mentem Aristote. non dari simplicem emanationem, siue creationem. Ad improbationem asserimus, institutum Aristo. in octauo Physicor. & alibi; vbi hanc pertractat materiam, non fuisse simpliciter motus æternitatem suadere, sed solummodo apud antiquos, qui hāc simplicem emanationem ignorabant, & ideo, admittimus (vt etiam superius assertum fuit) illas probationes, non esse simpliciter demonstrationes, verum facile solubiles simplici emanatione data, nullumquè illorum inconuenientium sequi, licet non data simplici emanatione, vt supponebant antiqui, contrà quos arguebat Aristot. illa inconuenientia sequantur, sintquè illæ rationes demonstratiuæ, & ista responsio est D. Thom. prima parte quæstione quadragesima sexta art. primo.


Secundò respondet Herueus vbi suprà intentionem Aristote. esse mundi creationem cum nouitate essendi negare, quia sequerentur illa inconuenientia, non autem intentio eius fuit negare creationem, nouitatem essendi excludentem.

Ad vndecimum bifariam respondetur. Primò, Aristote. quando asseruit, omne efficiens agere per motum, intellexisse de efficiente particulari, non autem de vniuersali, qualis est Deus.

Secundo respondetur. Quando Aristote. affirmat quinto Metaphysyc. text. vigesimoseptimo, & alibi, omnem potentiam actiuam esse transmutandi principium, nil aliud affirmare intendit, nisi actiuam potentiam esse principium agendi in aliud, eò quoniam nullum agens in seipsum primo, & per se agit. Verum quoniam operatio, quæ est cum motu nobis notior est, quam ea, quæ est sine motu; Idcircò Aristotel. in Physicis, & in quinto Metaphysico. loco citato diffiniuit potentiam actiuam per esse trāsmutandi principium; attamen nono, Metaphysicorum text. primo, suam explanans intentionem asse-

ruit potentiam esse maioris ambitus, quam potentia, quæ per motum est; idcircò falsum est, Aristotelem vniuersaliter diffiniuisse actiuam potentiam per motum, cum etiam detur potentia actiua sine motu, vt innuit textu proximè citato, qualis est potentia Dei optimi Maximi omnium, tàm incorruptibilium, quam corruptibilium effectoris, & gubernatoris; ad quem omnia reducuntur tanquam ad vnum cunctorum Ducem, Finem, & Principem.

Tertij, & vltimi libri Finis.





Errata	Correcta
Pag.col.lin.	
3 2 24 Pomponius	Pomponatius
3 2 28 Aliter	Alter
8 1 23 Animam	anima
10 1 16 impoſſibilem	impaſſibilem
13 1 44 aut	autem
21 1 29 ſi eſt phantaſia, non tamen habemus	ſi eſt phantaſia, aut non ſine phantaſia, non tamen habemus
28 1 29 non poteſt ſuum	non poteſt extra ſuum
29 2 29 idcirco omni	idcirco in omnĩ
30 2 37 vt forma	vt formam
32 2 35 ſublata	ſub lata
38 2 6 qua	quia
42 1 1 &	eſt
57 2 50 quid	quod
59 1 4 operationi	operationis
61 1 45 conſequentiam	conſequentia.
62 2 1 formaliter	formarum
63 1 23 quo	quod
68 2 41 per ſpecies a Deo infuſas	ſpecies a Deo infuſæ
70 2 12 ſeparate	ſeparata
73 2 19 & pura ſi potentiam, quæ eſt receptiua, & paſſiua ſimul	& puram potentiam, quæ eſt receptiua & paſſiua ſimul
76 1 33 ex & forma materia	ex forma & materia
76 2 13 compoſitum eſſe cœli nomine	compoſitum eſſe affirmat, cœli nomine
81 2 43 ſubſtantiæ	ſubſtantia
95 1 1 tantum	tum
95 1 1 concluſionibus in fundaamentis	concluſionibus tum in fundamentis
86 2 24 cœlis	cœli
89 1 14 tranſmutabilia	tranſmutabiles
100 1 32 quid eſt	quod eſt
103 1 15 entiũ, alio modo	entium alio modo in genere viuentium alio modo.
112 1 36 ſuppoſitum; ſicut	ſuppoſitum, impoſitum eſt; ſicut
123 1 33 applicantis	appellantis
124 1 35 cauſas extrinſecas	cauſas intrinſecas
125 1 29 mittitur vt ad perſona	admittitur vt perſona fit
137 1 32 quarto fundamẽto	quinto fundamento
140 1 9 iſta ſecunda conſequentia	iſta propoſitio
130 1 1 vndecima	duodecima
132 2 19 includunt	includit
132 1 47 tius	ſuppoſitum cauſae

Errata	Correcta
Pag.col.lin.	
125 2 11 ſeu	ſuæ
146 1 24 ſubſtantiæ ſeparatæ	ſubſtantia ſeparata vt ſuperius
150 2 17 ſtatim quoniam eſt	ſtatim eſt; quoniam
159 2 10 directo	diſcreto.
17 2 40 Poteſt mediate pati	poteſt immediatè pati
173 1 36 ſcilicet	quintus.
185 1 25 eſſentias. Secundum Ariſt.	eſſentia ſecundum Ariſt.
185 1 45 non eſſe	non poteſt eſſe;
185 1 48 eſſentiæ	eſſentia
194 2 23 citra nõ cognitionem	citra tamen cognitionem
202 1 22 Vniuerſa	Vniuerſale
206 1 14 ex cap. I. poſt.	ex cap. 2. 1. poſt.
206 1 18 intelligentia	Intelligentiæ
209 1 3 reducitur per ſe	reducitur ad per ſe
214 1 28 obiecti actiuo	obiectiuo
230 1 32 a materia	à natura
237 2 37 diuino	diurno
241 2 2 Ariſtolis	Ariſtotelem
247 1 35 perfectior	perfectius
248 1 41 ipſius	ipſis
256 2 24 .1.	.2.
258 2 35 eſſentia	eſſentiæ
262 2 42 10.	12.
264 1 9 ſuppoſitum	ſuppoſito
276 1 5 ipſis	ipſius
283 1 38 ſubſtantia	ſubſtantiam
293 2 2 actu	actum
304 2 41 erant	erat
317 1 36 contingenteq;	contingentis.
326 2 1 de non at: magis	& non magis
328 1 12 ſi	ſe.
328 2 20 animam	actum.
332 1 1 relutionem	relationum
336 1 45 ideo	idea
347 2 48 poſſit	ponit
352 1 2 ſic	ſit
354 2 43 continet	pertinet
359 2 42 Intellectiuum	Intellectum
374 1 3 vno Deo	vno
382 2 motoris	motoris
382 1 17 per ſe primo	non per ſe primò
382 1 29 æterni perpetua tiua	æterni non per ſe primò perpetuatiua
389 2 35 vbi	vel
395 1 39 docuerit	deuenerit
400 2 24 ſubſumitur	ſubſumit
402 2 46 contractionem	contradictionem
403 2 14 contractionem	contradictionem
404 1 49 contractoriò	contradictoriè

Quæ ſuperſunt errata corrigenda, legentium iuditio relinquuntur.



Apud Georgium Variſcum.

M. DCIX.

